

# SEBASTIANI SERLII BONONIENSIS

DE ARCHITECTURA LIBRI QVINQVE,

*Quibus cuncta ferè Architectonica facultatis mysteria doctè, perspicuè,  
vberimeq; explicantur,*

A' IOANNE CAROLO SARACENO ex Italica in Latinam linguam  
nunc primùm translati atque conuersi.

*In quibus, præter orationis perpetuam continuatamq; seriem, & propria edificiorum  
mensura, & consentaneæ quoque structurarum omnium designationes  
perquàm eleganter insertæ accommodatæq; fuerunt.*

Necnon extraordinarius quinquaginta portarum libellus in operis calce  
adiunctus hic demum conspicitur.



VENETIIS,

*Apud Franciscum de Franciscis Senensem, &  
Joannem Chriegher. 1569.*

AD IOANNEM  
DELPHINVM  
ANDREAE FILIVM,  
PATRITIVM VENETVM,  
TORCELLANVM'QVE EPISCOPVM.

IOANNIS CAROLI SARACENI  
P R A E F A T I O.



ETVSTISSIMA quidem & à sacrosanctis Theologis recepta confirmataque, **AMPLISSIME ANTIISTES**, ea existit sententia: à prima mundi constitutione, quaecunque materiae innituntur, generationis beneficio cuncta in lucem deinde promi atq; deduci. Quod inde potissimum contingere affirmant, propterea quòd agentia naturalia haud tantummodo aptis & accommodatis alterationibus subiecta eis occurrentia afficiunt commouentque: verùm quamprimùm subiecta disposita rectè fuerint ac præparata, statim formis, vnde propriae rerum iam genitarum fluunt essentiae, propriaeque & consentaneae actiones emanant, mox illa perficiunt atque consignant. In cuius nempe rei confirmationem elementa, mixta, lapides, metalla, plantas, & animantia adducere licet. Indeque adeò fit, vt ad huiuscemodi rerum ortus expediendos diuina actio nec sola nec absque alterius intermedij opera, sed secundarum causarum insuper accessione atq; interuentu concurrat: Necnon ex eo quoque contingit, vt, cum eiusmodi res ab agentibus materiae coniunctis implicitisque essentias suas proximè & continenter acceperint; quamprimùm formæ à consimilibus impressæ agentibus euanuerint, mox funditus ipsæ quoque intereant atq; marcescant, nec indiuiduam vllò pacto, sed specificam duntaxat æternitatem consequantur. Verùm vni homini tantummodo id diuinitus quippe tributum videmus, vt eius conformationem diuinum numen absque rei alterius mox aggrediatur atque perficiat societate. Quauis enim corpus à parentibus, ~~sentis~~ mensurorumque intercessione, formatum propriisque organis distinctum & insignitum conspicitur: intellectus tamen, vnde humanum genus præclaram adeò sublimemque acquirit essentiam, à solo Deo absque alterius agentis auxilio mox procreatur, & in corpus rite compositum statim infunditur atque descendit. Quapropter, cum originis suæ splendorem ex æternitatis fonte quamprimùm homo hauserit atque combiberit, haud mirum certè videtur, eum post corporis interitum integram adhuc indiuiduamque suiipsius æternitatem conseruare. Cum igitur præstantiæ nobilitatisque suæ Deum tantummodo homo recognoscat authorem, pro virili mehercle eniti & contendere, necnon labores omnes alacri



animo subire perferreque debet, ut in diuinitatem denuò reuertatur atq; recurrat: præsertim cum id rebus cunctis natura insitum esse perspiciatur, ut singulæ proximæ originis memores ad eam redire relabique quammaximè affectent: quemadmodum flumina ad mare contendere, leuiaq; corpora superas partes petere, necnon graua ad infera loca decurrere natura duce consueuerunt. Quæ quidem cum ita sese habeant, illud obsecro nunc perscrutemur studioseque inquiramus, quænam in Deo potissimum reperiuntur: ut his nobis cognitis atq; perspectis, diuinitatis seduli facti imitatores ad eam propius accedere appropinquareque valeamus; necnon Architecturæ celebritatem atq; præstantiam ex eo, quod ipsa nos cum Deo quoquomodo copulat atque coniungit, clarissimè colligamus. Deo igitur tria quammaximè commendanda profectò admirandaque tribuuntur, nempe contemplatio, actio, factioque. Contemplatio, qua intercedente Deus recurrentis circularisq; comprehensionis specie seipsum acriter meditatur, & in semetipso tanquam in eminenti ac præstantissima causa<sup>fecta</sup> omnes inde tanquã radios è Solari lumine deriuatos clarissimè intuetur atq; discernit. Actio, cuius merito deus in beatissimorum spirituum illorum cœtu tot Angelorum ordines inter sese concordet & vnanimet retinet, Cœlorumque conuersiones æquabili iure & certissimis legibus moderatur, necnon elementorum odia temperat, hostiliaque eorum placat ingenia. Quinetiam ad inferiora delapsus plantis & animantibus summa quadam liberalitate congrua accommodataq; præstat alimenta; & in humanum genus potissimum toties sese beneficum, mitem, & salutarem exhibuit; & mundo hoc inferiori cœlestibus flammis denique absumpto, tanquam æquissimus iudex bonis cœlestia præmia, æternaque facinorosis supplicia impartiet atq; persoluet. Factio demum, cuius vi Deus, temporibus ab eius immutabili voluntate olim præfinitis, ingentem machinæ corporeæ huiusce structuram condidit architectatusque fuit: in sacrosanctum videlicet immobileque Cœli Empyrei templum, & in amplissima splendidissimaque deinceps mobilium naturaliumque Cœlorum prætoria, necnon in quatuor denique inferiora Elementorum cœnacula distinctam ac distributam. Cœlum insuper celeberrimi Pictoris munere fungens, formosis & coruscantibus luminibus exornauit: octauoque orbi quadraginta octo imagines illas Poëtarum carminibus Astrologorumque monumentis insignes aptauit: necnon lacteam semitam, quam veteres propter mirum candorem Cœlicolarum domicilium esse existimarunt, eodem adiunxit. Diuinaque præterea accedente pictura, vapores per aëra sparsim diffusi radijsque Solaribus contacti, varijs nempe coloribus imbuti infectique fuerunt: quemadmodum ex Iridis elegancia imprimis, & Auroræ formositate perspicere licet. Quinetiam tellurem diuinus Pictor quamplurimis & iucundissimis colorum generibus illustrare decreuit: quemadmodum agrorum viriditates, perspicuitates aquarum, gemmarum margaritarumque nitor, metallorumque splendor, necnon florum fructuumque innumera multitudo atque varietas; cum candidi hi, crocei illi, alij purpurei, nonnulli cyanei demum existant; satis superque testantur. Nec præclarum hoc admirandumque ædificium picturæ tantummodo lumine summus ille Architectus duxit cohonestandum, sed innumerabilibus infinitisque propemodum sculpturis locupletandum illud insuper esse existimauit; plantarum, animantium, ipsorumque hominum dissimilibus adeò ac multiplicibus generibus procreatis: quæ si cum immortalibus, purissimisque, & ab omni



ab omni materiae labe seiunctis conferantur Ideis, è Platoniorum sententia Idearum imagines, exempla, & simulachra iure mehercle nuncupanda videbuntur; præsertim ipsomet Moyse, cuius Platonem studiosissimum extitisse comperimus, in mundi procreatione hominem mixtum quoddam ad Dei imaginem similitudinemque formatum delineatumque; vocitante: perinde ac illud sapientissimus legislator significare voluerit, nempe hominem è materia constitutum Idealis separatiq; hominis, qui in diuina mente residens diuino ipsimet numini simplicissima quadam adiungitur connectiturque ratione, sculptam imaginem esse effectumque existere simulachrum. Verè nanque Deus singularis simplicissimaque esse fertur Idea, quæ dissimillimis rerum in inferiori hoc orbe procreatarum speciebus comparata, prout illæ inter sese quamplurimum dissidentes vel ad eam propius accesserint uel ab eadem longius abfuerint, propter eiusmodi relationum atque proportionum diuersitates Idearum complurium quoque sortitur subitque rationes. At legislator, cæteris plantarum & animantium cum diuina Idea tanquam obcurioribus fortasse atque longinquioribus similitudinibus prætermisissis; humani tantummodo generis, utpote quod è cunctis, quæ materiae innituntur adhærentque, ad Deum quamproximè accedat, diuinoque numini cæteris similis existat, mentionem duxit habendam. Verùm de his hæcenus: modò inceptum iam persequamur argumentum. Cùm igitur tria hæc à nobis commemorata, contemplationem videlicet, actionem, factionemque Deo tribui assignarique sentiamus: in earum unaquaque, pro viribus tamen, diuinam aucupari similitudinem, diuinaque sectari vestigia homini licet. Cùm enim scientiarum doctrinarumque auxilio rerum sibi ille acquisierit cognitionem, mox naturæ totius inspector & contemplator euadit: & eousque contemplando progredi nonnunquam & proficere posset, ut intellectu speculatorijs habitibus satis superque disposito ac erudito, agens intellectus cum intellectu potestatis haud secus quàm forma cum materia denique coniungatur: adeò ut ex eiusmodi copula intellectus quidam in actu proueniat, qui, angelorum intelligentiarumque more, haud temporaria in posterum, obscura, discurrenteque cognitione; verùm momentanea, clarissima, immobilique penitus visione seipsum contemplans, creatorem vnaque omnia, quæcunque procreata fuerunt, è uestigio intueatur atque dignoscat. Quod deinde ad diuinam spectat actionem, homo moralium virtutum beneficio Deo similis effici potest: quarum ductu animi compressis & castigatis affectibus, necnon actionibus ad geometricum medium directis & ad laudabilem mediocritatem reductis, in terris quidem synceram, innoxiam, & ab omni labe alienam vitam traducet; post mortem verò sydeream Angelorum, iucundissimamque Cœlicolarum consuetudinæ statim fruetur. Quod demum ad diuinam factionem conducit, ad eam imitandam nulla aptior aut accommodatior mehercle quàm ipsamet Architectonica facultas esse videtur: quæ, pacis tempore, curias, basilicas, templa, porticus, theatra, amphitheatra, circos, thermas, portus, aquæductus, palæstras, bibliothecas, consimilesque generis huiusce structuras perficiens, superbiam splendorémque suum quammaximè nobis declarat: belli autem tempestate, mœnibus, fossis, aggeribus, vineis, turribus, munitioibus, propugnaculis, pontibus, castris, arietibus, balistis, scorpionibus, catapultis, tormentis, classibus, cæterisque machinis consimilibus sese terribilem admodum metuendamque ostendit: Necnon



(id demum, quod è cunctis operibus manuum artificio elaboratis attonitos inprimis obstupentesque nos reddere solet) horologiorum præclaro subtilique inuento, quod ad Gnomonicam tertiam Architecturæ partem Vitruuius redegisse uideatur, & rotarum æquabili prorsus constantique motione Cœlestem ipsum Architectum quoquomodo pro viribus æmulatur. Quis igitur Architecturæ præstantiam nobilitatemque summam non concedendam existimet, cum ea haud secus quam tertio curru in altum euecti sublimes adè extollamur, ut ad diuinitatem ipsammet appropinquare, vniuersitatisque creatori similes tandem effici valeamus? Cuiusmodi nempe similitudo eò perfectior & exactior apparet, quod quemadmodum Deus, ut supra habitum fuit, in mundi procreatione duabus præstantissimis facultatibus, Pictura videlicet Sculpturaque, ad eum condecorandum usus fuisse conspicitur: haud secus Architectus etiam, & colorum lumine, & simulachrorum statuarumque formositate, lautiora splendidioraque ædificia reddere consuevit. Verum haud in communi tantummodo orbis conformatione Deus eximium & singularem sese præstitit Architectum: dum artificis partes ille suscipiens ex prima materia, quam legislator inanis vacuæque telluris nomine designauit, aptissimo ordine accurataque distributione elementorum conclauia perfecit, purioribus nempe atque sincerioribus Chaos ipsius partibus, è Platoniorum sententia, ad amplissimas Cœlorum curias fabricandas reseruatis: quin insuper in priorum quoque ædificiorum structuris Architecti sibi ille partes vendicauit, cum Noe iustissimo & æquitatis amantissimo viro arcæ formam ad aquarum diluuium effugiendum proprio ore præscripsit; necnon cum Moyse in admirando illo, quod à sanctissimo viro cum Deo in Sina monte quadraginta diebus & quadraginta noctibus habitum fuit, colloquio tabernaculi modum speciemque monstrauit: quod, Israelitico populo id temporis peregrinante, huc quidem atque illuc circumferendum exponebatur, postremò autem in solidi immoti que templi formam Hierosolyma præclara Dei ciuitate à sapientissimo Salomone redactum constitutumque fuit. In quibus ambabus, tum arcæ videlicet tum tabernaculi quoque, structuris Deum & Noe & Moyse proprios longitudinum, latitudinum, & altitudinum modulos terminasse, aptas & conuenientes distributiones reddidisse, parietum fines præscripsisse, tam infimis pauimentis quam summis contignationibus spatia idonea assignasse, necnon apertionum formas atque capacitates denique statuisse, quemadmodum sapientissimum decet Architectum, comperimus. Quinetiam illud nequaquam prætereundum certè existimamus, nempe Deum in Architectonicis operibus tanquam in proprijs ædibus habitare olim consueuisse; cum sibi dilectis hominibus frequentissimè colloquens, & responsa oraculaque grauiora ibi sæpius exercens, necnon maximam eius vim atque potentiam miraculis ibidem editis subinde declarans: cuiusmodi quidem omnia in Mosaico tabernaculo, Hierosolymitanoque templo diuinitus olim acta fuisse perspicimus. Id insuper adde, Architectonicam facultatem Deo tam gratam tamque iucundam extitisse, ut ad eius opera instituenda neminem nisi criminis ac sceleris prorsus immunem admittendum esse suomet docuerit exemplo: cum Dauidi sanctissimo alioqui viro, tanquam humanis cœdibus inquinato, humanoque sanguine asperso atque polluto Hierosolymitani templi interdixit constitutionem, nobilissimæque Architecturæ huiusce munus Salomoni Dauidis filio tanquam paren-



te iustiori synceriorique referuandum satius existimarit. Nec iniuria quidem, cum humano generi suum in Deum studium ac pietatem nullo certiori, illustriori, diuturniorique argumento, quam sacris templorum structuris exterius patefacere liceat. Quapropter minimè mirum quoque videtur, si ad sacras eiusmodi delubrorum Architecturas atque dedicationes iustissimos tantummodo pijsimosque viros Deus admittendos censuerit. Quinetiam illud ad ædificatoriæ facultatis præstantiam comprobendam animaduersione hic dignum occurrit, quòd cum Deus rudem indistinctamque tellurem tanquam Chaos quoddam hominibus olim proposuisset, duabus tantummodo facultatibus turpem hanc indigestamque molem humanum ingenium perficere dearticulareque valet, nempe Agricultura atq; Architectura. Agricultura quidem aruorum cultui, campestrium locorum amœnitati, vbertatiquè agrorum potissimum incumbere solet: Architectura verò structurarum innumeris propemodum formis vrbes oppidaque munita, elegantia, splendida, tutaque reddere consuevit. Etsi hæ duæ facultates inter sese adèò implicitæ annexæque conspiciuntur, vt altera alteri non parum opituletur atq; con-ducatur: cum & in vrbis ædificijs horti, labyrinthi, fontes, vineta, topiaria, prætaque superaddita præclarè nonnunquam respondeant: & vicissim arua varijs frugum arborumque generibus confita Architecti operibus, nempe conclauiibus, quæ hominum, & stabulis, quæ iumentorum vsui inseruiunt, necessariò indigeant; necnon frumentarias, vinarias, olearias, penariisque cellas Architecti manus ac operam efflagitantes imprimis requirant; Aqueductibus quoq; ad agros irrigandos summo artificio ab eodem adhibitis atque perductis. Nec tamen, cum tibi Architectum nominamus, minutum artificem quempiam aut operarium intel-ligito: Architecti nanque laus & industria in iudicando potius quam in operando, & in præcipiendo magis quam in exequendo sita esse deprehenditur. Quemadmodum enim moralium virtutum Prudentia, & contemplantium habituum Sapientia, Politicæque demum habituum ipsorum agentium supremæ, moderatrices, & duces existunt: haud secus Architectura quoq; artium omnium, quæ manu ministerio vsuque indigent, præses, Regina, præfectaque nuncupabitur, singulis operandi modum terminumque præscribens; necnon pro arbitrato artificum opera accipiens, reijciens, corrigens, immutans, amplificans, diminuens, eaque, prout commodius visum fuerit, multipliciter demum versans atque pertractans. Quid? Eruditissimi viri facultatem hanc, quam tot laudibus effers atq; prosequeris, attigerunt ne forsitan, inquires? Maximè quidem. Omitto nanq; Vitruuium, Plinium, Varronem, Catonem, Frontinum, aliosq; doctissimos viros de ea præclarè admodum conscripsisse. Necnon illud etiam prætermitto, poëtam aut historicum celebrem ingenua hac liberalique facultate destitutum vix posse quenquam reperiri. Id vnum in præsentia dixisse sufficiat, nempe duo philosophiæ totius lumina, Aristotelem videlicet atque Platonem, in conscriptionibus suis de ea locutos quandoque fuisse. Aristotelem enim septimo Politicorum libro de vrbis situ, de priuatorum atque de magistratuum ædibus, de mœnibus, de templis, deque consimilibus structuris doctissimè quidem, vt solet, disceptantem reperimus. Verùm vberius deinde Philosophus magisque ex professo in Mechanicis quæstionibus de Architectonica facultate pertractat: quo nempe in loco cum admirabilium eorum, quæ in maximis oneribus exigua vi mouendis impel-

lendisq;



lendisque consistunt, rationes attingat, Architecti quodammodo formam habitumque assumpsit. Platonem quinetiam, sexto legum volumine, facultatis huiusce elegantia præcepta tradidisse conspicimus. Ibi nanque Plato nouæ vrbis constructionem aggressus, eam in sublimi eminentique loco primùm constituit; rotundiori figura, vt munitiorem illam & inquinamenti fordibusque minus obnoxiam redderet, ipsi attributa. Tempia deinde circa forum collocat atque distribuit, iuxtaque templa tum Senatorias curias, tum iudiciaria forensiaque prætoria disponit: vt sacrarum ædium vicinitate permoti, & qui vrbis regendæ gubernandæque patrociniū susceperunt, & qui iuris dicendi iustitiæque administrandæ partibus funguntur, propria ipsisque, vt decet, assignata præstent officia: illud pro certo sibi persuadentes, quæcunque vel rectè vel perperam egerint, à Dijs, qui proxima templa incolentes eorum acta, progressiones, cogitataque omnia taciti obseruant, mox fore iudicanda. Ad priuata deinde pertransit ædificia, necnon ad Gymnasia præterea descendit, indeque ad spectantium confessus atque theatra progreditur: postremoque mœnibus circumductis vrbem ab inimicorum aggressiōibus tutam & inexpugnabilem reddit. Præclara mehercle distributio, & quam perspicax quiuis sapiensque Architectus haud immeritò commendauerit. Nec solùm ex veterum authorum scriptis doctilissimorumque virorum præceptis Architecturæ nobilitas præstantiaque colligitur; verùm ex eo insuper, quòd nihil prorsus, in quo Satrapæ, Principes, Reges, ipsique Imperatores demum facultates opesque suas libentius quàm in Architectonicis operibus profundunt, reperitur: quinimo summi primariique viri in nouis ædificiorum molibus extruendis ridiculi quodammodo esse, & propemodum insanire videntur. Cuiam amplissimæ illæ & prodigiosæ Pyramides ignotæ sunt obsecrò & inauditæ? in quarum extruccionibus perficiendis tot hominum millia à superbissimis Aegyptiorum Regibus, graui quidem atque intolerabili sumptu, tandiu occupata, exagitata, defatigataque fuerunt: & in quibus attollendis Israëliticus populus quamplurimos annos Pharaonum sæuitie, Deo nempe id permittente, laborauit, inuigilauit, atque insudauit. Quis insuper Babylonæ mœnia, egregium nempe & celeberrimum Reginae Semiramidis opus, ignorat? Quorum ambitus sexaginta passuum millia complectebatur, altitudine ducentorum pedum, latitudineque pedum quinquagenam existente, necnon ducentis quinquaginta turribus statis interuallis murorum coronam & circuitum explentibus: & in quæ construenda terdecies centena hominum millia adhibita, anni vnus spatium, manus operasque contulisse feruntur. Dianæ Ephesæ templum quadringentorum viginquinque pedum longitudine, centum viginti pedum latitudine, columnisque centum viginseptem suffultum, quarum singulæ ad pedum sexagenam altitudinem pertingebant, nonne ducentorum viginque annorum spatium Asiam vniuersam sollicitam implicitamque detinuit? Mausoli Cariæ Reguli monumentum ab Artemisia coniuge in iucundissimam viri memoriam institutum, nonne propter maximum eius artificium inter septena orbis miracula à priscis habitum enumeratumque fuit? Phariam quinetiam turrem, quæ procul errantibus nautis certos cursus fidaque itinera nocturnis ignibus monstrabat, quàm incredibili sumptu à Ptolemeo Rege eductam olim confectamque fuisse arbitraris? Cyri Medorum Regis lautissima quondam ac splendidissima domus à Memnone præstantissimo Archite-



cto constructa, quò scilicet lapides auro cõiuncti illigatiq; resulgebant, qua intuentium animos admiratione affecisse, quouè stupore eosdem repleuisse memoratur? Verùm, externis p̄termisissis, quid de operosis mirificisq; Romanorũ structuris tibi dicendũ videtur? Quisnã ingentia templa, magnificas ædes, iucũdissima balnea, amplissima theatra, præclara amphitheatra, capacissimos circos, marmorea monumenta, rectissimos calles, spatiosas plateas, subterraneas cloacas, innumerãmq; Aquæductuum multitudinem, qui in vrbe illa terræ Oceaniq; imperium olim possidente frequentissimi conspiciebantur, pro meritis laudare commendareue poterit? Quid de Marco Aemylio Scauro Syllæ priuigno dicemus? Qui Theatrum omnium, quotquot humana industria fabricata fuerunt, amplissimum sumptuosissimũque in ædilitate sua perfecit: Cuius Scena trecentis & sexaginta columnis, singulis ad pedum triginta octo altitudinem pertingentibus, enitebat: imaq; pars Scenæ erat marmorea, media è vitro constabat, summaq; demum inauratis tabulis resulgebat, inauditòque & luxurioso operum genere cuncta emicuisse feruntur: Aenea signa inter columnas reposita, ad tria millia conscendisse existimantur: Theatriq; cauea, octoginta hominum millia capiebat. Quid de Lucullo deinde subiungemus? Cuius splendidissima ædificia Romæ, Neapoli, in Tusculanòque agro regijs sumptibus extructa summoq; artificio elaborata; pulcherimis inquam thalamis, spatiosissimis cœnaculis, & altissimis deambulacris tanquam in specula quadam residentibus distincta; necnon hortorum amœnitate, thermarum mollicie, viuariorumq; & piscinarum vbertate florentia, signorum insuper ac tabularum exquisitissimo concurrente apparatu; Tuberonem Stoicum tanta admiratione affecerunt, vt eum togatum Xerxem philosophus appellaret. Quid de Cæsare Dictatore? Qui præterquàm quòd fossis perducendis, pontibus iaciendis, copijs suis castris valloq; muniendis, necnon machinarum demum ad hostilia agmina proterenda hostilesq; vrbes inuadendas expugnandasq; artificio, militarem sese eximiũque præstitit Architectum: Romæ Circum Maximum stadiorum trium longitudine, stadijque vnus latitudine, cum ædificijs quaternũ iugerum, ducenta sexagintaq; hominum millia sedentia excipientem in populi vniuersi gratiam construxit. Quid de Augusto? Qui tot speciosa præclarãque adeò Romæ ædificia instituit, vt dictum illud in ore frequenter habere confueuerit, vrbem, quam lateritiam accepisset, marmoream sese relinquere. Quid de Caligula? Qui Xerxem, quem, superbissimo ponte extructo, ab Asia in Europam innumerabilem Persarum exercitum accepimus traduxisse, æmulatus à Baijs ad Puteolanas moles pontem trium millium sexcentorũq; ferè passuum longitudine perduxit; terrenoq; aggere quamplurimo superiecto, continentis specie eum figurauit, in Appiæque viæ formam eundem composuit atque direxit: adeò vt noctu cum tota Prætorianorum cohorte Imperator ibi assistens, innumerisque hominum turmis ad spectaculum hoc vndique confluentibus, funalium luminũque splendore passim illucescente, sese & mare in continentis speciem, & noctem in diei fulgorem & claritatem permutasse iactaret. Liburnicas quinetiam ex cedro, easque ingentis magnitudinis naues instituit, eburneis gemmatisque puppibus instructas, necnon versicoloribus velis distinctas: adeoque capaces illæ existebant, vt & cœnacula, & porticus, & triclinia, & balnea, & hortos deniq; vitium pomiferarumq; arborum varietate insignes ibi intueri fas esset; quibus,  
animi



animi gratia, inter choros ac symphonias mollissimus Imperator Campaniæ littora peragrabat. Quid de Claudio? Qui mirum illum Aquæductum perfecit, per quem fontes à quadragesimo lapide ad eam excelsitatem, ut in omnes vrbs montes passim attollerentur, perducti deriuatiq̄ue fuerunt: compluribus insuper, per quos aquis transitus comparabatur, perfossis collibus, necnon altissimis arcibus in conuallibus educ̄tis compositisq̄ue. Ostiæ quinetiam portum numerosissimæ classis capacem, triginta hominum millibus perpetuò laborantibus, ægrè post undecim annos absoluit; brachijs duobus, ijsq̄ue latissimis, dextra uidelicet sinistraq̄ue, circumductis: quem quidem eò maiori admiratione dignum existimamus, quòd portus hic in continenti, mari deinde ad eum undiq; immisso, fuit extructus: in cuius faucibus turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum nauigia dirigerent, altissimam collocauit excitauitq̄ue. Quin Imperatoris audacia uel temeritas eò usque processit, ut Fucini lacus in Marforum Romanis finitimorum regione existentis emissarium institueret; qui quidem cæteros omnes, quotquot Italiæ extabant, lacus amplitudine exuperabat: In hocq̄ue difficili laboriosoq̄ue opere expediendo, per tria passuum millia montem partim effodere partim excindere oportuit; ad aquas uidelicet è lacu exhauriendas, atque in nouum canalem deriuandas traducendasq̄ue. Quid de Nerone? Cuius aurea domus post dirum crudeleq̄ue Romanæ vrbs incendium extructa, cùm à Palatino monte ad Exquillas usque perducta fuisset, porticus singulas miliaris unius longitudine; stagnumq̄ue, maris instar, ædificijs ad urbium speciem undiq; circumseptum habuisse memoratur. Rura insuper aruis atque uinetis, & pascuis syluisq̄ue, uariaq̄ue præterea generis omnis pecudum ferarumq̄ue multitudine referta ibi conspiciebantur. In cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumq̄ue conchis refulgebant. Cœnationes eburneis tabulis, ijsq̄ue uersatilibus erant laqueatæ: ut flores ex fistulis, & unguenta desuper spargerentur. Primarium denique præcipuumq̄; cœnaculum, rotundam formam sphæricamq̄ue figuram præseferbat; perpetuoq; diebus ac noctibus uice mundi circumagebatur. Talem profectò Neronianam domum scriptores prædicant extitisse, qua sumptuosiore illustrioreuè aliam nec oculis contemplari, nec mente perspicere excogitareuè quispiam potuisset. Quid de Vespasiano? Qui duo illa celeberrima splendidissimaq̄ue instituit ædificia, nempe templum Pacis; opus quippe tum propter materiæ præcium, tum etiam propter exquisitissimum artificium, tum demum propter tabularum signorumq̄ue lautissimam supellectilem quammaximè commendandum, adèò ut ad sacram ædem hanc inuisendam contemplandamq̄ue è cunctis mundi partibus frequentissimi homines accurrerent atque aduolarent: necnon Amphitheatrum præterea præclaram adèò distributionem naçtum & affecutum, ut ad spectacula intuenda innumera assidentium multitudo perquam commodè ibi collocari & consistere posset, hodieq̄ue Colosseum vulgo appellatur. Quid de Tito Vespasiani filio? Cuius Thermæ hodiernis quoq; temporibus, nonnullis earum uestigijs superextantibus, inuicti Imperatoris illius liberalitatem atque magnificentiam declarant. Quid de Domitiano? Qui compluribus, tam sacris uidelicet quàm prophanis structuris superadditis, Romanam vrbs & instaurasse & locupletiore reddidisse memoratur. Quid de Traiano? Qui in Istro, rapidissimo nempe, uorticofo, & propter gurgitum altitudinem præcipiti fluuio, lapideum pontem extruxit:



truxit : cui, & propter summam loci difficultatem, & propter admirandam operis magnitudinem, vix aliud toto terrarum orbe ædificium conferre meritò potuisses. Viginti stabant ex quadrato lapide pilæ : quarum altitudo centum & quinquaginta pedum præter supposita fundamenta habebatur, latitudo sexaginta pedes continebat, distabantque inter sese centum & septuaginta pedum interuallo, fornicibusque demum circumductis simul coniungebantur & cohærebant. Quin insuper celeberrimam illam ingentemque in Foro columnam erexit, quam elegantissimis scalpturis ad miraculum propemodum elaboravit excoluitque, quemadmodum ex fragmentis adhuc superextantibus conijcere licet, eique ex suo nomine Traianæ columnæ appellationem imposuit tribuitque. Verùm neminem Imperatorem luxum vnquam maiorem, maioremque animi fastum ac superbiam quàm Heliogabalum ostendisse comperimus : qui ædes suas haud aureis tantummodo cœnaculis argenteisque cubiculis illustrandas exornandasque duxit, gemmis insuper, vnionibus, margaritis, pretiosissimisque lapidum omnium generibus passim illucescentibus, ac Solaris luminis astrorumque instar vbique irradiantibus atque nitentibus; verùm equorum quoque iumentorumque stabula aureis solis operuit, argenteisque pauimentis instravit: Nouaque sibi præterea ac magnificentissima balnea perpetuò apparari, statimque post ablutionem dirui dissoluique iubebat. Longum profectò foret, si opes in Architectonicis operibus consumptas & exhaustas, thesaurosque in ædificiorum moles sponte erogatos profusosque sigillatim nunc recensere vellemus : quasi id sibi firmissimè Principes persuadeant, in humanis nihil præstantius aut præclarior omnino quàm Architecturam; nihilque profus, quod hominum mentes in maiorem admirationem pertrahat, & ad tacitam propemodum venerationem compellat, quàm splendida recteque distributa ædificia reperiri. Nec immeritò hoc factum videtur. Summi nanque aliorumque præfides viri nulla magis apta idoneaque ratione immortalitatem nancisci, aliorumque hominum cætum ad sui nominis memoriam quasi diuini cuiusdam numinis piè sancteque recolendam inducere possunt, quàm Architectonicis operibus in medium propositis : ijsque præsertim, quæ ad communem mortalium cunctorum spectant vtilitatem, & ad publicum communeque humanæ societatis beneficium diriguntur. Hinc euenisse videmus, apud præcos insignium præclararumque urbium conditores Poëtarum præconijs, Historicorumque monumentis immortalitati consecratos fuisse. Quàm clarè Dardani, qui Troianæ urbis prima iecit fundamenta, nomen, propter Virgilij Homeri que carmina, personat atque refulget? Quàm latè Cadmi Thebarum Bæotiarum conditoris fama discurret ac peruagatur? Quibus laudibus Reginam Semiramim, Babylonæ ædificatricem, ornari extollique passim audimus? Quàm honorifico sermone Bussyridem, Aegyptiarum Thebarum conditorem, nominare prosequiue solemus? Quàm recens hucusque Regis Ogdoi viridisque memoria, propter Memphyticæ urbis structuram, conseruatur? Quanta famæ celebritate Archiam Syracusarum, Agenorem Tyri, Ninum Niniuis in Assyria, Darium Susarum in Perside, Alexandrum Macedonem Alexandria, Ocnum Mantuæ, Neleum Pyli, Antenorem Patauij præclarissimos fundatores hodiernis hucusque temporibus per hominum ora circumferri intelligimus? Postremò Amazones Ephesi, Dido Carthaginis, Ascanius Albæ, & Remulus denique ipsius Romæ vetustissimi conditores, quibus elogijs

ab Historicis



ab Historicis condecorantur, cohonestantur, & ad sydera vsque efferuntur? Vnde Architectura his nominibus maxima vel imprimis commendatione digna videtur: tum quòd homines ex agresti, ferino, inhumanoque viuendi genere, ciuitatum oppidorumque conuentibus excogitatis, ad mansuetam, ciuilem, socialemq; vitam olim illa traduxit: tum quòd nullum opus Principibus Regibusque ipsis conuenientius, nec humano insuper generi beneficentius, nec quod Hominem in Heroem permutare facilius possit, nec vbi magnificentia animique magnitudo magis, quàm in Architectonicis molibus elucescat, reperitur: præsertim si nullis quanuis immodicis sumptibus, nullisque ingentibus quanuis pecuniarum iacturis perterriti Principes, Architecti quinetiam iudicio, acumine, præclaraque distributione accedente, ad communem vsum communemque mortalium vtilitatem opera ab eis instituta retulerint. Quid? Quòd facultatis huiusce beneficio humanum ingenium haud naturam tantummodo æmulatur, verum naturæ ipsius vires frequenter exuperat quoque peruincitque? Cùm ab Architectis & montes perfossi, & valles impletæ, & colles æquati, & rupes excisæ, & scopuli patefacti, & terræ viscera denudata, & flumina directæ, & maria maribus consociata, & lacus exinaniti, & paludes siccatae, & sinus conclusi, & marium vada pertentata, & nouæ insulæ excitatae, & aliæ insulæ demum continenti adiunctæ atque continuatae fuisse tradantur. Quinetiam (mirabile dictu) Architectura eadem suffragante, immania & vastissima pondera contra propriam eorum vim in altum sæpe attolli conspiciamus. Nec in molli tantum & vmbra vili vita artis huiusce splendorem atque magnificentiam contemplator: verum in bellis quoque id tecum insuper cogitato, quoties vnicum Architectum proprii ingenij viribus confisum integras hostium legiones, armataque inimicorum agmina fudisse, proculcasse, atque oppressisse contigerit. In cuius rei fidem, exemplorum multitudine reiecta, Archimedes vnum adducere libet: qui admirandis machinis ab eo fabricatis, & summa quadam agilitate perlibratis versatisque, Romanorum, qui maximis copijs terra marique Syracusas id temporis oppugnabant, minas ita contempsit, eorumque vires adeò attriuit atque perfregit: vt Marcellus Imperator cùm propter diuinum Archimedis ingenium de ciuitate per vim capienda iam desperasset, ad necessarium potius quàm Romano homine dignum consilium coactus diuerterit, vt eam obsidione cingeret, & per otium ac famem exuperare denique pertentaret. Demetrii item Regis exemplum haud hic profectò reticebimus: qui in machinis tam maritimis quàm terrestribus fabricandis adeò excellentem egregiumque sese præstitit Architectum, vt illud non minus verè quàm eleganter de eo dici consueuerit; Demetrii opera magnitudine sua amicis stuporem, pulchritudine verò etiam hostibus ipsis delectationem solita esse afferre. Vnde, propter mirum in machinarum apparatu ipsius ingenium atque solertiam, Expugnator urbium ab omnibus passim appellabatur. Machinaque illa imprimis in bello contra Rhodios suscepto, quam Helepolin vocitarunt, nauesque binæ, quarum altera sexdecimremis altera quindecimremis erat, à Rege summo artificio elaboratae atque perfectæ, quàmmaximè celebre conspicuumque apud gentes omnes eius nomen reddiderunt. Etsi, quod ad nauium constructionem, Ptolemæus Philopater dictus Reges omnes superiores longo exuperauit interuallo. Hic enim quadragintarem fieri iussit, quæ proculdubio singulas, quotquot visæ antea fuerant, naues mole ac magni-



ac magnitudine sua obscurabat: cùm in longitudinem ducentorum & octoginta, in altitudinem verò ab imo vsque ad transtra quadraginta octo cubitorum pateret. Remiges, quibus illa utebatur, ad quatuor millia, nauæ verò quadringenti erant: & præter hos paulò minus quàm tria millia armatorum, qui foros tabulataque implebant, in eadem perquam commodè collocabantur. Magnum mehercle Architectonicorum operum miraculum atque portentum. At his omisis, ad nouum modò argumentum orationis nostræ seriem traducamus, quod hac nempe à nobis explicabitur ac effingetur ratione. Si artis nobilitas atque præstantia ex multiplici operum, quæ in ea exercentur, varietate deducitur: Architecturæ nimirum, propterea quòd illa varietate quamplurimùm delectatur, nouis que rerum commentis præ cæteris locuples copiosa que existit, necnon in mille mille que Protei cuiusdam morè formas commutatur, primas partes haud immeritò condonabimus ac deferemus. Architectus nanque diuersa structurarum genera dissimiles que ædificandi ritus modos que, pro locorum, temporum, personarum que conditionibus, tum per sese obseruare, tum cæteris quoque imitandos in medium proponere solet. Quapropter ædificiorum alia ad vitæ necessitatem, alia ad hominum commoditatem, alia demum ad animorum relaxationem atque iucunditatem instituta videmus. Quinetiam maiestatem & seueriorem quandam grauitatem nonnulla præferre, alia molliora excultiora que esse, alia demum inter ambo hæc media consistere cernuntur. Ex differentibus præterea dissimilibus que ædificandi rationibus animos nostros compluribus modis affici & commoueri experimur: cùm ad lætitiã hæc ædificia, ad tristitiã illa, ad horrorem alia, nonnulla ad admirationem, & quædam postremò ad Dei cultum ac pietatem nos frequenter inducant prouocent que. Corpora quoque nostra ex varijs ædificiorum positionibus atque collocationibus modò melius modò peius sese habere, quod ad valetudinem spectat, comperimus: prout ædificiorum ipsorum frontes lumina que vel ad salubres pestilentis que auras, vel ad Solis temperatos ardentis que radios, vel ad vaporum tenues concretos que halitus, vel ad fluentes demum stagnantes que aquas aspexerint. Ex quo Vitruuius perfectum omnibus que numeris absolutum Architectum, præter scientiarum complurium cognitionem, Medicinæ quoque primordia saltem degustasse volebat: ne in ijs, quæ ad humanorum corporum salutem attinent, propter Medicæ facultatis inscitiam incautus quandoque peccet. Ex hac igitur Architectonicorum operum diuersitate contingit, vt publica aut priuata, sacra aut prophana, urbana aut rusticana ædificia alias formas, alia genera, alias que demum distributiones sibi requirant: Necnon ædes aliæ Regibus, aliæ Tyrannis; aliæ doctis, aliæ militaribus viris; aliæ togatis Senatorij que ordinis, aliæ popularibus infimæ que manus, aliæ in amborum confinio constitutis mediæ que conditionis hominibus assignentur: Item aliæ probis de que Republica meritis, aliæ sordibus mundanæ que luci exosis accommodentur structuræ. Maximam quinetiam in Architectonicis operibus varietatem è proprijs finibus, quò ædificia ipsa referuntur diriguntur que, perspicere licet: cùm alia Curia, vbi Senatores de rebus maximis deliberant atque consultant, forma dispositio que tribuatur: alia Comitij, quò ciues ad suffragia pro magistratibus creandis ferenda accersuntur: alia Foro, vbi Rhetores causas tum de capite tum de fortunis hominum disertissimè pertractant; & vbi integerrimi iudices noxios



condemnant, infontes absoluunt, & suum vnicuique iustissimè reddunt atque distribuunt: alia Basilicæ, quò causidici, patroni, clientes, scribæque congregantur; & vbi priuata consilia, iudicia, arbitriaque exercentur: alia Aerario, quò publica congeruntur reponunturque; vectigalia: alia Naualibus, vbi nauigia instruuntur, maritimæ classes adornantur, ænea funduntur tormenta, militariaque demum instrumenta collocantur: alia Portui, quò triremes à ventorum vi tempestatumque vehementia in tutum sese recipiunt; & vnde onerariæ naues aut patrias familiaresque merces exportant, aut quò alienas ac peregrinas important: alia Theatro, vbi Scenici Histriones assidenti populo modò Comica, aliàs Tragica, Satyricaque nonnunquam poëmata peragere consueuerunt: alia Amphitheatro, quò ad crudelia ferarum gladiatorumque ad necem vsque depugnantium visenda spectacula frequentissimus populus confluebat: alia Circo, vbi equestria committebantur certamina; quadrigæque inter sese, quænam earum propositum spatium celerius transcurreret, contendebant: alia Palæstræ, vbi ex altera quidem parte Athletæ luctantes corpora artusque exercebant; ex altera autem Philosophi docendo, aliosque erudiendo, necnon inter sese disceptando ingenia mentesque exacuebant: alia Pinacothecæ, vbi Chyrographa, Syngraphæ, venditiones, emptiones, contractus, debitorum creditorumque nomina scripta asseruantur; necnon eodem quoque tabulæ pictæ, cælatum argentum, stragula vestis, signa, consimiliaque eiusmodi ornamenta reponuntur: alia Balneis ac Thermis, quæ moderato calore sudorem è membris eliciunt prouocantque, omnesque corporum sordes mundissimis aquis expurgant abluuntque: alia Bibliothecis, vbi præclara doctissimorum virorum volumina longo ordine disponuntur atque explicantur: alia demum Carceribus, vbi impij & nefarij homines ab aliorum contubernio seclusi separati que distinentur. Nec in compluribus tantummodo seiunctis que structuris, verùm in eadem met etiam æde maxima facultatis huiusce diuersitas perspicitur atque intelligitur: cùm ad singularem eadem aliquam conformandam absolendamque partes complures, vt cœnacula, cubicula, porticus, conclauia, triclinia, cellam vinariam, penuariam, coquinam, horreum, stabulum, fenile, cauædium, hortum, piscinam, columbariam, membraque alia consimilia concurrere videamus: necnon ostia, vestibula, scalas, fenestras, puteos, fornaces, stylobatas, columnas, fornices, testudines, speculas, conchas, pilas, antepagmenta, epistylia, zophoros, coronices, parietes, fastigia, pauimenta, & contignationes demum intueri ibidem licet. Quæ quidem omnia eam cum toto ædificio symmetriam proportionemque retinent, ut non sigillatim pedetentimque facta, sed cum toto vnà procreata, atque repente cum eo in lucem simul prodijisse haud immeritò iudicentur. Hinc quoque subtilis adeò minuta que in tot particulas columnationum distinctio effluxit, videlicet in plinthos, bases, toros, regulas, scotias, astragalos, fascias, simas, cymatia, strias, apophyges, echinos, volutas, hypotrachelia, fasciculos, triglyphos, metopas, semimetopas, guttas, denticulos, atque coronas. Haud secus etiam ex multiplici artis huiusce diuersitate quinque membris illa Architectonicorum operum in quinque videlicet ædificiorum genera, nempe in Tuscanum, Doricum, Ionicum, Corinthium, atque Compositum, distributio emanauit. Ex quibus patere id clarissimè arbitror, Architectonicam facultatem quam latissimè sese diffundere, & in immensum propemodum crescere atque eua-



gari: cùm nec situum diuerfitates, nec temporum vicissitudines, nec locorum discrimina, nec humanarum actionum differentes quauis ac dissimillimi fines ei aditum prohibere aut secludere queant. Quæ cùm ita sese habeant, & cùm ex superius à nobis adductis rationibus artis dignitas atque præstantia insuper elucescat: quisnam obtuso adeò Musisq̃ue auerso erit ingenio, qui vt eius mediocrem saltem nisi exactam omnino sibi comparet cognitionem, ipsi non libentissimè incumbat, inuigilet, insudetq̃ue? authoresq̃ue cunctos, qui in ea præstiterunt, non studiosè attenteq̃ue sibi legendos proponat? In qua quidem facultate etsi ex antiquioribus Vitruuium Pollionem, ex recentioribus autem Leonem Baptistam Albertum primas sibi vendicasse conspiciamus, haud in postremis tamen Sebastianus Serlius à nobis habendus enumerandusq̃ue erit: quemadmodum ex præsentis opere clarè percipi iudicariq̃ue potest. Vbi Geometriæ & Opticæ rudimenta, quantum Architecto satis fore iudicauit, breuiter dilucideq̃ue imprimis exponit: Necnon Romanas antiquitates deinde, nonnullis quoque recentiorum operibus in medium propositis, diligentissimè committitur: Quinetiam quinque ædificiorum genera modulosq̃ue latissimè deinceps profequitur, sacrarum ædium structuris in postrema sede nouissimè derelictis: breui præterea compendiosoq̃ue portarum tractatu quasi auctario quodam extra ordinem demum adiecto. Hæc autem omnia subtiliter adeò, doctè, ac eruditè à Serlio pertractata comperies, vt inter celebres præstantioresq̃ue ætatis nostræ Architectos haud immeritò eum vtique collocaueris. Bononiæ primùm ex obscuris humillimisq̃ue parentibus fuit hic prognatus. Pater, è cuius nomine familia appellationem postea deduxit, Serlius vocabatur, pauper ille quidem, & illiberalem sordidamq̃ue artem exercens: quemadmodum enim à nonnullis accepimus, pellibus consuendis tenuem quotidie miser senex inopemq̃ue sibi victum parabat: adeò vt filio hoc nomine profectò summus honos maximaq̃ue laus sit tribuenda, quòd ipse infimis ignotisq̃ue parentibus ortus, absq̃ue vllis maiorum stemmatibus ac imaginibus, vnus virtutis auxilio seipsum adeò nobilitauit, vt ad gloriæ & honoris apicem tandem conscenderit. Ad Architectonica studia animum deinde adiungens, Balthasarem Petruccium Senensem, præclarum quidem ac præstantissimum virum, nactus est præceptorem. A quo artis huiusce primis rudimentis acceptis, primisque imbibitis elementis, in ea adeò profecit; vt Petruccius cùm Serlium & maximo ingenij acumine præditum, & discendi mira cupiditate atque incredibili studio accensum cognouisset, sæpe sæpius hoc sibimet dicto blandiri consueuerit: se nempe de eo potissimum gloriari, quòd talem discipulum institueret ac erudiret, quem inter primos ac præstantiores Italiæ Architectos postmodum enumerandum fore animo prælagiret. Nec eum mehercle sua fefellit opinio: Quamprimùm enim Serlius natu grandior euasit, mox inter summos celeberrimosq̃ue temporum suorum Architectos emicuit. Quapropter à præclaris atque primarijs viris humaniter eum exceptum, liberaliterq̃ue pertractatum constat fuisse. Præterquàm enim quòd cum honestissimis familijs compluribus familiariter ille conuixit, ab ijsq̃ue sæpius est adiutus ac opibus subleuatus: Bayfio insuper, & Ruthenorum Episcopo, & Mompolerio, qui Francisci Valesij Christianissimi Francorum Regis apud Venetum Senatum varijs temporibus legati extiterunt, quamgratissimus fuit: necnon Alfonsi quoque Vastij Marchionis lætos complexus, Heroicamq̃ue liberalitatem



persensit. Marco quinetiam Grimano Patritio Veneto, Aquileiensiq̄ue Patriar-  
cæ, & amplissimo Cardinali iucundissimus erat: Necnon Andreas Gritus in-  
clytus Venetiarum Dux eum vnice diligebat. Pariter etiam Franciscus Maria  
Vrbinate Princeps ditionis, Venetarumq̄ue copiarum Præfectus summus ac Im-  
perator, Serlium miro prosequabatur amore. Et Carolus insuper Lotharingæ  
Cardinalis in eum summa vsus liberalitate memoratur: qui ex Italia in Galliam vi-  
rum secum abducens, Regemq̄ue præclaro aliquo munere sibi gratificari percu-  
piens, ante illum mox Serlium accersuit statuitq̄ue. Cuius virtutem Rex admira-  
tus & honorificentissimis verbis profecutus, Regij Architecti nomine ac dignita-  
te eum quamprimùm condecorauit: liberaliq̄ue stipendio ascripto, ad Fontem  
Bleium, quem Rex pulcherrimis sumptuosissimisq̄ue ædificijs sibi exornandum  
propofuerat, statim illum, vt virtutis suæ ostendendæ latissimum campum & ma-  
teriam insignem haberet, dimisit. Quapropter Regem liberalium artium indu-  
striorumq̄ue opificum custodem atque tutorem, vt in Sebastianum Serlium animi  
sui studium propensionemq̄ue declararet, in eius filium ex satis locupletibus co-  
piosisq̄; redivis beneficiū nonnulli affirmant contulisse: Etsi miser adolescens  
ineuitabili fato extinctus, immaturaq̄ue morte præreptus, Regio munere haud  
diutius frui potiriq̄ue valuit. Hisce exemplis Nauarræ Regina Regis ipsius soror  
excitata atque commota, fratrisq̄ue vestigia sibi sequenda proponens, Serlio ipsa  
quoque annum stipendium assignauit atque persoluit. Quamobrem cum bonus  
senex in Gallia & ab aulæ Principibus, & à Rege ipso, & à Regina insuper Regis  
sorore sese diligere, amari, præmijsq̄ue affici cumulariq̄ue perspexisset; Philosophi  
dictum illud (Vbi bonum, ibi patria) sibi obseruandum ratus, nec Italiæ prouin-  
ciæ nec Bononiæ patriæ reuiscendæ in posterum ulla eum cura momordit: sed in  
copiosissimo Galliarum Regno oculos claudere, extremumq̄; diem obire ibidem sta-  
tuit; etsi ab æmulis atque obtrectatoribus, qui virtutem in peregrino præsertim  
homine odisse insectariq̄ue consueuerunt, ad desperationem ferè nonnunquam re-  
ductus fuisset. Obijt igitur anno ætatis suæ septuagesimo, anno à Christi aduen-  
tu millesimo quingentesimo quadagesimo sese vertente. Quod ad corporis atti-  
net dispositionem, erat Serlius quidem breuiori statura, satis autem venusta &  
composita facie; lætiq̄ue imprimis oculi, viuaces, arguti, ac splendidi in vultu ei  
colucebant: Quod ad animi dotes deinde moresq̄ue pertinet, ingenio acri, ce-  
leri, atque versatili traditur ille extitisse, discendi autem præ cæteris percupido,  
nec unquam ad saturitatem expleto; in operibus perficiendis maxima, & incredi-  
bili propemodum utebatur diligentia: Verùm impotenti mordaciq̄; lingua adeò  
nonnunquam esse consueuerat, ut nimia hæc in loquendo libertas odium & inui-  
diam quandoq̄; ei conciliauerit atq̄; conflarit. Pictoribus quidem, Sculptoribus,  
& Architectis quamplurimis, iisque præstantioribus maxima coniunctus necessi-  
tudinibus tenebatur: at Titiano, celeberrimo utique Pictori, & quem alterum Apel-  
lem tempestate nostra haud iniuria quispiam appellauerit, gratissimus pariter &  
iucundissimus esse solebat. Præsens autem Architecturæ opus in quinque volumi-  
na à Serlio distributum apparet: at varijs temporibus deinde & compluribus  
vicibus, & ordine quasi inuerso ac perturbato ab eodem illud constat impressum  
fuisse. Quartum enim librum de quinque ædificiorum generibus pertractantem:  
in lucem præmisit: Deinde tertium Romanas antiquitates percurrentem dime-  
tientemq̄;



tientemque promulgauit. Et hæc duo volumina ab authore in Italia commorante perfecta absolutaque fuerunt. Postmodum ipse in Galliam à Rege accitus ac euocatus duo priora volumina, alterum de Geometria, alterum de Optica facultate Architecturæ studiosis communicauit. Postremò de sacris ædibus volumen ad communem omnium vtilitatem imprimendum curauit. De extraordinario verò portarum libello haud hic mentionem habemus, quoniam extra seriem & ordinem aliorum voluminum constitutus ille videtur. Verùm quoniam Serlius Latinam linguam non exactè adeò firmiterque tenebat, vt præsens opus latinarum literarum monumentis consignare ausus fuisset; idcirco Italica & vernacula lingua illud conscripsit. Quapropter cùm prouincias & nationes quamplurimas, quibus nostrate hoc Idioma in vsu minimè esse conspicitur, præclaro hoc opere propter linguæ ignorationem priuari defraudarique intelligeremus: ne intra angustos Italiae fines perpetuò conclusum & quasi angustissimo carcere comprehensum detineretur, sed per cunctas Europæ regiones quamlatissimè discurrere expatiarique posset, idcirco in Latinam linguam nos illud redegimus atque transtulimus: quemadmodum superiori etiam quadriennio Leonis Hebræi Neapolitani diuinos illos, quos author ipsemet Italicè item conscripserat, de Amore Dialogos ad satis aptam, ni fallor, commodamque traduximus latinitatem. Nec terminorum quippe nouitas, nec sententiarum varietas, nec diuersitas modulorum, nec aliæ difficultates complures, quæ in Serlianæ Architecturæ huiusce translatione frequentissimæ certè occurrerunt, à præclaro eiusmodi incepto reuocare nos vnquam seu abducere potuerunt. Quinimo studiosorum pro viribus inferuientes vtilitati, nec animi laborem, nec corporis detrimentum, nec mentis defatigationem, nec virium diminutiones, nec vllas fortunæ minas demum, vt susceptum negotium perficeremus, quicquam duximus pertimescendas: Quam quidem (Deum testem adducimus) in operis huiusce conuersione, prout humanarum rerum perpetua est vicissitudo instabilisque conditio, tam nobis infestam & aduersam quam aliàs vnquam persensimus. Quinetiam id nobis certò persuademus, quòd illa ad perniciem & ad interitum vsque nos infectata fuisset; nisi Deus, clementissimis oculis conuersis, & ærumnarum calamitatumque nostrarum miseratione contactus, minacis fortunæ horribiles impetus inimicaque tela repulisset perfregissetque. At cùm diuina bonitas, ventis nequicquam reflantibus marique frustra sæuiente, post diuturnam periculosamque nauigationem in tutum satis tranquillumque portum nostras hæc vigilias perduxerit; & cùm nos insuper accepti memores beneficij, nostram in Deum interiorem reconditamque pietatem exteriori etiam aliquo argumento cæteris testari patefacereque velimus: nulla opportuniore magisque accommodata ratione, quam tibi, **AMPLISSIME ANTIISTES**, lucubrationes hæc, quæcunque eæ extiterint, dedicantes propositum nostrum assequi certè potuimus. Tibi nanque diuinas cunctas humanasque fœlicitates, quarum mortalis conditio capax fieri posse videtur, inesse omnes intelligunt. Tu Venetijs, celebri splendidissimaque toto orbe terrarum ciuitate, quæ mille & complures insuper annos libertatem suam incorruptam seruauit, prognatus fuisti. Tu natalium dignitate, & maiorum parentumque nobilitate quammaximè clares. Tu fortunæ bonis locuples inprimis & copiosus haberes. Tu validis es corporis viribus instructus, firmaque membrorum viges compositione. Tu, Italiae singulis partibus perlustra-



tis, ne non extra Italiam longinquis quoq; regionibus peragratis studiosissimeq; conquisitis, rerum humanarum humanarumque actionum usu quammaximè præstas. Tu in studijs, sacris præsertim, mirificè profecisti, scientiarumque complurium exactam & exquisitissimam cognitionem adeptus videris. Tu synceros optimosque mores, & præclaras insuper ac singulares virtutes affecutus fuisti. Te Deus Optimus maximus ad sacrosanctam Episcopalis muneris dignitatem sibi delegit: quam rectè sancteque adeò à te administrari omnes intelligunt, ut imitandi locum potius relictum, quàm spem eòdem perueniendi cæteris exhibitam fateantur. In te denique, præter sobrium, castum, & inculpatum viuendi genus; Theologicæ tres illæ virtutes, certissima nempe fides, firmissima spes, & flagrantissima charitas à Paulo tantopere celebratæ emicant atque refulgent. Quapropter cum tibi Deus tot fortunæ, corporis, animi, mentis, spiritusque bona imparierit; cumque præterea vni Deo te ipsum, tam interiorem quàm exteriorem, totum consecraueris atque deuoueris: haud mirum profectò cuiquam videbitur, si nos diuinæ benignitati, quæ, fortuna reclamante, ad exoptatum vigiliis hæc nostras finem perduxit, vota iam concepta persolvere aggredientes; præter piam ac sempiternam accepti beneficii memoriam, exteriori hoc signo cæteris quoque patefacere aperireque illam decreuimus: nempe ut integerrimo alicui, diuinoque numini propter vitæ sanctimoniam gratissimo & dilectissimo viro, qualem te esse cognouimus, nostras hæc lucubrationes, nunc dono transmitteremus. Læto igitur ac hilari animo præsens munus **AMPLISSIME** accipe **ANTISTES**, te, qui grauioribus Philosophiæ atque Theologiæ studijs animum applicuisti, indignum fortasse, at cuiusmodi saltem vires nostræ imbecilliores tibi in præsentia tradere offerreque potuerunt: Quæ validius robur, ut spero, maioremque firmitatem indies adeptæ, certioribus argumentis, siquando usus exoptularit, animi nostri in te studium atque obseruantiam omnibus palàm facere testificarique conabuntur. Vale.



# AD CHRISTIANISSIMUM GALLIAE REGEM

FRANCISCUM VALESIVM,

SEBASTIANVS SERLIUS.



*ENEROSISSIME ac Potentissime Rex, Cùm superioribus annis, quanquam assiduis bellorum motibus defatigatus, in omnes tamen praclaros & illustres opifices Regiam illam tuam liberalitatem atque munificentiam exerceres; meq̃, inprimis apud te commorantem, annuis stipendijs collatis; liberaliter & splendide pertractares (quod quidem Heroicum institutum praestantissimam deinde, tuiq̃, studiosissimam Navarra Reginam in hodiernum diem usque persecutam fuisse videmus.) Ego mehercle ne otio torperem, quod reliquum temporis à consuetis laboribus atque vigilijs supererat, in hac volumina conscribenda distribuendum esse iudicavi: quae mihi in Italia plurimis, Deum testor, olim difficultatibus circumuento ne attingere quidem licuit. Verùm quamprimum duos hosce libros me nunc absoluisse iam sensi, tibi uni tanquam acerrimo studiosorum omnium defensori atque propugnatori eos dedicandos esse existimaui. En igitur tibi praestantissime Rex duo illi libelli de Architectura principijs pertractantes, à meq̃, iandiu ad communem mortalium cunctorum utilitatem excogitati ac destinati: qui quidem in Fontis Bleij solitudinibus tanquam exigua quadam ingenij nostri monumenta sati procreatiq̃, fuerunt. In primo flosculi nonnulli elegantiores ex Geometria, facultate nimirum Architectura quammaximè necessaria, leguntur ac decerpuntur. In secundo autem complura Optices ipsius problemata ac theoremata, quae Architecti operibus inprimis conducunt, dilucidè, ni fallor, explicantur, uberrimeq̃, demonstrantur. Quae quidem munera à tui iampridem amantissimo atque studiosissimo Sebastiano tibi quasi diuino cuidam numini oblata a quo ac hilari animo Rex accipe, hisque nunc contentus acquiesce: donec insignem aliquam in posterum naçti occasionem, nostrum in te studium ac pietatem certioribus signis*



signis & illustrioribus argumentis patefacere, & tuorum in nos meritorum cumulum ac magnitudinem aliqua saltem ex parte equare & assequi valeamus. Tibi autem interea fortissime Rex & longam incolumitatem, & diuturnam felicitatem exopto: cui quidem ut alacriter inservire queam, Deus mihi & vires subministrare, & opem suppeditare perpetuo dignetur. Vale.



# SEBASTIANVS SERLIVS

PLACIDO AC BENIGNO LECTORI.



**N**E VLLAM obsecro, Candidissime Lector, capias admirationem, quòd in horum librorum de Architectura pertractantium acie, vt ita dicam, instruenda quartum primò, mox tertium in lucem ediderim. Nec enim hic ordo à me obseruatus, quasi inuersus aut præposterus, dammandus esse videtur. Nanque si à principio statim Geometricum hunc libellum tanquam cæterorum omnium breuissimum edidissem: cum neque lineares descriptiones, neque commentationes ipsius, quanuis necessariae existunt, ea voluptate studioforum animos oculosque perfundant, quæ ex designationibus & commentationibus Architectonicis percipi solet; nimirum in ipsomet vestibulo offendissem, & auditoris animum à sedula attemptaque operis lectione reuocassem. Cui deinceps si τῶν ὀψικῶν librum agglutinassim, propter commentationum illarum difficultatem in eandem propemodum reprehensionem incidissem, altera insuper adiuncta, quòd prius rerum conficiendarum modus ac ratio, posterius autem earum iam confectarum ad visum atque prospectum accommodatio tum à præceptore docenda, tum etiam à discipulo addiscenda esse videtur. His igitur alijsque rationibus adductus, quartum librum primò communia præcepta ad quinque ædificiorum genera quammaximè necessaria complectentem, mox tertium antiquitatum complures formas atque diuersas species recensentem, imprimendos esse curauim. Vbi, præter complurium ædificiorum iucundas descriptiones & elegantes prospectus, illud inprimis diligenti scriptorum picturarumque animaduersione consequi possumus: vt iudicium &, vt ita dicam, oculum quendam interiorem nobis acquiramus; quo in operibus venustatem ac symmetriam à turpitudine atque inconcinnitate discernere, & hanc quidem effugere, illam autem prosequi valeamus. Veruntamen vt promissa, studiosissime Lector, à nobis iandiu tibi debita modò soluantur; libellum hunc Geometricum, compendiosum illum quidem, at sententiarum profectò vbertate refertum, nunc tibi impertimus atque communicamus: Cui alterum, vt Græci appellant, τῶν ὀψικῶν, vt nos, Prospectuum, deinceps subiunximus. Atque hæc duo volumina duobus alijs, quæ iam superioribus annis edidimus, adiuncta ad quaternarium numerum conscendunt. His autem quatuor libris quintum etiam, Deo annuente, me breui additurum esse confido: in quo templorum varia genera dissimilesque formas, & proprias insuper eorum mensuras, singulis quibusque sacrarum ædium partibus diligenter consideratis, tum Ichnographicè, tum etiam Orthographicè prosequemur. Quæ quidem omnia non solum luculenta explicabimus oratione, verum etiam artificiosis & accommodatis descriptionibus adhibitis eadem oculis tuis clarissimè subiiciemus. Vale.





# DE MAXIMA GEOMETRIAE AD OPIFICES OMNES ARCHITECTOSQUE PRAESERTIM UTILITATE.



*U* *A* *M* necessaria cuicumque artificum ordini & conditioni certissima illa facultas, quam Geometriam appellant, existat: qui diu scientiæ huius ignari opera sua construxerunt, paulopost autem vel ab alio admoniti, vel ipsimet erratum suum agnoscentes aliquam tam præclaræ artis sibi cognitionem compararunt, tanquam locupletissimi testes confirmabunt. Ipsi nanque, quæcunque opera tum excogitata tum elaborata ab eis Geometriæ lumine destitutis olim fuerunt, nec artificiosè nec affabrè, sed temerè potius & inconsultò confecta fuisse syncerè pronuntiant. Cum igitur Architectura, profundissima nempe admirandaque facultas, complures scientias artesque liberales ambitu suo complectatur: Architectum nisi perfectè omnibus instructum, at singularum, principiorumque in primis mediocri saltem cognitione imbutum esse oportet. Neque complures lapidum, calcis, & pretiosorum insuper marmorum consumptores, qui tempestate nostra Architecti nomen auctoritatemque præferunt, imitari debemus; qui quidem nec quid punctus, nec quid linea, nec quid planum, nec quid corpus, nec quid proportio aut symmetria existit, percontanti respondere explicare uel queunt: Verùm falsa quadam opinione & blanda oculorum illusionem decepti, aliorum Architectorum eis consimilium opera sibi imitanda proponunt. Ex quo fit, ut pleraque ædificia proportionis & symmetriæ expertia passim à nobis conspiciantur. Quapropter id, quod supra asseruimus, cuilibet iam patere elucereque potest, nempe Geometriam ueluti vestibulum quoddam ad omnes artes liberales faciles aditus, expeditosque ingressus studiosis præstare. Quam quidem excellentissimam facultatem summis tantummodo labris, ut aiunt, ab Architecto degustandam censeo, ut ipse operum suorum rationem & causam statim promptè reddere possit. Nec enim ego, quemadmodum Euclides, recondita scientiæ huius theoremata, & arcana mysteria hic aperire aut explicare decreui: Verùm si flosculos nonnullos tantum ex delicijs Geometricis collectos contexuero, nonnullasque insuper demonstrationes, diuersasque linearum sectiones, res quidem captu facillimas, quam breuissimè potero, explicuero, descriptionibus quoque propter maiorem addiscentium facilitatem utilitatemque passim insertis, quam cumulatisimè muneri meo me satis fecisse existimabo.



# SEBASTIANI SERLII DE GEOMETRIA

## Liber Primus,

A IOANNE CAROLO SARACENO  
ex Italica in Latinam linguam nuper translatus.



CIENTIAR omnes, Mathematicarumque præsertim, antequam problematum suorum constructiones aggrediantur, terminorum nonnullorum, qui aliquam forsitan incipientibus obscuritatem inducere possent, significationes patefacere consueverunt. Quapropter nos quoque, cum in hoc primo libro Geometricas nonnullas commentationes demonstrationesque simus exposituri, complurium uocum, quarum frequentissimus erit usus, antea uim intelligentiamque recludemus: ne earum ignorantio quasi atra nubes cæcas obscurissimasque operi nostro quandoque tenebras offundat. Ut igitur rectè Methodicè; incedamus, à Puncti tanquam simplicissimi cuiusdam principij explicatione exordientes, Punctum siue Signum, quod Græci σημειον appellant, cuiuscunque diuisionis ac partitionis penitus expers esse dicemus.

### PUNCTVM.


Linea, Recta præsertim, quam Græci *εὐθεία γραμμή* uocitarunt, est à puncto ad punctum per longitudinem solam citra latitudinem ullam æquabilis perpetuaque protensio.

### Linea.



Lineæ Aequedistantes, Græcè *παράλληλοι*, ex nempe dicuntur, que idem interuallum, eandemque prorsus intercapedinem inter sese ubique seruare retinereque conspiciuntur.

### Parallææ aut Aequedistantes.



Superficies, quæ Planum quoque & Area à Latinis, à Græcis autem *ἐπιπέδον* appellari consuevit, longitudine & latitudine simul absque ullo omnino profunditatis uestigio insignita esse definitur.

### Superficies.



Angulus, Græcè *γωνία*, ex mutuo duarum linearum contactu, altera earum in alteram inclinata, confurgit.

### Linea ad perpendicularum siue perpendicularis.

Angulus re-  
ctus siue ad  
normam re-  
spondens.

Angulus re-  
ctus siue ad  
normam re-  
spondens.




Angulus Rectus, Græcè *ὀρθή γωνία* nuncupatus, ex linea alteri lineæ ad perpendicularum insistente, quæ *κάθετος* dicitur, originem suam deducit.

Quòd si Linea insistens ad unam propius quam ad alteram partem lineæ subiectæ uergerit atque inclinauerit, ita ut hinc & illinc duo impares anguli sese proferant atque confurgant, alter quidem recto maior, alter uerò eodem recto minor: minor quidem Acutus, & *ὀξεία γωνία* maior autem Obtusus, & *αμβλύα γωνία* propriè nuncupandus uidetur.

Angulus acutus seu  
recto minor.

Angulus obtusus  
seu recto maior.






Angulus planus pyramidalis,




Angulus Planus, atque in Pyramidis formam constructus, quem Græci *ὀπίπεδον καὶ πυραμοειδέα γωνία* appellarent, angulus quidam acutus existit, qui a duabus rectis longitudine æqualibus, quæ ab eodem signo deductæ latius semper latiusque se iunguntur, conficitur ac procreatur.

Triangulum Aequilaterum,




Triangulum Aequilaterum, Græcè *ἰσόπλευρον*, tribus lateribus se se mutuò contingentibus, longitudineq; comparibus; & tribus item acutis & æqualibus angulis comprehenditur ac terminatur.

Triangulum duorum æqualium laterum,




Triangulum duorum æqualium laterum, Græcè *ἰσοσκελές*, etsi tum orthogonium, tum oxygonium, tum demum amblygonium ad libitum nostrum confici possit; tamen propria quadam peculiarit; ratione duabus rectis longitudine paribus, quarum una alteri perpendiculariter insistit, & tertia utraq; earum longiori circumscribitur ac definitur: in quo quidem triangulo alter angulorum rectus, reliqui autem duo æquales acutiq; proculdubio existent.

Triangulum trium laterum inæqualium.



Triangulum trium laterum inæqualium, Græcè *σκαλιών*, etsi ipsum quoq; non secus atq; Isosceles pro trium angulorum diuersitate trifariam diuidi possit: propriè tamen a nobis hic sumptum atq; consideratum tribus rectis longitudine differentibus, & tribus item inæqualibus angulis, altero quidem obtuso, reliquisq; duobus acutis designabitur & concludetur. Et hac ratione tres species triangulorum ex uaria laterum dispositione emanantes cum tribus item eorundem triangulorum speciebus ex diuersitate angulorum deductis perbellè consociasse uidemur, æquilaterum uidelicet ad oxygonium, isoscelem deinde ad orthogonium, scalenumq; postremò ad amblygonium redigentes.


Quadrangula superficies inæqualium laterum.



Superficies Aequedistantium laterum, Græcè *παράλληλόγραμμον*, ea nempe esse dicitur, quæ quatuor lateribus comprehenditur, quorum duo quæq; opposita inter sese comparata eandem ubiq; distantiam, eandemq; prorsus intercapedinem seruant.

Superficies quadrangula inæqualium laterum, Græcè *τραπέζιον*, figura quædam quatuor lateribus longitudine imparibus comprehensa appellatur: quæ uel duos obtusos, duosq; acutos angulos; uel unum rectum, ex reliquis tribus modò duobus obtusis, postremoq; acuto; modò contra duobus acutis, tertioq; obtuso existente; uel quacunque alia ratione dispositos angulos indiscriminatim habere solet.

Rhombus.



Rhombus, Græcè *ῥόμβος*, ex quatuor lateribus longitudine æqualibus, duobus acutis duobusq; obtusis existentibus angulis, tanquam ex terminis constituitur; quæ quidem figura a piscis cuiusdam similitudine Rhombi sibi uendicauit appellationem: Necnon Amygdala quoque a nonnullis, propterea quòd Amygdalæ speciem præferebat, fuit cognominata. Hæc autem Rhomboica siue Amygdalaris figura, sola angulorum ipsorum directione, ad quadrati elegantiam atque formositatem quamprimum redigi possit.


Figura plurium & inæqualium laterum, Græcè *ἑξάγωνον καὶ ἑπτάγωνον*, ea nimirum a Geometris esse definitur, quæ pluribus lateribus in unum compulsis & congregatis, longitudineq; inter sese differentibus cingitur atque concluditur. Quamuis autem præfens figura tanquam exemplum quoddam hic a nobis apposta septem lateribus inæqualibus, septemq; obtusis angulis instructa conspicitur: aliæ tamen quoq; complures figurarum species tum maiori tum minori laterum numero circumscriptæ poterunt designari, eaque ratione formari, ut nonnullæ partes quidem angulorum acutie deprimantur, nonnullæ uerò immodica eorundem extensione attollantur, nonnullæq; demùm ipsorum angulorum rectitudine ad perpendicularum & exactissimam regulam dirigantur. Quamuis autem ratione huiuscemodi multiplices polygonicæ figuræ, quæ diuersis earum prospectibus, uarijsq; ipsarum collocationibus Architecto negotium facessere solent, ad quadrati perfectionem atque formositatem redigantur, sub calcem primi huiusce uoluminis rei istius explicationem differemus.

Figura plurium & inæqualium laterum.



Superficies plana curuilinea biangulaq; duabus curuis & orbicularibus lineis terminatur. Quæ quidem figura ad ea, quæ in præfenti uolumine a nobis postea dicentur, quamplurimum profectò conduceret; necnon ex ipsa absolutissima norma, regulaq; deducetur; hincq; nimirum arcuum nonnullorum, quos recentiores satis inepto uocabulo tertios acutos appellant, species effluxit: quam quidem & ostijs, & arcibus, & fenestris impressam & aptatam ubique nobis conspiciere licet.

Superficies plana curuilinea atq; biangula.



Circulus, Græcè *κύκλος*, est plana quædam perfectissimaq; figura unica tantùm linea circumscripta, quæ circumferentia, ambitus, siue corona a Latinis, à Græcis autem *περιφέρεια* uocatur: in cuius medio iacet punctum, a quo omnes rectæ ad circumferentiam eductæ æquales existunt. Punctumq; illud intermediū Centrū a nobis, itemq; a Græcis *κέντρον* appellatur. Diameter autem siue Dimetiens circuli, Græcèq; *διάμετρος*, recta quædam ab uno circumferentiæ puncto ad punctum oppositum per medium centrum extensa nuncupatur, quæ integrum circulum in duos æquos semicirculos separat atq; distinguit. Vnde in quocunq; perfecto absolutissimoq; circulo tria hæc nuper commemorata tanquam præcipua insignioraq; centrum uidelicet, circumferentia, atq; diameter, considerari frequentissimè solēt.



Circumferentia.  
Centrū.  
Diameter.

Semicirculus, Græcè *ἡμικύκλιον*, dimidia circuli ipsius portio esse definitur: in qua linea a circumferentiæ apice ad diametrum in perpendiculari morem deducta, eamq; in centro contingens duos angulos rectos ex utraque parte conficere, totumq; diametrum in duos semidiametros profcindere, necnon ipsa quoque semidiametri munere officioq; fungi uidetur.

Semicirculus.



Angulus rectus.

Quadratum perfectum.










Quamprimum

Quadratum, Græcè *τετραγώνον*, plana, & perfecta quædam existit figura, quaternario tum æqualium laterum, tum etiam rectorum angulorum numero circumscripita.



Quamprimùm autem Architectus rerum hucusq; dictarum cognitionem ac intelligentiam fuerit affectus, haud hic profectò consistere, uerùm ulterius quoque proficisci & progredi debet; eiq; in primis incumbere, ut superiores figuras & augere, & diminuere, & partiri, proportionis semper diligenti habita ratione, optimè calleat: necnon quamcunq; formam figuramq; imperfectam ipsi propositam, eademmet arca atq; capacitate seruata, ad perfectionem ei conuenientem promptè expediteq; redigere sciat.




Primùm igitur, quod ad figurarum spectat conduplicationem, quadrati perfecti conduplicatio hac ratione conficienda uidetur. Proponatur nobis perfectum absolutumq; Quadratum ABCD, quatuor nempe lateribus inter sese æqualibus, & quatuor angulis rectis distinctum ac comprehensum; protrahaturq; ab angulo A ad angulum oppositum D diagonalis linea AD: ex hac linea statim quadratum maius quadrati propositi duplum procreabitur atq; confurget. Et ecce tibi huiusce rei manifesta compendiosaq; demonstratio. Cùm quadratum minus, protracta linea diagonali, in duo æqua trigona resoluitur; & cùm Quadratum maius, duabus productis diagonalibus, quatuor trigona duobus prioribus, singula singulis nimirum æqualia contineat & comprehendat; ex trigonorum utiq; conduplicatione sequitur etiam conduplicatio quadratorum: quemadmodum ex duarum figurarum G & H hic appolitarum inspectione atq; dimensione unicuique perspicere licet.


Eadem quoque propemodum ratione circulorum conduplicatio inuestiganda inueniendaq; uidetur. Proponatur circulus minor perfecto quadrato ABCD undequaque conclusus & circumseptus: Exterius deinde eo adhibito artificio circulus maior circulo minori concentricus designetur, ut ipse quatuor angulos quadrati ABCD ubique contingat: Circulum hunc maiorem minoris duplum esse hac ratione concludo. Cùm circulus minor in quadrato ABCD collocetur, itemq; maior in quadrato CBEF resideat: cùmque quadratum maius, ut ex superioribus deduci potest, minoris duplum existat: Circulum quoque maiorem, si cum minori conferatur, duplum eius esse consequitur: quemadmodum ex duorum circulorum K & L separatim designatorum collatione quiuis percipere ualet. Hincq; nimirum Vitruuius Tuscanæ basis ab eo tam eleganter descriptæ proiecturam prominentiamque desumpsit. Necnon ex eodem fonte Vitruuiana illa demonstratio effluxisse emanasseq; uidetur, cùm ex operum proiecturarumque, quæ solido fundamento innituntur, conduplicatione ipsamet etiam fundamenta conduplicanda esse concludit.

His iam peractis & absolutis Architectum eò promouendum arbitramur, ut triangulas figuras in quadrangulas primùm, mox in quadratas tanquam perfectissimas conuertere permutareq; sciat: cuius quidem rei perficiendæ complures modos, multiplicesque rationes in medium nunc proferemus. Primùm igitur triangulo æquilatelo ABC proposito, diuidatur basis BC in duas æquas portiones, fiatque sectio hæc siue diuisio in puncto E: Mox à uertice A ad signum E deducatur linea AE, quæ triangulum æquilaterum ABC à principio propositum


propositum in duo triangula  $ABE$  &  $AEC$  æquilatera æquiangulaque, & idcirco æqualia nimirum profcindet. Deinde æqualium horum triangulorum duorum alterum, uerbi causa  $AEC$  alteri, scilicet  $ABE$ , in quadranguli formam aptetur atque adiungatur, parallelogrammo  $ABDE$  extracto ac figurato. Quod quidem parallelogrammum  $ABDE$  cum citra ullam controuersiam triangulo æquilatero  $ABC$  existat æquale, sequitur nos scopum & finem iam nobis propositum attingisse, & triangulam ad quadrangulam superficiem denique redegeisse.




Alia quinetiam ratione trianguli propositi sectio, eiusque in parallelogrammum conuersio effici potest. Esto triangulum  $ABC$ , ut supra, æquilaterum; seceturque tum latus  $AB$  tum latus  $AC$  in duas partes æquales,  $AB$  quidem in puncto  $F$ ,  $AC$  uerò in puncto  $G$ ; protrahaturque per ambo incisionis signa,  $F$  scilicet &  $G$ , perpetua linea  $DFGE$ , quæ basi trianguli propositi  $BC$ , à qua æquè distat, æqualis quoque ponatur: hæcque duæ æquales & æquedistantes lineæ duabus item æqualibus & æquedistantibus lineis, uidelicet  $DB$  &  $EC$ , coniungantur: Exterius deinde triangulum  $AFG$ , linea  $AK$  lineæ  $DE$  ad perpendicularum insidente, in duo  $H$  &  $I$  æqua triangula resolua-tur. Cum igitur duo triangula  $DFB$ , &  $GEC$  tum inter sese, tum etiam duobus triangulis  $H$  &  $I$  æqualia prorsus existant, sicut ex 4. 15. & 26. primi elementorum deduci optimè potest: ut communifimi illius pronuntiati (Si æqualibus uel eidem potius æqualia insuper addantur, tota quoque æqualia fore) irregulari superficie  $FGBC$  utrobique adiecta, consequitur tandem parallelogrammum  $DEBC$  triangulum æquilaterum  $ABC$  iam nobis propositum area & capacitate omnino adæquare.




Proponatur deinde triangulum rectangulum duorum æqualium laterum tertio latere reliquorum utroque maiore existente, & singula latera bifariam in duas partes æquales diuidantur, deducanturque ab oppositis angulis ad singula incisionum puncta tres lineæ; integrum triangulum in duo æqua triangula hac ratione undequaque erit diuisum: cuius quidem rei exemplum ex triangulo  $PQR$  descripto percipere optimè licet. Hoc autem haud in isoscele rectanguloque tantummodo, sed in cæteris quoque triangulorum omnium speciebus uerissimum esse comperietur.



Verùm idem triangulum  $PQR$  ad quadrangulam superficiem hoc pacto etiam redigetur. Diuidatur linea  $PQ$  in duas partes æquales, necnon linea  $PR$  in duas æquas item portiones secetur; producaturque per ambo incisionum signa linea  $SV$ , quæ usque ad  $T$  extensa æquæ longitudinis cum basi  $QR$  trianguli propositi constituatur; deducaturque postremò à  $T$  ad  $R$  perpendicularis linea  $TR$ . Cum in descripta figura triangula  $PSV$  &  $VTR$  æqualia existant, irregulari figura  $SVQR$  utrique communiter addita, isoscelem triangulum  $PQR$  nobis propositum  $STQR$  quadrangulo æquum prorsus existere necessariò tandem colligitur.



Proponatur demùm triangulum amblygonium trium laterum inæqualium  $ABC$ , ipsum quoque haud aliter quàm superiores triangulorum species ad quadrangulam, & in longius productam superficiem reducetur. Diuidatur nanque tum latus  $AB$  tum latus  $AC$  in duas partes æquales, transuersa; per ambo incisionum signa extendatur linea  $FG$ , quæ ex utraque parte continuata basi  $BC$  trianguli propositi æqualis reddatur: hæcque duæ lineæ  $DE$  &  $BC$  æquedistantes & æqua-




A 3 les duabus




# G E O M E T R I A E.


les duabus pariter æqualibus æquedistantibusque lineis DB & EC connectantur : Exterius deinde triangulum AFG, linea AH supra lineam FG ad perpendicularum sese attoilente, in I & K duo minora impariaque triangula abscindatur. Cum triangulum GEC triangulo K, necnon triangulum DFB triangulo I æquale prorsus existat; irregulari superficie FGB C utrobique communiter adiecta, scalenum triangulum ABC à principio iam designatum parallelogrammo DEBC nouissimè extructo æquum omnino existere perbellè declaratur.



uifi in quadrangulas superficies primùm, & has in quadratam aream postremò redigito, & hac ratione ueritatem adinuenito. Huiusce autem metamorphoseos conficiendæ modum ac regulam paulopost subiungemus.




punctis tantummodo designata : Postmodum BC linea in signo D in duas æquales partes diuisa, à D ad A linea altera subobscura producat, quæ quidem DA nuncupetur. Hæc linea DA etsi triangulum ABC in duo æqualia spatia fortasse distinguit, at tamen ad rem nostram facere nequaquam uideatur. Ut igitur scopum nobis propositum assequamur, à signo D ad latus AC linea quædam subobscura, quæ ab ipsa AG linea æquè distet, producat, atque DE uocetur : Demùm ab ipso G fonte puteo uel ad E linea GE patens continuaque extendatur. Hæc linea GE cum & triangulum ABC in duas æquales partes seiungat, & ad aquas hauriendas absque alterius impeditioe commodissimum aditum utrique parti concedat, ad propositum nostrum mirificè confert. Quòd si quis fortè hesitauerit, ambas trianguli portiones ad quadrangulas primùm, moxq; ad quadratas superficies reducat, & ueritatem manibus ipsis propemodum, ni fallor, contingeret : quemadmodum & supra admonuimus, & iamiam huiusce conuersionis peragendæ rationem modumque explicabimus.





Quonam artificio tum quadrata & circularia plana cõduplicari, tum etiam diuersæ triangulorum propositorum species secari ac diuidi queant, dilucide iam interpretati fuisse uidemur. At Architectus superioribus nondum contentus illud inprimis assequi cupiet, ut magnitudinem omnem propositam quoquoersus augere; & perfectum insuper absolutumque quadratum, quacunque parte ei oblata, amplificare; atq; ut summatim complectar, quælibet ei occurrentia quacunque proportionis specie multiplicare, maioraque reddere calleat. Studiosorum igitur uoluntati pro uiribus morem gerere, honestissimisque eorum postulatis satisfacere contendamus. Esto Quadratum minus ABCD, quod in Quadratum maius, cuius area prædictum quadratum, tribus quartis insuper adiectis, contineat, transferre permutareque liber. Primùm quidem tres illæ quartæ, quæ supersunt, quadrato ABCD iuxtaponentur, & parallelogrammum ED separatim constituent, ita ut totum

ut totum postea ac integrum parallelogrammum  $A E C G$  Quadratum propositum, tribus eius quartis insuper adiectis, complectatur. Si autem integrum hoc parallelogrammum ad quadrati perfectionem atque elegantiam redigere uoluerimus, alterum quadratum quadrato priori  $A B C D$  æquale cum parallelogrammo  $A E C G$  continuabitur & coniungetur, quod quidem  $E F G H$  dicetur: Deinde lineæ totius  $A F$  medio signo notato, circa ipsum quasi centrum semicirculus circunducatur, qui ambas  $A F$  lineæ extremitates contingat; Lineaq;  $D B$  ad arcum usque semicirculi producat: Partem huiusce lineæ à  $B$  ad circumferentiam usque semicirculi extensam esse latus quadrati quadrato superiori  $A B C D$ , tribus eius insuper quartis adiunctis, æqualis asseuero, & hac ratione confirmo. Omnes iam cõmemorata figuræ in parallelogramo  $Q R S T$  collocentur ac reponantur, ita ut parallelogrammum  $K$  parallelogrammo  $D F$ , & ex eo parallelogrammo quoq;  $C E$ , & quadratum  $P$  quadrato nouissimè extracto æqualia prorsus existant: & ab angulo  $T$  ad oppositum angulũ  $R$  dimetiens linea  $T R$  producat: satis constat totũ parallelogrammum  $Q R S T$  à dimetiens linea  $T R$  in duas æquas portiones diuisum fuisse. Euclidis autem pronuntiato nobis fauente hunc in modum argumentemur. Si ab æqualibus æqualia auferantur, quæ relinquuntur, æqualia utique existent: Cũ igitur duo triangula,  $Q T R$  &  $S R T$ , æqualia omnino esse conspiciantur: si ab ipsis duo æqua triangula  $O$  &  $L$ , & duo insuper alia inter sese item æqualia  $M$  &  $N$  sustulerimus; Quadratum  $P$  ipsi  $K$  parallelogrammo æquum prorsus existere colligemus. Qua quidem regula suppeditante singula quadrata proposita quacunque addita portione augere, & uniuersam mox aream atque capacitatem ad quadrati perfectionem redigere nobis licebit. Quapropter cùm ad quamplurimos usus hæc regula conferat, ab Architecto etiam atque etiam memorię commendanda esse uideatur.




Quemadmodum autem quadrangulam omnem superficiem in quadratam commutandi rationem tradidimus, ita nunc è contrario quadratum omne propositum in altera parte longiorem superficiem conuertendi uiam modumque explicemus. Quadrato  $A B C D$  exposito, à signo  $D$  deducatur linea tantæ longitudinis, quantam superficiem conficiendæ latitudinem mente designasti, quæ sit exempli gratia  $D E$ : Deinceps a signo  $E$  protrahatur linea  $E F$ , quæ tum lineæ  $A B$  tum etiam lineæ  $D C$  æqualis, & ab earum utraque æquè distans ponatur: Postmodum tres lineæ iam commemoratæ, tum suprema  $A B$ , tum media quoque  $D C$ , tum infima postremò  $E F$ , in continuum & in directum ad læuam extendantur; necnon à puncto  $C$  linea  $C F$  ipsi lineæ  $D E$  æqualis, ab eaque equedistans super lineam  $E F$  ad perpendicularum dirigatur: A puncto autem  $F$  ad punctum  $D$  oppositum dimetiens linea  $F D$  ascendat, quæ eò producat, quousque ambæ lineæ  $B A$  &  $F D$  in unum conueniant, sitque punctus conuenientię atque concursus  $G$ ; à quo demũ linea  $G I H$  super utramque lineam, tum  $C D$  tum  $F E H$ , ad angulos rectos erigatur: Parallelogrammum  $D E I H$  quadrato proposito  $A B C D$  æquum esse hac ratione confirmo. Cũ & quadratum & parallelogrammum, quæ  $K$  &  $L$  breuitatis causa a nobis appellabuntur, ab una eademque quadrangula superficie  $G E F H$  comprehendantur: cumque superficies hæc quadrangula à diagonali linea  $F G$  in duo æqua triangula  $G B F$  &  $G H F$  resoluatur: si ab ipsis duo æqua trigona primò  $M$  &  $N$ , necnon duo æqualia item postremò  $O$  &  $P$  abstulerimus, parallelogrammum  $L$  quadrato  $K$  æquum esse profectò consequitur. Cuius quidem rei ecce tibi exemplar  $G A H F$  propter maiorem facilitatem hic appositum ac designatum.




At Architecto posset figura quoque plurium & inæqualium laterum quandoque proponi, quæ non in quadrangulam solũ, uerũ in quadratam etiam superficiem ab eo est redigenda: tum ut figura, amplitudine ipsius cognita atque capacitate perspecta, pluris aut minoris pro meritis eius estimetur: tum etiam ut si ager fortasse, aut planum quodcunque hac uel illa ratione compositum ac figuratum compluribus hominibus diuidendum occurrat, Architectus reductionis huiusce beneficio ipsum iustè recteque distribuere possit: Et hæc regula decempedatoribus quoque, quibus scilicet aruorum metiendorum cura demandatur, absque ullo etiam numerorum auxilio perutilis erit: Necnon hæc eadem regula nos ab artificum, sutorumque præsertim fallacijs & latrocinijs tutos securosque reddet; cum ea opitulante quamlibet ad uestes conficiendas aptam accommodatamque materiam, cuiuscunque ordinis atque mensurę ea esse dicatur, ad quadrangulam superficiem statim prompteque reducere ualeamus. Quęcunque igitur figuræ aut huic designatę persimilis, aut ab ea diuersa, uel plurium uel pauciorum laterum in medium expo-








detur, exemplorum lumine quodam appposito & facilitate inclarescat, præsentem figuram quasi specimen aliquod tibi subiecimus, etsi aliæ quoq; præter hanc complurium & infinitarum propemodum formarum effici queunt.



spicere optimè licet: Lineaq;  $E G$  extendatur, quousque subiectam lineam  $D C$  ad angulos rectos in  $I$  signo contingat; Hæc nempe linea  $G I$  ex ampliori figura  $L$  particulam quandam, uidelicet  $A C G I$  detractam secludet: Tresq; deinceps lineæ equedistantes, summa  $E F$ , media  $A B$ , & infima  $C D$  in continuum directumque producantur: Deinde ab angulo  $I$  ad oppositum angulum  $H$  diagonalis linea extendatur; & à puncto  $K$ , ubi diagonalis hæc linea producta summam lineam continget, linea quedam uersus infimam ad perpendicularum decurrat, quæ  $K I m$  nuncupetur. His confectis quadratum  $B D I m$  ratione iam sæpe a nobis adducta superiori parallelogrammo, quod  $M$  inscribere libet, equum esse facillimè demonstratur: Ambæque figure, tam inferior  $L$  quàm superior  $M$ , ad unam tantummodo, eandemque quadrilateram rectangulamq; superficiem  $L A M C$  denique redigentur, quemadmodum ex secunda eadem designatione mox conijcere potes. Verùm cum duæ quadrangulæ superficies  $L$  &  $M$  iam confectæ integram illam superioremque figuram explere minimè queant, quinimo triangulum  $N$  quoq; supersit, idcirco triangulū ipsum prædictū ex regulæ superioris doctrina in parallelogrammum  $O R P Q$  est commutandum, sicut figura tertia clarissimè patefacit: quod quidem parallelogrammum supra ambo parallelogramma  $L$  &  $M$  in unum coniuncta copulataque extensum non secus, ac iandudum fecimus, cum ipsis simul in continuum directumque postea producat; ita ut ex tribus,  $L$ ,  $M$ , &  $N$  parallelogrammis coniunctis unum tantummodo  $A S T C$ , idque satis amplum parallelogrammum constituitur: quod quidem ex quarta designatione perspicue, ni fallor, elucescit. Eadem quoque ratione quotquot triangu-  
la ex figura plurium laterum, impariumque angulorum principio à nobis proposita, aliaue consimili super fuerint, in quadrilateras rectangulasque superficies antea commutata prioribus parallelogrammis deinceps continuabuntur & coniungentur. Quamprimùm autem parallelogrammum unum ac integrum ex pluribus conflatum ad propositæ figuræ amplitudinem excreuerit, & æqualitatem peruenerit; statim nos superiorum memores præceptionum ipsum in perfectum absolutumque conuertemus quadratum, & hac ratione exoptatum denique finem consequemur. Vnde quæcunque polygonia implicitaq; figura, dummodo rectilinea existat, ad quadratum hoc pacto demum reducetur. Quod si curuæ cum rectis commixtæ lineæ ad eam formandam terminandamque concurrerint, poterit quispiam fortasse ingenij solertia & acuminè fretus ad ueritatem propius accedere, haud tamen exactam illam absolutamq; adæquationem assequetur. Nec enim curuam lineam cum recta conferri ulla ratione posse existimamus: secus etenim circuli in quadratum conuersio, cui tot celeberrimi philosophi, præstantissimique Mathematici nequiequam inuigilarunt, excogitata iam adinuentaque prorsus fuisset.

Esto præterea aut linea, aut uirgula quædã, aut aliud quodcunque confimile in partes inæquales diuifum; aliãq; inſuper magnitudo hac lógior eadem omnino ratione, ut breuior, in partes inæquales exponatur diuidenda; lineãque minor AB, maiorque AC exempli gratia nuncupetur. Ipfã quidem maior: ſub minori primùm collocabitur ac reponetur. Poſtmodum à ſuperioris minorisque lineæ ambabus extremitatibus duæ lineæ laterales inter ſeſe æquediſtantes & æquales ad lineam infernè poſitam, ſuperiorique proſus æqualem in perpendiculari morem dirigantur: Lineãque maior deinde parallelogrammo confecto tranſuerſa quadam ratione itaque coaptetur, ut altero ſui apice B, altero autem A lineam contingat: Mox à cunctis breuioris lineæ ſectio nibus perpendicularẽ excitatæ ad lineam AB longiorem tranſuerſamque deducantur: Signa uniuerſa, quibus perpendicularẽ modò deductæ tranſuerſam illam maioremque lineam abſcindent, termini ſectionum lineæ maioris minoris lineæ iam diſſectæ partibus commenſurarum nimirum exiſtent. Quò magis autem productior lineã AC à principio expoſita contractiorem AB longitudine ſuperauerit, eò prior apice ſuo inferiori ſuper eam decumbet. Prædictaque regula non ſolùm Architecto ad complura, quemadmodum iam iam oſtendemus, conferret atque conduceret: uerùm alijs quoque opificibus ad eorum opera à minori ad maiorem quantitatem, confimili omnino ratione ſeruata, transferenda promouendaq; quamplurimum, ni fallor, momenti eſt aliatura.




A B, linea minor

A B dimetiens, linea maior

A D, linea minor


A C linea maior




Sint, uerbi gratia, complures ædes ac latitudine differentes, quarum omnium frons militari uiz expoſita poſtico ad hortorum amœnitates conuerſo anguſtior exiſtat: quæ quidem ædes uel flammaram incendio, uel bellorum tumultu adeò conſumptæ deformatæque remanſerunt, ut in fronte duntaxat nuda antiquorum finium ueſtigia ſuperſint, nec quicquam ex tanta mole præter quatuor extremos angulos ABCD conſpici diſcerniue poſſit. Cùm eiufmodi fabrica ſuperioribus annis complurium eſſet do minorum; nec præter terminorum, ut diximus, in fronte derelictorum ueſtigia aliã nunc quædã diuiſiones appareant: poterit nimirum prudentiſſimus Architectus, lineã AB poſticum ſignificante quaſi maiori, lineãque CD frontem præferente tanquam minori, ad regulam ſuperiorem confugiens antiquorum dominorum lites dirimere, & ſuum unicuique iuſtiſſimè retribuere; quemadmodum ex ſubiecta conijci facillimè poteſt figura.




Linea maior.



Linea minor




Volet insuper Architectus coronicem aliquam forte fortuna propositam unà cum omnibus eius ornamentis amplificare, eademque profus ubique seruata proportione ex minori ad maiorem quantitatem promouere, quidnam obsecro ei erit agendum? Ad Regulam superiorem mox properabit, propositamque coronicem, quantum quoque modo ipsi libuerit, statim augebit: & quantum coronicem altera maiorem reddere statuerit, tantò ulterius lineam B C producet, quemadmodum præfens patet figura.





Item si Architectus striatam columnam aut in altum erectam, aut in plano iacentem descriptamque ex minori ad ampliorem magnitudinem, conuenienti proportione seruata, traducere uoluerit; eadem regula usus propositum suum mox assequetur. Quamuis autem hic Doricam tantum propter faciliorem addiscentium intelligentiam columnam descriperimus, idem tamen in ceteris quoque columnarum omnium speciebus uerum esse comperies. Nec superior Regula ad ædium diuisiones recognoscendas, ad coronicesque amplificandas, & ad columnas maiores crassioresque conficiendas, quemadmodum demonstrauius, uerum ad alia quoque innumerabilia propemodum tibi conducat: quibus, ne opus hoc nostrum in imensum quandoque uolumen excurrat, tanquam breuitatis amantes nunc supersedere decreuimus, eorum aliorumque consimilium inuestigatione Architectura studiosis remissa.

Quæcunque ab oculorum nostrorum acie longius recedunt, eousque diminuuntur, donec aeris spatium maximum intermediumque eorum prospectum nobis omnino contendit eripitque: Quamobrem eadem res etsi confimilem ubique retinet magnitudinem, tamen si cum visu nostro conferatur, non eque magna; sed modò maior oculo propius admota, modò minor ab eo longius semota apparebit. Si igitur longinqua æquè ac proxima eandemmet rei propositæ magnitudinem & quantitatem præferre uouerimus, cum hoc naturæ profus repugnet, ab arte nimirum petenda sunt nobis auxilia. Quapropter Architectus si, aliqua sibi altitudine oblata, à summo ad imum gradatim descendens res omnino confimiles, alteras alteris superstruere atque accumulare decreuerit, ita ut & summæ, & mediæ, & infimæ eandemmet nobis magnitudinem repræsentent, consentaneæ partium singularum distantia in primis curam habebit. Primùm igitur locorum habito delectu, uel columna, uel turris, uel paries, uel aliud quodcunque fenestris, signis, literis, aut alio quouis illecebrarum genere exornandum condecorandumque ei proponatur, commodiorem aspectui nostro distantiam statim accipiet, necnon scandentis oculi altitu-






dinem diligenter considerabit: Deinde oculo ipso quasi centro constituto, & circuli quadrante non longè ab eo circumducto, ab oculo usque ad locum exornandum perpendicularem extendito: Postmodum ab infima loci parte sensim ascendens, quodcunque ornamentorum genus excogitasti, effingere aut effodere incipito, quod tantæ sit magnitudinis, quanta à cæteris consimilibus sibi que gradatim succedentibus ornamentis ad oculos nostros est deferenda; & ab apice primi huiusce ornamenti alia recta perducatur: Portio quidem circumferentiæ ipsius circuli ab his duabus rectis, à uertice scilicet pedæque ornamenti ad oculum usque productis, intercepta erit quasi communis quædam mensura partium omnium, in quas tota circumferentiæ est diuidenda: Tandem ab ipso centro per medias circumferentiæ sectiones usque ad columnam, turrim, siue parietem nobis aduersum rectæ complures extendantur, quæ locum perpoliendum exornandumque ita distinguunt, ut eius interceptæ sectiones, ornamentaque in his sectionibus collocata, quanuis sensim ac pedetentim augetur, eiusdem tamen magnitudinis & quantitatis intuentibus semper esse uidebuntur. Eadem quoque regula usi, numerorum insuper auxilio opitulante, propositæ cuiuscunque altitudinis mensuram statim inueniemus.



libus autem rectanguli lateribus simul ductis, & quindenis unitatibus quinquies coaceruatis quintus & septuagesimus numerus tandem consurget: quemadmodum ex subiecta figura quiuis percipere potest.




tuor laterum parallelogrammum terminantium numero bis repetiti non secus atque antecedentes quadragenarium eundem numerum procreabunt: attamen duobus eius inæqualibusque lateribus simul ductis, decemque & octo unitatibus bis congestis accumulatisque triginta sex areolæ prioribus æquales duntaxat prouenient. Ex quo nempe quantum perfectiora corpora imperfectioribus præstant, iudicari perspicue licet. Necnon idem humano insuper generi euenire uidemus: Homo enim quò propius mente sublatus ad immensam Idealemque Dei perfectionem accedit, eò prudentior sapientiorque utique euadit: quò longius autem à fulgentissimo lumine illo recedit in sensuum illecebras tenebrasque detrusus, à uirtutum absolutissima æqualitate in tantò inæqualiores uitiorum deformitates quasi in barathrum quoddam præcipitatur. Huiusce autem, quam nuper adduximus, demonstrationis propter faciliorem intelligentiam figuram hic apposuimus. Eademque præceptio non solum Architectis ad inæqualium figurarum areas capacitatesque promptè expediteque cognoscendas, uerùm mercatoribus quoque ad mercium conducendarum præcia ex earum quantitate statim dijudicanda discernendaque, necnon ad alia insuper innumerabilia, quæ breuitatis gratia silentio prætereunda existimamus, mirifice profectò con-


Inter Quadrangulas omnes figuras Quadrata tanquam perfectior nobilior præstantiorque nimirum sibi uendicat sedem: & quò quadrangula quæcunque figura à quadratæ plus excidit perfectione, tantò imperfectior utique existimatur atque censetur; etsi latera fortasse omnia, quæ utranque circumplectuntur, simul iuncta ad eandem quantitatem magnitudinemque conscendant. Esto nanque, exempli gratia, rectangulum quadratum quaternis lateribus inter sese prorsus æqualibus circumseptum, ita ut latus quodcunque in decem æquas omnino particulas diuidatur, omniaque simul iuncta in quadragenarium utique numerum crescant: Esto deinde quadrangula rectangulaque superficies altera parte longior, cuius longitudo quindecim, & latitudo quinque particulas superi oribus prorsus æquales complectatur, lateraque omnia simul capta quadragenarium numerum eundem conficiant. Etsi tum quadratæ tum quadrangule superficiæ lineares termini hac ratione diuisi ad eandemmet particularum summam perueniant, attamen quadratum in sese multiplicatum atque recurrens centum, rectangulum uerò altera parte longius septuagintaquinque duntaxat eiusdem quantitatis areolas comprehendet. Quadrati nanque lateribus unâ multiplicatis, denarioque decies repetito cente simus; inæqualibus autem rectanguli lateribus simul ductis, & quindenis unitatibus quinquies coaceruatis quintus & septuagesimus numerus tandem consurget: quemadmodum ex subiecta figura quiuis percipere potest.

Quò si cum iam confectum quadratum in centesimum usque numerum excreuerit, altera insuper quadrilatera figura, quæ superiori longior existat designetur, cuius longitudo in decem & octo, latitudo uerò in duo superioribus consimilia equaliaque segmenta secetur: ambo hi quidè numeri pro qua-


Tribus signis punctis'ue, d ummodo ne in eadem iaceant recta, ad libitum assumptis atque signatis, unius circinationis circunductionisque ambitu singula ferendi hæc utiq; ratio existet. A primo signo ad secundum recta quædam perducatur, eaq; medio signo ipsius accepto, in duas æquales abscindatur portiones: à quo, norma ad angulos rectos accommodata, quemadmodum ex subiecta perspici potest figura, linea alteri normæ ipsius lateri perpetuò adherens deducatur. Itemque à secundo ad tertium signum altera linea extendatur: cuius medio puncto adiuvento, norma q; ut modo diximus, opitulante linea recta decurrat. Signum interfectionis ambarum defluentiu linearum commune trium propositorum punctorum utique centrum indicabit. Quæ quidem puncta, quacunque ratione à nobis fuerint disposita & collocata, ut eorù centrum inueniamus, ad præsentem regulam statim confugiemus.



Possimus quinetiam ad eiusdem trium punctorù centri inuentionem ita peruenire, uidelicet tum à primo ad secundum, tum à secundo ad tertium duas inter sese similes curuilineasq; superficies describendo, mox ab earum angulis ad partem inferiorem duas lineas deducendo: quarum communis tandem contactus trium propositorum signorum centrum nobis aperiet atque recludet, quemadmodum ex subiecta patet designatione.




Hæc autem Regula etsi minimi fortasse momenti cuiquam uideri posset, Architecto tamen in quamplurimis usui esse comperietur: quemadmodum si rotundi sphericique corporis insigne aliquod fragmentum quanuis exiguum ante oculos ei proponatur; ipse, hac Regula dirigente, centrum, diametrumq;, necnon circumferentiam fragmenti illius propositi tibi expeditissimè designabit, quod ex præsentis nimirum constat figura.






Complures tū uetustiores tū etiā recentiores passim à nobis conspiciuntur columnæ, quarū infimæ prominentesq; partes nonnihil diuulsæ confracæq; uidentur: quod quidē ea de causâ frequenter accidere solet, uel quoniâ in earū conformatione spiræ nec ad regulam siue ad libellam admodū cōplanatæ, nec æquo plano ue omnino contactu basibus suis illæ aptatæ accōmodatæq; fuerunt: uel quoniâ eis à principio nec equaliter nec ad perpendicularum super bases erectis aut collocatis, ex maiori ipsarū ad unā quàm ad alterā partē inclinatione euenit, ut altera pars nimia ponderis mole grauata nōnihil incōmodi senserit, & idcirco ad ipsius extremi marginis, quæ haud ineptè forsitan limbū seu apophygē appellare possemus, fracturā uia aditumq; patefecit. Verūm cum primū Architectus Geometriæ lumine adiutus ad intimas reconditasq; linearum uires penetratit, hac nempe ratione procedens superiores fracturas, sublimiumq; columnarum deformationes cui tabit. Imam columnæ partē deflexam incuruatamq; inprimis constituet, quemadmodum primæ co-




lumnæ hic appositæ figura demonstrat, eiusq; basim pro curuamini inflexionisque ipsius columnæ quantitate excuabit: quibus perfectis columna ad perpendicularum super basem erecta, nullo uel imi columnæ marginis uel basis prorsus incommodo in propria sede mox collocabitur & conuiescet. Columnæ uerò gibbositas, basisq; ipsius concauitas hac ratione describenda uidetur, ut altero circini crure A summæ columnæ uertici infixo, & reliquo ad B usque infimam partem diducto, circinatio usque ad signum C ipsi B oppositum extendatur: quæ & columnæ conuexum, & basis insuper concauum tibi mox designabit. Consimilem quoque rationem in columnarum capitulis disponendis obseruabimus & persequemur, sicut columnæ alterius hic appositæ descriptio clarissimè patefacit.

Volet quinetiam Architectus pontem, aut arcum, aut testudinē aliquā semicirculo humiliorem fabricari: quod quidem etsi complures structores diuturno usu tantummodo freti assequuntur, filoque dirigente testudinata tum oculorum sensui blandientia, tum cum ouatis quoque figuris circino designatis optimē conuenientia moliantur; attamen si doctus sapiensque Architectus in operibus suis construendis rationem, ut par est, præeuntem sequi uoluerit, hac nempe uia tutus incedet.


Arcus ædificandi latitudine primū designata, medioque ipsius adinuento, perfectum absolutumque semicirculum circunduct: Mox alterum semicirculum ambitu quidem minori, & arcui proposito altitudine æqualem intra primum collocabit: Circuli que maioris æquales deinde portiones assumptæ rectis ab earum signis ad centrum usque deductis coniungentur: Postmodum punctis illis, quibus rectæ à circuli maioris circumferentia ad centrum extensæ circuli minoris peripheriam abscindunt, notatis, ab ipsis aliæ rectæ ad superiores perpendiculares ipsæ quoque ad perpendicularum dirigantur, in quarum communi contactu puncta signentur; & ab uno puncto ad alterum punctum perpendicularium, nouissimarumque harum linearum linea curua perpetuaque extendatur, quæ doctæ potius expertæque manus usum quàm circini ipsius operam efflagitabit: cuius quidem rei ecce tibi subiectum appositumque exemplar.




Quòd si arcum testudinē ue propositam humiliorem adhuc efficere, & in minorem altitudinem attollere nobis libuerit, eademmet regula prorsus seruatam circulum duntaxat internam præcedenti minorem conficiemus. Quantò autem amplioris semicirculi ambitus in plura segmenta fuerit diuisus, tantò melius atque facilius curuam illam lineam, quæ manu postremò designatur, circunducemus. Et hac regula edocti concameratarum, & lunatarum quoque testudinum armaimenta promptissimè expediemus. Præsentem autem figuram, superiori certè quàm simillimam, hic apponendam idcirco iudicauimus, ut altitudinum differentia in arcibus erigendis clarius discerni ac percipi possit. Et hinc nonnulla insuper alia tanquam ex fonte quodam mox deducemus.




Verūm ex diligenti regulæ superioris, quam nuper docuimus, notatione animaduersioneque; id insuper nobis succurrit, ut ea opitulante, necnon linearum suppeditante ratione, uasa formarum figurarumque; dissimilium componamus: Neque in compositionum modis explicandis multum laboris suscepturi uidemur, cum figuræ designatione conspecta ac diligenter animo re tractata, studiosus Architectus eandem regulam ad complures alias uasorum formas ducendas mox queat accommodare. Id unum admonuisse fat erit, ut, pro uasis componendi maiori crassitudine ambituque; capaci, circulus minor eiusdemmet quantitatis describatur, intraque; maiore collocetur: lineisque; deinde tum à centro tum per transversum protractis, & perpendicularibus insuper adiectis, integrum uasis ipsius corpus formare, eiusdemque os







Quòd si uas elegantius formosiusq; tibi conficiendum proposueris, circulum interiorem, pro uasis componendi amplitudine capacitæque adæquanda, maioris ambitus quàm præcedentem constitues. Primum quidem centrales, transuersæque mox lineæ producentur. Vbi autem centrales ipsæ lineæ circuli iam descripti circumferentiam attingent, his signis contactuum notatis, ordinatæque numerorum serie inscriptis atque distinctis, à secundo signo ad transuersam secundam, itemq; à tertio ad tertiam, necnon à quarto ad quartam, demum à quinto ad quintam propriæ accommodatæque perpendiculares deducuntur. His perfectis signa, ubi perpendiculares hæ lineas transuersas offendent, erunt termini uasis ipsius corpori formando atque effingendo quammaximè consentanei. A prima autem linea circuli iam descripti superiora capeffens, collum & operculum uasis inde depromes. Anfarum postremo, & Pedis, cæterorumque ornamentorum curam solertis industrijque Architecti iudicio relinquemus.




Rectarum curuarumque linearum uim atq; artificium circino perustrare, perpulchrum certè uidetur: sæpe nanq; ex huiuscemodi meditatione diutius repetita complurium inopinata insperatæque inuentio succedere solet, quod quidem superioris noctis exemplum patefecit. Cùm enim ouatæ formæ figuræque designandæ rationem ea, quam Albertus Durerus uir acris utique & perspicacissimi ingenij memoriæ prodidit, breuiorem animo mecum ipse reuoluerem, antiquissimi uasis speciem, eiusque effingendi rationem modumque excogitauim; pede quidem in oui acumine residente; collo autem, ore, & anfarum utraque supra rotundioris ipsius ambitum collocatis. At antequam ad subtiliora indaganda procedamus, rationem oui configurandi tradendam imprimis existimamus. Duæ lineæ ad angulos rectos in crucis formam atque similitudinem sese


primùm interfecent, lineæque subiecta in decem partes æquales, itemque perpendicularis linea in nouem æquas portiones abscindatur; quarum quatuor ad superna conscendant, quinque uerò ad inferiora delabantur. Centro autem A medio iacente, ibique latere circini immobili infixo pro quatuor partium lineæ subiectæ quantitate semicirculus ad perpendicularis lineæ superiora spectans atque declinans signetur, amboque semicirculi huiusce latera C nuncupentur: Deinde altera circini cuspide in termino B lineæ subiectæ quasi in centro firmata, & altera usque ad signum C ipsi B oppositum diducta, arcus ad partem inferiorem circumagatur: qui quidem arcus pro dextræ lææque numero bis formatus ac repetitus in acutum angulum infra terminabitur & coniungetur, & hac ratione quinque inferiores perpendicularis lineæ portiones complectetur: Postmodum duabus perpendicularibus à superiori semicirculo ad quartam diametri ipsius partem hinc inde deductis subtensisque, signa, quibus hæ curuas arcuatasque lineas in imo contingent, statim notentur: Deinceps altero circini radio in puncto O stabilito, ab uno duorum signorum, quæ modò annotauimus, primùm descendendo moxque ascendendo ad reliquum usque alter circumducatur, & hoc pacto denique ouata compleatur figura. Quibus iam peractis infima perpendicularis lineæ portio uasis ipsius pedi elaborando assignabitur: Collum autem & os duas partes summas, mox semicirculus duas alias subsequentes occupabunt: Et hac ratione profectò nouem lineæ perpendicularis segmenta aptè accommodatæque distributa fuisse uidebuntur. Ansa demum & operculum uasis ipsius, quasi totius operis appendices, ad prudentis opificis arbitrium ultimo loco imponentur.

Alter quinetiam uasis effingendi modus ratioque superiori propemodum consimilis tradi assignarique potest. Exponatur, ut iam diximus, crux quædam ex duabus lineis ad angulos rectos sese abscindentibus constituta, transuersæque linea in decem, perpendicularisque in octo æqualia segmenta diuidatur: Alteraque circini ipsius cuspide in ambabus transuersæ lineæ extremitatibus, quæ B uocantur, infixa, & reliqua ad punctum C è regione positum extensa, septemque transuersæ lineæ utrinque interceptis segmentis, duæ lineæ curuæ ad partem inferiorem inflectantur, quæ ad ultimum usque perpendicularis lineæ signum circumductæ necessariò in unum ibi conuenient: Deinceps duabus perpendicularibus ad A signa intermedia excitatis, & ad inferiora usque deductis, ubi ipsæ curuas lineas contingent, ibi tanquam in termino ad uas acuminandum

acuminandum atque angustandum quammaximè accommodato consistemus: Circiniq; latere in signo E quiescente, & altero ad terminum nuper inuentum diducto, latus hoc mobile expeditumq; ab una duarum perpendicularium ad alteram usque circunducemus; & hac ratione uasis ipsius fundum, quod pedi supposito mox innitetur, inueniemus: Postmodum altera circini cuspidè in A signo collocata, reliqua pro quantitate segmenti AC ad partem superiorem, donec cum sua perpendiculari in unum concurrat, circunducatur: hæc quidem circunductiones bis repetitæ utranq; partem, dextram læuamq; quasi gemini sinus complectentur. His demum perfectis concavum prominentemq; uasis ipsius uentrem iam elaboratum habebis, cuius guttur & os duo superiora perpendicularis lineæ à principio olim diuisæ occupabunt segmenta. Ansarum postremo, cæterorumq; ornamentorum adiectiones docta opificis manu aptè appositæque distinguuntur.



Nonnulla insuper alia uasorum genera à superioribus diuersa formari effingiq; possunt: uerùm cæteris omisis uasis huiusce speciem, quam subiecta nunc expressimus figuratiõne, & compositionem tantummodo persequamur. Eandem igitur, sicut in superioribus, duarum linearum ad angulos rectos sese interfecantium crucem constituemus, eo solùm discrimine intercedente, quòd hic lineam subiectam quidem in duodecim, perpendicularem autem in octo æqualia particur segmenta; & ex utroque ipsius latere duæ rectæ æquales super duo subiectæ lineæ segmenta crucis intersectioni propinquiora ad perpendicularum deducuntur: Circiniq; deinde immobili uestigio in signo B ad læuam impresso, & altero ad unitatem extenso arcus usque ad imam perpendicularis mediæque lineæ extremitatem circumagatur. Dextrum autem ac sinistrum tum hic tum ubiq; locorum non quidem ad nos intuentes, uerùm ad ipsamet figuram referèda existimamus: unde hac ratione quod nobis erit dextrum, illi sinistrum existet, & contra quod nobis sinistrum uidebitur, illi dextrum euadet. Pariter immobili eiusdem circini latere ipsi B signo ad dexteram applicito, & altero ad binarium usque diducto arcus priori consimilis describatur: Postmodum circino per dexteram eandem adhuc euagante, & altero quidem eius telo punctum inter A & unitatem medium feriente, reliquum ad ipsamet unitatem expansum, ad supernaque circunductum circuli quadrantem designet: Itemq; circino ad læuam conuerso, & altera ipsius cuspidè in signo inter A & binarium stabilita, reliqua ab eodem binario ad superiora conscendens quadrantem alterum priori omnino consimilem depingat. Hi duo quadrantes ulnarum instar perpendicularis lineæ à principio iam diuisæ segmentum unum tantummodo complectentur, duoq; succedentia segmenta gutturis ansarumq; derelinquentur conformationi. Mox ad inferiora delapsi, & altero circini radio ad C punctum accommodato, circinoq; pro duorum segmentorum capacitate ad curuam usque lineam diducto, radium alterum à ternario signo ad quaternarium usque circinoluemus: ex qua quidem circunductione uasis ipsius fundum, quod pede supposito, sicut præsentè patet designatione, sustentabitur ac fulciatur, statim confurget.




Altera quinetiam humiliorum, magisq; prominentium uasorum species ex spherica rotundaq; figura deduci potest, cruce duarum æqualium linearum formata, & in sex æqua segmenta undequaque distincta. Primum quidem perfecta absolutaq; circinatio describetur; qua in duas æquas portiones diuisa, altera pars, inferior uidelicet semicirculus, uasis ipsius fundo elaborando assignabitur, præter tria segmenta altero uasis tum in sublime attollendi, tum etiam magnificentius exornandi gratia insuper adiuncto: Quintum segmentum deinde in gutturis, sextum denique in operculi confectionem distribuetur, nullo profus horum membrorum, quæ infra hic designata conspiciuntur, propter segnitiam aut socordiam prætermisso.






Pes autem uasi fulciendo substratus præter senarium segmentorum numerum, quæ in uasis ipsius proceritate formanda consumpta fuerunt, septimum singulis eorum altitudine æquale sortietur. Quauis autem sex generum duntaxat uasorum conficiendorum modum rationemque docuimus, tamen ex iisdem regulis innumerabilia propemodum, cunctaque dissimilia uasorum aliorum genera deduci possent, ad quorum omnium cultum & elegantiam innumera quoque ornamentorum genera possent excogitari: quæ quidem, ne linearum extensionibus, huiuscemodi inuolucris adiectis, confusionem ullam perturbationem uel afferremus, cõsultò in designationibus nostris prætermissa fuerunt.



Ad Ouatas figuras describendas complures uiz nimirum & aditus patent: uerum nos utpote breuitatis studiosissimi quatuor tantummodo regulas huic negotio quammaximè accomodatas hic inferemus. Primum quidem propter figuræ hic appositæ, primoque ordine collocatæ intelligentiam duo æquilatera implicitaque simul triangula designentur; ad quorum latera numerorum characteribus, 1, 2, 3, 4, distributa quatuor arcus circumducantur: quibus arcubus conficiendis quatuor item, A, B, C, D, centra distincta assignentur, præsentî figura à quocunque quatuor centrorum propositorum magis libuerit, incepta atque inchoata. Primum igitur altero circini crure in signo B collocato, reliquum ab unitate ad binarium usque circumducatur: Deinde altero circini


eiusdem pede in signo A quiescente, à ternario ad quaternarium usque alter circumagatur: Postmodum circini prædicti uertice signo D innitente, a binario alter ad ternarium usque circumferatur: Postremò circini commemorati cuspidè C signum feriente, altera ab unitate ad quaternarium usque circumuoluatur. Quibus nimirum quaternis arcubus perfectis, ouatam figuram mox designatam & completam habebis. Quantò autem ipsam in longius producere, compressioremque reddere statues; tantò, centris iisdem seruatis, arcuatas lineas in interiorem partem concludes: At quantò eam ad globum rotunditatemque propius accedere uoles, tantò orbiculares lineas à centris propositis maiori interuallo distantes in exteriorem partem compelles. Verum etsi ipsa, centrorum interuallis relaxatis, sphericæ rotundæque designationi, ut iam diximas, similior semper euadit: cum tamen non unum, sed complura ad eius constitutionem centra requirantur, absolutissimi circuli perfectionem ac dignitatem nunquam mehercle affecutura uidetur.




Antecedenti figura iam expedita, subsequenti, quæ hic designata conspicitur, modò explicationem aggrediamur. Quatuor rectis inter sese prorsus æqualibus, seseque mutuò abscindentibus, ut in superiori descriptione, productis quaterna earum centra, I, K, L, M, primò notentur; tresque circuitiones eiusdem omnino capacitatis ac ambitus, quemadmodum præsens patefacit figura, mox designentur. Deinde altero circini pede K signum comprimente, alter ab unitate ad binarium usque percurrat: Postmodum eiusdem circini crure in I signo firmato, reliquum a ternario ad quaternarium numerum circumuoluet. Quibus confectis ouatam figuram pullorum ouis, ni fallor, quam simillimam mox constructam habebis.

Duabus superioribus iam absolutis ad tertiam ouatam designationem, cuius exemplar hic appositum habes, enucleandam exponendamque transeamus. Duo primùm quadrata tum angulorum conformi rectitudine, tum laterum absolutissima æqualitate conspicua describantur, amboque uno eodemque latere eorum utriusque deseruiente unà coniungantur: & quatuor diagonijs per transfuersum extensis totidem centra, duo quidem G & H in medio quadratorum, duoque reliqua insuper E & F in amborum capitibus collocata notentur. Circini postea cuspidè in F signo stabilita, reliqua ab unitate ad binarium usque numerum circumagatur: Necnon eodem circini telo in E centro firmato, alterum a ternario ad quaternarium usque rosetur: Item circini eiusdem apice G centrum occupante, alter ab unitate ad ternarium usque discurrat: Postremò

stremò uno circini ipsius radio ad H centrum pertingente, à binario alter ad quaternarium usque numerum conuertatur. Quibus perfectis formam ouatz perfimilem a nobis hic designatam statim habebis.




Ad quartam demum ouatz figuræ construendæ rationem nunc descendamus. Primùm quidem duo æquales circuli, quorum alter alterius centrum ambitu suo pertingat, efficientur: angulique ex mutuo curuarum linearum contactu prouenientes duo utique N & O centra nobis suppeditabunt, necnon reliqua duo P & Q insuper à circularum propositorum centrâ promptissimè eliciemus. His quatuor centrâ habitis atq; notatis, quatuor rectæ per ea utique pertranseunt quasi commemoratorum circularum diametri extendantur: Deinde circini pede N signum deprimente, alter ab unitate ad binarium circumflectatur: Necnon eiusdem circini cuspide O signum uulnerante, reliqua à ternario ad quaternarium usque in orbem excurrat. Quibus tandem absolutis, ouatam figuram & propter descriptionis facilitatem, & propter uenustatem aspectus, & propter eius commodam quoq; tractabilitatem quammaximè comendandam mox formatam atque constructam habebis.




Orbiculari figuræ complures rectilinearæ superficies, quæ eius ambitum atq; capacitatem quoquomodo imitantur, deinde succedunt, quemadmodum octogona, exagona, & pentagona; quarum prima octo, media sex, postrema quinque lateribus concluditur, & pari quoque angulorum numero singulæ terminantur: quibus deinceps aliæ complurium linearum angulorumque multitudinè circumscriptæ superaddi possunt figuræ, quæ quidem cunctæ rotunditatem ipsam tanquam formarum omnium perfectissimam pro uiribus imitari contendunt. Verùm nos ceteris omiſſis tres illas, quas modò commemorauimus, duntaxat tanquam præstantiores oratione nunc persequemur.

Octogona superficies, quam hic appositam uides, ex equilatero equianguloque quadrato hac utique ratione deducetur. Duabus diagonijs primùm decussatim productis, alterum circini radium ad unum angulorum quadrati mox applicabimus; & reliquo ad medium quadrati eiusdem centrum extenso, ab uno eius latere usque ad alterum latus circuli quadrantem describemus: Idemque pro trium reliquorum quadrati angulorum numero ter repetentes signa illa, quibus curvæ lineæ quadrati ipsius latera abscident, tanquam terminos ad octogonam figuram designandam quammaximè accommodatos constituemus. Verùm posset insuper octogonæ superficiæ descriptio ex circulo quoque deduci, cruce uidelicet ex duobus diametris ad perpendicularum sese intercidentibus primùm conflata, mox singulis circuli ipsius quadrantibus in duo æqua segmenta diuisis, ex quibus octo æqualium partium numerus statim confurget. Atamen octogoni figurandi ratio ex quadrati diuisione, quam modo tradidimus, accepta certior atque artificiosior meo quidem iudicio esse uidetur.




Exagona uero superficies, ad cuius constitutionem sex latera æqualia efflagitantur, hoc modo facillimè expedietur. Circulo designato, circinoque neque diducto neque contracto, uerùm idemmet interuallum, quo circulum designasti, retinente, circinum ipsius circuli circumferentiæ metiendæ applicabis: quæ quidem





quidem mensura pro totius circumferentiæ ambitu explendo sexies repetita, & sex signis, quibus circini latera propositam peripheriam contingunt, notatis, sexq; linearum ductu coniunctis atque continuatis mox exagonum confectum formatumq; habebis. Vnde cum semidiameter sexta circumferentiæ portio existat, hinc nimirum id arbitror effluxisse, ut compluribus Italiæ locis Circinus Sextæ sibi uendicauerit appellationem.



At Pentagonæ seu quinque lateribus circunseptæ figuræ constructio, cum ex imparium laterum, ternariumque excedentium numero constet, haud eam profectò, quam superiores, nobis præstat facilitatem: Verùm ut hanc quoque artificiosè & affabrè construamus, hac nempe ratione incidendum existimamus. Perfecto absolutoque circulo designato, crucem ex duobus diametris, quorum alter alteri ad perpendicularum insistit, mox constituito. Ad læuam deinde figuræ conuersus semidiameterum in duas æquas portiones diuidito, mediumque diuisionis signum ternario numero annotato; à quo ad circuli summitatem paruæ cuiusdam crucis imagine significatam circinum extendito, alteroque circini ipsius uestigio in ternario consistente à cruce illa superiori usque ad transuersum diametrum arcum deducito: Moxque à signo per binarium significato, quo arcus à summa cruce descendens subiectum diametrum interci-

dit, ad crucem superiorem eandem, rectam lineam intelligito: Rectam hanc pentagoni conficiendi latera singula iustissima quadam ratione dimensuram tibi affirmamus. Quinimo ex eadem figuratione nequaquam immutata Decagonum quoque deducere licet: diametri namque portio à centro propositi circuli, binarioque numero intercepta singula Decagoni latera communiter metietur. Necnon præsens designatio sexdecagoni etiam latus nobis suppeditabit: recta namque ab unitate circumferentiæ signum demonstrante ad binarium usque deducta singulorum sexdecagoni laterum certissimam tibi mensuram & quantitatem ostendet.





Figura hic à nobis apposita ad circumferentiam cuiuscunque propositi circuli in quot partes libuerit, quanuis plurimas ac dispares quoque, diuidendam, maximam nimirum utilitatem est allatura. Verùm ne partium ingenti numero proposito obscuriores quandoque indistinctique uideamur, in nouem tantummodo segmenta designatum hunc circulum partiri statuimus. Quod quidem ut assequamur, circuli totius assumpto quadrante, ipsum in nouem pariter segmenta partiemur; ex quibus quatuor duntaxat simul accepta collectaque, nonam totius circumferentiæ mox designabunt portionem. Eadem quoque ratione, in quotquot partes expositam aliquam circumferentiam partiri uouerimus, eius quadrante primùm accepto, in tot etiam segmenta ipsum diuidemus: quorum segmentorum quatuor simul assumpta coniunctaque, singularum circumferentiæ


totius diuidendæ partium modulos & quantitatem patefacient. Hanc autem regulam, cum præclaris opificibus ad emendatas operum distributiones; iustissimasque diuisiones conficiendas mirificè proficit, memoriæ inprimis commendandam existimamus. Quibus iam peractis, proportionum modò explicationem aggrediamur.

Quadrangulæ superficies, si una cum altera conferatur, complurium quidem ac diuersarum proportionum species procreaturæ uidentur: Verùm nos ex multiplici earum farragine septem duntaxat tanquam cæteris insigniores atque præstantiores nunc seligemus: quæ Architectis, prout locorum aptitudines ferunt, ac temporum persuadent opportunitates, & ex usu esse, & quamplurimum suffragari profectò conspiciuntur.


Prima hæc designatio quadratam elaboratamq; superficiem ante oculos nobis proponit; quæ, propter summam tum quatuor laterum tum etiam quatuor rectorum angulorum æqualitatem, æqualitatis quoq; proportionem effundit: necnon ad eandem insuper tanquam ad regulam quandam & normam cæteræ omnes quadrangulæ superficies ab huius præstantia atque formositate degenerantes, reducuntur postremò ac referuntur.




Secunda hic apposita figura cùm integrum quadratum, quarta eius parte insuper adiecta, complectatur, si cum ipso conferatur quadrato, sesquiquartam obtinet proportionem.




Descriptio hæc tertia cùm quadratum, & tertiam amplius eius comprehendat portionem, cum ipso quadrato comparata sesquitertiam dicitur rationem habere.




Quarta, quam hic delineauimus, forma diagonalem tibi refert proportionem, quæ hac utique conficietur ratione. Quadrato extracto ab angulo ad oppositum angulum dimetiens siue diagonalis linea perducatur; quæ unâ cum quadrati ipsius latere ad rectum angulum coniuncta, parallelogrammum irrationale & cum proposito quadrato omnino incommensurabile procreabit: nec inter quadratum confectum, & parallelogrammi huiusce excessum species aliqua proportionis in medium afferri, explicari ue potest.



Quinta hæc superficies cùm integrum quadratum, dimidiamque eius præterea capacitatem contineat, cum eo collata sesquialteram subit proportionem.



Sexta hæc, quam uides, figura cùm & totum quadratum, & ex tribus eius æquis segmentis duo insuper complectatur, tertias superbipartientem parit proportionem.





Septima, quam hic appositam intueris, designatio cùm unum alteri quadratum continet coniungatque, si ad simplex quadratum referatur, duplam proportionem introducit. Nec antiquorum ædificiorum, quæ propter elegantes eorum distributiones quammaximè commendantur, ullum proportionem hanc duplam excelsisse comperies: nisi quispiam ambulationes fortasse, porticus, foresque insuper, fenestrasque nonnullas, quæ metam à nobis constitutam aliquantulum supergressæ fuerunt, in medium adducat. At uestibula, cænacula, cubicula, cæteræque consimiles habitationes, peritorum cunctorum iudicio, duplam proportionem pertransire minimè debent: alioquin opifices nec elegantie, nec symmetrie, nec incolentium commoditati quicquam consuluisse existimabuntur.



Complura præter opinionem Architecto sæpius accidere solent: Verbi gratia, ut huiusce rei exemplum aliquod afferamus, contignatio ei fortet fortuna pedum xv. spatio ac interuallo producenda extruendaque committetur: uerùm, compluribus tignis ipsi propositis, nullum eorum ad tantam utique longitudinem



dinem pertinet, quinimo singula bipedali quantitate à prædicta deficient longitudine; quibus tamen, nulla alia prorsus suppetente materia, pro contignatione conficienda necessariò erit utendum: quid obsecro miser ille Architectus sibi consilij capiet? Rationem hic descriptam persequetur, & opus suum quam solidissimum reddet, altero nimirum tignorum capite parieti infixo, reliquoque absque ulla fultura suspenso remanente, quemadmodum ex subiecta perspici potest figura.




Novi quidam inopinatiq; casus Architectum nonnunquam vexare perturbareq; confecerunt, quibus profectò, nisi Geometria primordia teneat, sese expedire aut explicare nequaquam posset: cuius hoc quidem in præsentia nobis occurrit exemplum.

Tabula in x. tantummodo pedum longitudinem, triumque duntaxat latitudinem extensa ei forte proponetur: quam in ostioli formam 7 pedum altitudine, & pedum 4 latitudine componere oportet. Si ipse tabulæ longitudinem in duo æqua segmenta partiri, unumque alteri superponere voluerit, cum duæ latitudines simul iunctæ ab 6 pedum tantummodo quantitate pertingant, ab ostij iam designata altitudine uno pede deficient. Sin alterum tabulæ caput, trium pedum ablata quantitate, diminuerit, segmentum hoc inutile prorsus existet: tabula namque septempedalem longitudinem, tripedali eadem latitudine remanente, tunc erit affectura; cum tamen ostij conficiendi latitudinem quadrupedalem fore iam antea dixerimus.

mus. Vt igitur propositum scopum attingamus, hac utique procedemus ratione. Cùm tabula pedes denos longa, tresque lata principio à nobis supposita fuerit, quatuor nimirum anguli, A, B, C, D, eam terminabunt. Diagonali igitur linea ab angulo C ad oppositum angulum B extensa, tabulaque hac ratione in duo æqua segmenta per transversum diuisa, segmentum unum alteri ita aptetur atque superponatur, ut angulus A ad angulum B, & item angulus C ad angulum D trium pedum interuallo propius accedat. Ex hac quidem tabulæ figuratione commutata id consequi imprimis uidetur, ut ambo ipsius capita, tum A F, tum E D, in quadrupedalem altitudinem attollantur: & ab A ad E usque distantia non secus quàm ab F ad D septempedalem retineat extensionem. Quapropter tabula A E F D, prout ostioli conficiendi captus dimensusque efflagitabat, 7 pedes longa, & pedes 4 lata à nobis tandem reddita fuit: binaque triangula, C F, & E B G insuper remanserunt.


Verùm Architecto id quoque nonnunquam occurrere solet, ut ad fanum aliquod illuminandum, uel amplum lateque patens, uel angustum exiguumque illud existat, in pariete oculum quempiam ei perfodere oporteat: nec tamen oculi huiusce certa quantitas, definitaue magnitudo ipsi erit præscripta, uerùm id ad Architecti nutum ac libitum relinquetur: Qui nisi sensuum illusionibus assentiri, sed rationis monitis atque præceptis potius obtemperare uoluerit, linearumque ductu opus suum perficere decreuerit; in nullum reprehensionis genus, peritorum cunctorum iudicio, unquam incurret. Probus igitur Architectus spatij, in quo sedem oculo fenestrato designauit, latitudine primùm dimensa, semicirculoque ibi descripto, eum rectarum quatuor linearum ambitu undequaue concludet: Mox duabus diagonalibus in hoc parallelogrammo per transversum collocatis, necnon duabus rectis ab infimis angulis ad semicirculi ipsius cacumen extensis; ubi diagonales illæ superiores duas hæc nouissimas lineas, quæ ad semicirculi apicem modò perductæ fuerunt, contingent intercidentque; ibi termini duarum perpendicularium deducendarum constituentur, quæ nobis oculi effodiendi latitudinem statim determinabunt, sicut ex subiecta perspici potest figura. Ornamenta demum adiecta sextam diametri oculi ipsius portionem requirunt.



Haud secus etiam, si Architecto templi alicuius fores extruendæ proponentur, symmetriæ utique memor hac incedet ratione. Medij templi inanem spatiosamque latitudinem metietur: quæ in facellis parietum statim lateribus, in basilicis uerò, quibus alæ pteromataque utrinque dependent, duplici pilarum antearum ue ordine hinc indeque interiecto concludetur; cui quidem latitudini pari insuper altitudine adiecta, quadratum mox designatum habebit: Deinceps iisdem lineis, quibus ad oculum templi effodiendum iandudum utebatur, nunc quoque perductis, & forium apertionem & ornamentorum collocationem quamprimùm ad iustissimam symmetriam & conuenientem proportionem deducet: cuius quidem rei en tibi exemplum hic appositum & figuratum. Quòd si in sacrarum ædium fronte propter eius amplitudinem triplices ualuarum apertiones, triplicataque oculorum lumina constituenda uidebuntur: mediæ quidem apertioni,



apertioni, medioque oculo tanquam nobiliori laxior & patentior utique sedes, extremis autem siue angularibus quasi ignobilioribus angustiores breuioresque fines, eadem utrobique retenta proportionis specie, assignabuntur. Quauis autem Candidissime Lector præter has, quas enumerauimus, cæteræ quoque complures, infinitæque propemodum linearum sectiones diuisionesque supersint: ne tamen prolixiores quandoque præter æquum & bonum uideamur, Geometricis commentationibus modum terminumque hic statuendum esse existimamus.




FINIS PRIMI LIBRI SEBASTIANI SERLII AD GEOMETRICAM  
facultatem spectantis Ioanne Carolo Saraceno interprete existente.



# SEBASTIANI SERLII DE OPTICA FACULTATE

## Liber Secundus,

A IOANNE CAROLO SARACENO  
ex Italico idiomate conuersus, & nunc primum Latinitate donatus.



### Optica Superficierum ipsarum Pertractatio .



**Q**UANTIS subtilissima illa facultas, quam Opticen appellant, propter corporum præsertim è planis in sublime sese attolentium naturam & conditionem eam difficultatem præferat, ut literarum monumentis uix queat commendari; quinimo longè melius atq; facilius familiari colloquutione, assiduaq; ipsorum corporum tractatione, quàm scriptis aut designationibus explicetur: Cùm tamen in superiori volumine de Geometria, sine qua Prospectuum scientia consistere minimè posset, satis superq; disseruerimus; Optices quoq; breuem quandam, & quantum ratio edificatoria postulare uidetur, in præsentia cognitionem asserre contendemus. Nec tamen in eo tempus nunc conterendum existimamus, ut veram scientiæ huius definitionem, propriamq; ipsius originem perlustremus: philosophicæ nanq; generis huiusce disceptationes commentationesq; ab Euclide Mathematicorum omnium principe eruditissimè nimirum pertractatæ fuerunt. Verùm nos disputationibus his tanquam à proposito nostro alienis omisissis, & ad Architecturæ usum duntaxat atq; utilitatem respectantes, Opticen eam nunc esse definiemus, quæ edificiorum, necnon superficierum & corporum generatim frontes lateraq; perpendit, & à Vitruuio Scenographiæ nomine domata fuisse uidetur. Hæc autem, quam Opticen dicimus, ex tribus lineis potissimum constituitur atq; formatur. Prima quidem linea plana, ex qua cætera deinde originè ducunt, appellatur. Altera autem ad signum, quod nonnulli uisum, nonnulli uerò, & rectius quidem, Horizonta tanquam uisus nostri terminatorem finitoremq; uocitarunt, extenditur atq; pertingit. Postrema demum distantia linea nuncupatur, quæ ad Horizontis libellam perpetuò constituta modo ei propinquior, modo ab eodem remotior, quemadmodum aliàs demonstrabitur, existit. Horizontis autem altitudo ad oculi nostri libramentum semper est efferenda: Verbi causa si ad eam aliquam Architecturæ, quæ ab imo solo spectantium pedibus attrito prima sui exordia initiaq; desumpserit, in pariete exprimere & referre uoluerit; Horizontis ipsius altitudo oculorum nostrorum aciei primum est adæquanda, necnon distantia ex commodiore atq; opportuniore proposito loci regione est deducenda: Si nanq; ædes in horti aut ambulationis cuiuspiam fronte fuerit designata, distantia in ambulationis horti, & proposito faucibus constituetur: Eademq; ratione si in cenaculo aut cubiculo quodã è regione in-



gredientium hac eadem designatio conspicienda exhibeatur, mox ab ipsomet ingressu adituq; distantia accipietur: Sim iuxta patentiores vias semitas que secundum parietis longitudinem egregium aliquod opus fuerit elaboratum, distantia ex opposito latere ad parietem ipsum conuerso statim assumatur. Quod si forte fortuna via angustiores uideantur, ut abscedentium prospectuum ratio conueniens ac Symmetria seruetur, eas utique laxiores ampliores que mente concipiemus: Quod enim distantia fuerit maior, longius que extiterit interualum; que sibi inuicem succedentia ibi effinguntur simulachra, ab oculis nostris eò magis magis que remoueri existimabuntur. Quod si designandarum adium origo atq; uestigium quatuor vel sex vel plurimum pedum altitudine solum ipsum exuperaret, Horizon, ut iam admonuimus, ad visum profecto collocandus uideretur: Verum quia nulla prorsus adium planicies spectantibus appareret, superioraq; insuper haud mediocri quidem intuentium offensa incommodo que nimis abrupta ac præcipitia uiderentur, idcirco supra adium ipsarum bases Horizontem nonnihil efferre & collocare tunc æquum esse duces, quod prudenter tamen & accuratè efficiendum censemus. Nec enim nonnullorum inscitia & arrogantia nobis probatur, qui in sumptuosorum adificiorum frontibus triginta aut quadraginta pedum altitudine historiam, vel aliud quippiam consimile figurandum iudicarunt, adium quoq; imaginibus in loca tam ardua tamq; sublimia congestis. Verum enim uero in huiuscemodi errata nunquam mehercle præclaros ac sapientes uiros prolapsos fuisse uidemus: quinimo Andream Mantiniam, nonnullos que insuper illustres opifices, si quando imagines & simulachra oculis nostris longè superiora in excelsis quopiam ac edito loco collocanda duxerunt, Optica facultate eos admonente, nullam prorsus planiciem substernendam esse existimarunt. Ex quo, ut supra iam diximus, Opticam Architecturam non modo utilem, verum necessariam quoque in primis existere, clarissimè apparet: quinimo nec Opticam Architecturam ignarum, nec Architectum Optices imperitum boni aut recti quippiam effecturum arbitramur: quod quidem à summis nonnullis uiris, qui tempestate nostra in tam præclara difficiliq; scientia excelluerunt, exemplis patitis demonstrari confirmariq; potest. Bramantem, qui Architecturam iam conscriptam atque iacentem patrum nostrorum memoria ab inferis, ut ita dicam, excitasse uidetur; nonne & Picturam & Opticam quoque, antequam sese ad præstantissimam hanc facultatem applicuisset, complexum fuisse reperimus? Urbinatem illum diuinumq; propemodum Raphaëlem, antequam ad rationem adificatoriam sese contulisset, nonne & pictorem celeberrimum, & egregium prospectuum contemplatorem iudicemq; accepimus extitisse? Balthasarem quinetiam Petruccium Senensem & in Graphica & in Optica facultate adeò floruisse comperimus, ut, cum nonnullarum columnarum aliarumque antiquitatum mensuras studiosissimè sectaretur, easque ad prospectum accommodare contenderet, proportionum & modulorum artificio mirificè delectatus, cæteris omnibus posthabitis, Architecturam quamprimùm incubuerit; in ea que summo studio summaque uigilantia adeò profecerit, ut nulli prorsus inferior haberetur. Hieronymus insuper Zenga, uir acutissimi nimirum & perspicacissimi ingenij, nonne & pingendi rationem, & optices quoque scientiam egregiè calluisse memoratur? Cuius rei Scenæ atque thæatra in Francisci Maria Ducis Urbinate gratiam mira quadam arte composita & extructa amplissimam fidem utique præstant: mox que, eodem Duce uictum opemque liberaliter suppeditante, Architecturam perfectam & absolutissimam cognitionem fuit assecutus. Iulius Romanus diuini Raphaëlis alumnus, ab eo que & in pingendi & in prospectuum rationibus optimè instructus, nonne his intercedentibus ad Architectonica studia aditum uiamque sibi muniuit? Ego quoq; , etsi omnium fortasse

fortasse minimus, in designationibus atque in prospectibus diu quidem multumque laboravi quorum mediocri saltem imbutus cognitione ad Architecturam percipiendam statim me contuli: eaque voluptate ex horum studiorum frequentia atque consuetudine animum meum affici sentio, ut dies noctesque eis inuigilare nec molestum nec graue profecto mihi videatur. Verum ut, unde primum discessit, eodem nostra reuertatur oratio, id etiam atque etiam tibi affirmo, quod in prospectuum delectu habendo maxima cura animaduersioneque nimirum ab Architecto est adhibenda. Quapropter nos, Musarum numine prius inuocato, ad munus nostrum absoluendum iam accingamur: atque, ut probatum ordinem et laudabilem modum in scribendo retineamus, ab infimis et facilioribus ad superiora difficilioraque gradatim ascendemus.


C 2 Cum








VM igitur, ut iam diximus, in scientijs à simplicioribus atque humilioribus ad summa, magisque composita ac inuoluta sit contendendum: quam ratione perfectum absolutumque quadratum, unde cætera postea deducuntur, inflexo inclinatoque situ collocandum uidetur, tradendum imprimis existimamus. Propõnatur quadrati constituendi basis A G, Horizontisq; altitudo, quemadmodum supra admonuimus, ad oculi ipsius aciem æquata & perlibrata intelligatur; & in F signo exempli gratia, quò omnes lineæ cõcurrunt, Horizon ipse modò ponatur: Necnon ab A & G propositæ basis extremitatibus duæ lineæ utrinque in Horizontali angulo terminantes excitentur: Lineaq; plana A G in continuum & directum ad K signum usque producta, Horizontalis linea æquali spatio ab ea, pariq; interuallo ubique distans extendatur; & quò è longiniori quadratum designandum intueri libuerit, eò amplius ab H signo recedemus: at nunc I signo distantia constituto ac definito, ab A ad I rectam ducemus. In quocunq; autem signo linea A I perpendicularem H G tetigerit atque secuerit, quod quidem in B modò contingit, ibi terminum inflexi inclinatiq; quadrati mox statuemus, quemadmodum ex subiecta figura quiuis percipere potest. Quòd si plura insuper quadrata eadem ratione gradatim decrefcentia designare libuerit, ab angulo supra A mox constituto ad I rectam aliam extendemus: signumq; C, quo ipsa eandem G H perpendicularem abscindit, quasi terminum alterius diminuentis quadrati capiemus. Itemq; ab angulo superiori secundi huiusce quadrati ad A conuerso, recta ad I usque distantia signum perducatur: & puncto D, quo ipsa perpendicularem intercudit, tertij quadrati fugientis metam atque terminationem definiemus. Consimiliter quoque in hac quadratorum serie connectenda procedentes, ad Horizontalem lineam denique peruenire possemus.




Regula à nobis hætenus tradita ac assignata ex H G, quæ normæ linea appellatur, totam uim, omneq; robur suum desumpsisse uidetur: at cum prolixior, & propter linearum anfractus perturbata quodammodo existat, alteram & breuiorem & simpliciorē utique hic apponemus. Quadrati nanque latere A G ad K usque signum producto atq; continuato, duabusq; lineis ex utroque latere cum Horizonte connexis & copulatis; necnon duabus parallelis, altera Plana, altera Horizontali, in perpetuam longitudinem extensis atq; diductis; oculiq; interuallo ab angulo G modò longiori modò breuiori ad intuentium libitum constituto, & I K distantia lineam significante, ab eaq; ad angulum A recta quadam in radij morem emissa: ubi radius hic lineam G P dissecuerit, ibi quadrati prioris terminus mox annotabitur & statuetur. Quòd si cæterorum etiam quadratorum seriem gradatim tibi proposueris describendam, ad superiorem figuram statim confugito, eiusq; designationem ad unguem imitator. Quauis autem plana compluribus insuper modis ad prospectum accommodari consueuerunt, hunc unum tamen tanquam & memoratu breuiorem, & de scriptu præterea simpliciorē facilioremq; cæteris anteponendum esse existimaui.






Complurium quidem planorum, necnon complurium distantiarum frequens meditatio, & assidua sapiusque repetita exercitatio Architecto necessaria esse conspicitur. Quapropter ne nos quoq; pro uiribus facultatis huiusce studiosis defuisse uideamur, plani hic appositi, quod ex compluribus constat quadratis, compositionem interpretandam explicandamque aggrediemur. Linea quidem plana A B pro operis conficiendi magnitudine & longitudineq; producat, quæ in tot segmenta, quot quadratorum construendorum designata

designata postulabitur latitudo, diuidetur; & à cunctis segmentis ad P signum Horizontale rectæ extendentur: Postmodum, quæ ab Horizonte maiori aut minori remotione, seu longiori breuioriue interuallo ad libitum constituta, & hic quanuis propter inopiam spatij terminum suum quamque metam minimè fuerit affecta, ab angulo A pro lineæ planæ integra dimidiaque insuper longitudine distante: cum plana ipsa linea quatuor quadratorum conficiendorum spatio in longitudinem porrigatur, primum quadratum sexdecim minora & angustiora ambitu suo, ut mox apparebit, complectetur quadrata. Ab angulo enim B ad distantiam usque recta quadam extensa, signa cuncta, quibus recta hæc Horizontales lineas interciderit diuidetque, quasi fines ac termini sexdecim diminuentium quadratorum capientur: Quamobrem quatuor parallelis ab ipsa plana linea pari interuallo ubique distantibus, & per signa modò notata transeuntibus perductis, omnia iam commemorata quamprimùm consurgunt quadrata. Quòd si alia insuper quadrata à plana ipsa linea remotiora adhuc designare uolueris, ab extrema quarti ordinis parallela supra B consistente ad propositam distantiam rectam alteram priori omnino consimilem perducito: & signa communem rectæ huiusce, linearumque Horizontalium contactum indicantia terminos quatuor quadratorum singulis classibus distribuendorum tibi quamprimùm significabunt; quæ quidem quadrata quater repetita sexdecim quadrata numero hand aliter quàm superiora procreabunt. Similiter etiam si ab octaua parallela supra B constituta ad distantiam usque tertiam lineam extenderis, sexdecim quadratorum aliorum multitudinem, quemadmodum in superioribus, mox designatam habebis. Idemque institutum persequentes, huiusmodi quadratorum descriptorum serie ad Horizontem ipsum tandem perueniemus. Transuersæ autem lineæ, quarum extrema ad dexteram declinantia characteribus C, D, E uides inscripta, quasi in distantia denique signo omnes in unum coeuntes & concurrentes profectò intelligi debent. Dextrum uerò atque sinistrum, quemadmodum aliàs diximus, non quidem ad nostrum aspectum, sed ad ipsammet referto figuram.



At si planum aliquod fortasse complurium quadratorum maiorum comitatu fascijs quibusdam undique circumfuis, septum atque insignitum designare uolueris, præceptionem nostram hanc accipe huic negotio quammaximè accommodatam. Exponatur linea plana A B, quæ tum in latiora quadratorum intermediorum spatia, tum etiam in angustos fasciarum utrinque dispositarum calles ad libitum nostrum diuidatur, & à segmentis ad Horizontem rectæ complures perducantur: Postmodum, distantia constituta, ab angulo B ad ipsam distantiam B D recta contendat: quæ ubicunque Horizontales lineas secuerit, ibi fines & quadratorum designationibus, & fasciarum marginibus conuenientes statuentur. Item si amborum numerum adaugere & multiplicare uolueris, à summo quartæ fasciæ ipsius angulo ad propositam distantiam rectam extendito: quæ quocunque in lineas Horizontales incurret, ibi signa notata quasi termini proprij fasciarum quadratorumque secundis classibus instruendis distribuentur. Idem in reliquis classibus disponendis pariter obseruato. Distantiæ uerò signum in præsentî figura ab angulo A tantum utique aberit, quantum planæ ipsius lineæ extenditur longitudo. Quanam autem ratione in hoc quadratorum genere diuersæ figurarum formarumque species, modò Amygdalæ, quadrato scilicet intra quadratum extructo, modò crucis imaginem referentes, necnon exagonæ insuper octogonæque; sunt collocandæ; breui dilucidat; simul, ni fallor, oratione exponemus.







Figura, quam hic descriptam intueris, quadrati aliud intra sese pari magnitudine quadratum ambientis exemplar tibi demonstrat, ita ut quadrati interioris anguli latera exterioris undequaque contingat: uerum in diminuento quadrato forma hæc collocata Amygdalæ speciem quandam præferre uidetur. Ratio autem Amygdalaris figuræ huiusce construendæ ea utique existet. Primum, ut in superioribus habitum fuit, quadratum, quacunque distantia ad libitum hominis capta, conficietur: moxque ab angulo ad oppositum angulum duæ diagonales transversâ perducantur, duæque lineæ ad angulos rectos decussatim postmodum subiungantur: quibus expeditis media singulorum quadrati exterioris laterum signa notata quatuor interioris quadrati angulos nobis statim supeditabunt. Præsensque figura, absque ulla prorsus distantia uel Horizontis molesta inquisitione, cuiuscunque decrescenti quadrato perbellè aptari accommodarique potest.

Alterum autem, quod hic apposuimus, diagramma crucem ex quatuor æquis lateribus conflata, & in perfecto absolutoque quadrato collocatam repositamque demonstrat; cuius quidem quadrati linea plana in quinque portiones diuisa, media earum crucis ipsius latitudini designatur: lineisque Horizontalibus extensis, necnon diagonalibus insuper ductis, crucem mox distinctam formatamque habebis, quæ in quocunque nimirum diminuento quadrato collocari optimè potest.

Octogona figura octo laterum numero circumscrip-  
ta compluribus quidem rationibus, eisque difficiliori-  
bus ad prospectum deduci solet: cum tamen tum in præ-  
sentia, tum ubique locorum breuitati simul atque faci-  
litati quammaximè studeamus, è cunctis unam cæteris  
longè faciliorem expeditioremque seligemus. Quadra-  
to igitur aptè appositèque; inprimis ad prospectum accom-  
modato, linea plana in decem æqua segmenta mox fece-  
tur & diuidatur; ac tribus utrinque, quatuorque in me-  
dio segmentis relictis, lineæ Horizontales primò, dia-  
gonalesque postremò ducantur, & à communibus Ho-  
rizontalium atque diagonalium intersectionibus duæ  
mediæ lineæ à plana ipsa linea æquè distantes ad utranq;  
partem extendantur: & ubicunque tum hæc parallelæ  
quadrati maioris latera, tum mediæ Horizontales extre-  
mas, imam uidelicet summamque, quadratorum nimi-  
rum lineas offendent; ibi fines angulis octogonam figu-  
ram complectentiùs statuentur, quemadmodum ex  
præfenti clarissimè habetur descriptione.




At nunc exagonam quoque, quæ sex laterum nume-  
ro circunuallatur, figuram ad prospectum deducendi ra-  
tionem modumque; doceamus. Perfecto inprimis absolu-  
toque quadrato, ut iam diximus, in commodiori distan-  
tia collocato, & plana ipsius linea in quatuor æquas por-  
tiones diuisa, duæ mediæ medio spatio, duæque angula-  
res spatijs extremis distribuantur: moxque tum Horizon-  
talibus tum diagonalibus lineis extensis, à signo commu-  
nem diagonalium contactum indicante linea ipsi planæ  
parallela ad ambas partes ducatur. Vbi hæc parallela duo  
angularia quadrati, dextrum uidelicet sinistrumque, late-  
ra offendet; ibi duo extremi rectique anguli constituentur:  
Item ubi mediæ Horizontales imam summamque  
quadrati eiusdem lineam attingent, ibi quatuor reliqui  
anguli obtusi mediique apponentur: Quibus iam expe-  
ditis, & ab angulis ad propinquiores angulos lineis perdu-  
ctis, exagonum sex lateribus munitum ac terminatum  
quamprimùm habebis.




Quibus rationibus simplices puræque superficies, tum  
quadrata complures, tum exagonæ, tum octogonæ sunt  
designandæ, ipsique prospectui accommodandæ, hæc-  
tenus quidem tradidisse uidemur: modò reliquum est ut  
duplicium commixtarumque, quæ simplicibus singulis  
fasciam quandam ambientem circumponunt, constitu-  
tionem compositionemque aggrediamur. Exagona igitur  
simplicique superficie, quemadmodum postremò do-  
cuimus, formata; eaque pro fasciæ circumponendæ spa-  
tio ac latitudine utrinque relaxata, quadratique ipsius, in  
quo forma hæc exagona collocatur, latera, tam dextrum  
uidelicet quàm læuum, feriente; præter superiores Ho-  
rizontales duas alias occultas, & punctis tantummodo desi-  
gnatas lineas ad Horizontem item perducemus: & duas  
alias insuper parallelas, alteram imam, alteram autem sum-  
mam à diagonalium, occultarumque Horizontalium con-  
tactibus in interiori quadrati ipsius spatio ad utranq;  
partem extendemus: quæ quidem duæ parallelæ non secus ac duæ illæ Horizontales punctis tantummodo desi-  
gnentur, & iam quadratum fascia circunuolutum habebimus. Ab omnibus angulis deinde exagoni designa-  
ti ad centrum usque lineis punctim & occultè continuatis, signa, quibus hæc quatuor lineas interiores, duas ui-  
delicet Horizontales duasque parallelas quadrati intimè circumcludentes abscindant, quasi fines ad exagoni  
interioris angulos describendos accommodati capiètur: moxque; ab uno termino ad terminum alterum lineis exten-  
sis, fasciæ ac zonam exagonum hoc intimum undequaque complectentem iam perfectam & elaboratam habebis.

Idem








sequemur. Id unum in præsentia subiungere libet, quòd octogona hæc species, itemque fasciæ eam ambi-  
bientes, cunctorum laterum medijs signis adiuventis, & manus aptitudine atque dexteritate quadam ad  
orbiculares lineas tam interiores quàm exteriores circumagendas adhibita, ad rotunditatis elegantiam ac  
uenustatem quamprimùm redigi possunt.


Etsi, quo pacto ex octogona superficie rotunda figura satis aptè appositeque deducatur, modò tradidisse  
uidemur, aliam tamen hic tutiorem perfectioremque octogonæ superficiæ rotundandæ subiungemus ratio-  
nem: quòd enim forma aliqua in gyrum sese conuoluens ex plurium laterum multitudine fuerit constituta,  
eò ad absolutam exactamque rotunditatem propius nimirum accedit. Vt igitur propositum assequaris, se-  
micirculum imprimis te circumducere oportet; cuiusque peripheriam in tot æqualia, quot libuerint, partieris  
segmenta, dummodo cuncta in unum composita & collecta parem aliquem numerum procreent atque con-  
ficiant. Quando autem in plura eam diduces segmenta, tantò rotundior perfectiorque forma utique eua-  
det. Verùm in subiecta figura semicirculum in octo, ut uides, distinximus portiones; adeò ut tota postea



completaque circinatio, si eandem diuidendi rationem persequaris, sexdecim æqua complectetur segmen-  
ta. Plana igitur linea una eademque cum semicirculi ipsius diametro existente, à cunctis peripheriæ seg-  
mentis perpendiculares ad eam perducantur, moxque ab eiusdem diuisionibus rectæ lineæ ad Horizontem  
contendant. Postmodum, distantia ratione animaduersa habitoque delectu, quadratum quatuor lineis  
conclusum & comprehensum designetur: diagonijsque productis, à signis, quæ communem diagonalium  
harum

harum ac Horizontalium linearum contactum seu concursum demonstrant, tot quoque parallelæ ad ambas partes extendantur; moxque quatuor & sexaginta quadrata sese conspicienda exhibebunt: quæ in medio interiorique quadrati ipsius sinu laxiora, sub extremis autem quadrati eiusdem finibus terminis ue angustiora utique apparebunt. Medio postea lateris quadrati maioris accepto, signum ibi primùm notetur, quod angustissimi quadrati angulus nimirum existet, deinde aliud signum in opposito quadrati eiusdem minimi angulo constituitur: & consimili deinceps ratione ab angulo ad oppositum angulum signis in diametri morem instructis dispositisque, termini complures in orbem sese consequentes & conuoluentes iam stare conspicientur. Postremò à signo ad signum flexuosis quibusdam lineis docta potius ac artifice manu, quàm ulla prorsus circini ipsius ope descriptis ac figuratis, diminuentem & ad Opticas leges constructam rotunditatem ad exoptatum denique finem perduces. Præsentem autem designationem, studiosissime Lector, cum ad quamplurima usui ea fore uideatur, cumque nos frequentissimè eius in posterum mentionem simus habituri, tibi sæpius sæpiusque uersandam pro nostra auctoritate tractandamque præcipimus.


Verùm euge præstantissime iuuenis haud hic profectò consistite, quin modum insuper atque rationem, qua rotunditatem mediam fascia undequaque ambiente constringere possis, meditare. Quamprimùm igitur fasciæ latitudinem definieris, eadem prorsus intercapedine seruata, interiorem semicirculum ab exteriori distantem circumducito: ambabusque peripherijs earundem reclarum per utrasque ad commune centrum defluentium auxilio in æqua consimiliaque segmenta diuisis, ab interioris hemicycli segmentis ad planam lineam perpendiculares perducito: uerùm omnes hæ nouissimæ lineæ superioribus adiectæ, propter confusionem euitandam, punctis quibusdam minutioribus designentur: Perpendicularibusque ad Horizontem usque punctim continuatis, ubi rectæ à minoris semicirculi extremitatibus ad Horizontem ipsum extensæ diagonales lineas abscedent, ibi termini fasciæ quadratum interius ambientis statuentur: Mox ab angulis omnibus amplioris rotunditatis lineæ punctis item signatæ ad centrum confertim omnes proficiantur, quæ ubi in Horizontales lineas punctis minutioribus adumbratas incurrent, ibi anguli ad interiorem circumferentiam siue rotunditatem formandam accommodati capientur. Postremò ab angulo ad angulum linearum flexibus manuum opera circumductis, quemadmodum subscripta patefacit figura, rotunditatem fascia undequaque circumligatam & irretitam habebis. Nec te, quisquis es, qui ad Architectonica studia animum applicuisti, duabus hisce propositis designationibus quanuis difficilioribus, diutius insistere peniteat: nec enim absque earum cognitione opera complura, quorum sæpe sæpius indiget usus, decenter construi queunt. Contrà uerò quisquis eas ad manum habuerit, mira quadam facilitate cuncta ad exoptatum denique finem perducat.




Verùm id insuper Architecto nonnunquam occurret, ut ædificium aliquod tum exterius, tum etiam interius oculis nostris subijcere uelit. Quapropter si certo quodam & compendioſo itinere propositum suum assequi cupiet, totius ædificij aream opticè eum imprimis constituisse oportebit: mox à planicie, fabricæ ipsius partes conspiciendæ excitabuntur; cæteris in eodem plano ad reliquas ædificij partes significandas derelictis. Si igitur area aliqua ad Opticas leges erit nobis effingenda, ut rectam eius designationem efficiamus, primò quidem propriam ipsius formam figuramque describemus, moxque eam ad prospectum accommodabimus.



dabimus ac traducemus: Quod nempe ut facilius percipi possit, uacuum undiq; & inane hoc ædificium apposui-  
 mus. Idq; firmissimè tibi persuadeas uelim, si designationum harum nostrarum uim ac artificium perfectè cognoueris, te alia quoque his longè difficiliora ad prospectuum rationem quamprimùm fore deductu-  
 rum. Quopacto autem præsens ædificium à nobis figuratum paulatim diminui & contrahi debeat, cum per se patens ac manifestum hoc esse uideatur, haud est profectò quòd in huiusce rei explicationem multum la-  
 boris infumamus. Singulis nanque lineis ab angulis & lateribus rerum earum, quæ proprijs formis designa-  
 tæ circumscriptæque fuerunt, ad planicie ipsius, quam abscedentem quodammodo & fugientem efficere uolumus, lineam translatis atque perductis, moxque eisdem cum Horizonte copulatis, necnon commodio-  
 ris distantie habito delectu, & diminuenta quadrato insuper concluso ac circumscepto, duabusque diagonijs tandem extensis: hæ columnarum omnium, cunctarumque pilarum collocationem atque conformationem citra ullum errorem nobis suppeditabunt. Quæ quidem eo facilius consequemur, si, quæ ex superioribus iam didicimus, memoria firmiter tenaciterque retinuerimus.



Subsequens figura præcedenti difficilior aliquantum magisque inuoluta esse uidetur: à patentioribus nanque ad obscuriora, atque à simplicioribus ad magis composita gradatim proficiscendo rerum cognoscendarum ueritas humanis mentibus facilius nimirum illabitur imprimaturq; . Quod quidem institutum si ad artis facultatis uel ullius confert explicationem, ad Architecturæ inprimis scientiam tanquam cæterarum longè difficillimam percipiendam addiscendamque profectò conducet: Quinimo si quis in hac celeberrima præstantissimaque facultate longius progredi & quammaximè excellere concupierit, nihil utique oscitanter ipsi prætereundum existimamus: uerum omnes neruos potius, ut aiunt, ad singularum rerum intelligentiam assequendam intendet, & horum studiorum uehementissimo flagrans amore in ea totus denique incumbet. At si quis rerum difficultate perterritus, modò hac modò illa subobscuriori designatione sibi oblata, citra ullam animaduersionem conuiuentibus oculis eas præterierit (etsi facilitati & claritati in dicendo quammaximè certè studemus) id illum inprimis admonitum uolumus, eum in hac facultate parum ad-











rectum aspiciantur. Sicut enim pictores quicumque hominum & animantium dissectiones sæpe sæpius contemplati fuerunt, ijs, qui eorundem corporum extimam tantummodo faciem, externaque duntaxat lineamenta intuiti ad interiora minimè penetrarunt, præstantiores excellentioresque iudicantur: haud secus Optici, quibuscunque abditarum occultarumque linearum uis atque artificium innotuerit, ijs longè præstabunt, quibus apertæ duntaxat manifestæque partes erunt cognitæ atque perspectæ. Nec illud tamen inficiamur, quin, cum in occultis & latentioribus partibus cognoscendis diu exercitati fuerimus, easque memoria optime continuerimus, ad designationes postea & opera descendentes primis ac præcipuis solummodo uti debeamus; necnon usum, rationis tamen contemplationisque gubernaculo semper dirigente, in compluribus construendis sequamur.

Tres, quas hic descriptas intueris, grammicæ deformationes, singulæ ex quadrato ratione superius à nobis adducta eliciuntur, omnesque simul, ut par est, ad unum eundemque Horizontem concurrunt. Ad complura autem earum usus extenditur atque transfertur: Quinimo si quis eas promptè expediteque ad manum habuerit, quamcunque rotunditatis propositæ speciem absque ulla profus hæsitacione mox rectè construere, appositeque collocare ualebit: Contrà uerò, his ignoratis, te in orbiculatis & circularibus formis





rudem & nullius precij artificem esse comperies. Hincque sphericæ solidæque structuræ tum columnaræ, tum sine ulla columnarum fultura, necnon scalarum cochlearum insuper genera deducuntur. Quibus enim rationibus graduum rotundationes sunt faciendæ, præsentibus designationibus circumspectis ac diligenter consideratis, statim utique inuenies: Hincque nimirum inclinantium deficientiumque Rotarum Opticam deformationem atque collocationem, ut ex subiecto patet exemplari, accipere licet. Atque, ut summatim rem perstringamus, subiectæ figuræ ad infinita propemodum tibi conducent. Haud igitur frequens earum studium, assidueque repetitum molestum aut superuacaneum tibi obsecro uideatur: præsertim cum arcuum quoque diminuentium inclinata conuersio & collocatio, quæ longè difficillima esse censetur, ex iisdemmet descriptionibus tanquam ex fonte quodam uberrimo deriuatur. Veruntamen si quis ad Architectonica studia primùm accedens hæc tanquam nimis cupidus statim, primoque impetu intelligere experiretur; eum nequicquam laboraturum, quin potius suspensum perplexumque remansurum existimarem: At si tum per Geometricas, tum per Opticas etiam, quæ à nobis traditæ hucusque fuerunt, commentationes gradatim ac pedetentim inceserit; nisi horum quoque & cæterorum deinceps intelligentiam assequetur, stupidum ui-





ri & obtusum ingenium quammaximè deplorandum esse tunc iudicari. Quas igitur in præsentia delineauimus, tres numero superficies existunt: in quibus perpendicularibus lineis à cunctis tam uidelicet interioribus quàm exterioribus terminis formarum superiorum ad terminos inferiorum deductis, perspicuum translucidumque corpus mox designatum habebis; occultioribus autem & obscurioribus lineis contactis, plenum solidumque corpus quamprimùm conserget. Quod si profundum aliquod corpus, cuius ima pars conspici possit, describendum proponatur; binæ harum superficierum, altera super alteram composita coaceruataque, & propositi corporis altitudinem adæquantes tibi erunt designandæ; latentesque partes, quæ discerni minimè possunt, occultandæ atque tegendæ: & hac utique ratione imum corpus, profundiori ipsius parte sub aspectum nostrum cadente, descriptum expeditumque prodibit. Nec ullam obsecro, Candidissime Lector, capias admirationem, si in rebus ipsis explicandis declarandisque prolixiores quandoque uideamur: sicut enim principiò admonuimus, Opticæ facultatis huiusce intelligentiam longè facilius & expeditius uocali oratione, & frequenti corporum ipsorum attræctatione uersationeque, quàm ex animi scriptura fictis; designationibus homines consequuntur.

Plerique amnes cum de montibus præcipientes ruunt, ualles maximo impetu aggredientes, & alucum quandoque mutantes, quantum agri colono huic adimunt auferuntque, tantum alteri adiiciunt atque restitunt. Haud secus etiam Optico in angulorum ipsorum prospectu contingit: quantum enim de interiori, aspectuique nostro propinquo ri angulo detrahitur ac imminuitur, tantumdem angulo exteriori atque remotiori tribuitur ac superadditur: quod quidem optimè, ni fallor, ex subiecta designatione cuius percipere licet. Tibi autem id imprimis, studiosissime Lector, memoriæ commendandum præcipio, medium uidelicet quadratum quadratæ columnæ crassitudinem; minoremque portionem quadratum extrinsecus ambientem, tam basis quàm capituli ipsius columnæ proiectionem, prominentemque crassitudinem significare: Inferior autem figura basim, & superior capitulum columnæ eiusdem designant. Verùm quam postea ratione hæc omnia sint diminuenda contrahendaque, iam accipe. Primò quidem columnam è regione absque ulla crassitudine profus effinges, eique basim præterea capitulumque adijcies, proiectionis tam dextra quàm sinistra æqualibus constitutis, & ad uniuersum hoc opus expediendum occultæ quædam lineæ minutioribus punctis tantummodo connotatæ, quemadmodum subiecta patefacit descriptio, erunt tibi adhibendæ. Postmodum columnæ ipsius latere, quod conspiciendum proponitur ad Horizontem usque

usque perducto; partisq; diminuentis & decrefcentis, quemadmodum postea ostendemus, crassitudine inuenta; columnæq; insuper ima profundiori que parte constituta, ab angulo ad oppositum angulum diagonales quædam occultæ producantur, & ab angulo basis (de ea nanque in præsentia sermonem habemus) qui ad aspectum propius accedit, linea ad Horizontem extendatur; quæ infra continuata eousq; deducatur, donec diagonij lineam in ima columna iam designatam contingat: ibi nimirum diminutionis anguli ipsius terminus statuetur. Mox ab angulo hoc diminvente ad alterum accrescentem plana quædam linea perducatur, quæ, sicut ratio quoque efflagitare videtur, infra imam columnam aliquantulum deprimetur. Hac nempe ratione basis ipsius projectura, & quantum ea extra planum extendatur atque procurrat, & quanta anguli unius detractio ac imminutio, alteriusque adiectio & incrementum existat, optimè tandem patefaciet ac præferet. Demùm à superiori basis ipsius linea, parte aspectui nostro propinquiori item assumpta, ad Horizontem recta ducatur; & pariter ab inferiori angulo ac decrefcente ad eundem Horizontem recta alia extendatur: quæ ubi imæ columnæ diagonalem lineam interfecerit, ibi alterius anguli terminus statuatur, quemadmodum ex apposita designatione cuius perspicere licet. Quæcunque autem de columnarum spiris ac basibus dicta à nobis fuerunt, ad ipsarum quoque capitula transferentur.


Tres à nobis adiunctæ figuræ cum superioribus conuenire omnino uidentur, eo tantùm discrimine intercedente, quòd simplices, proprijsq; ornamentis destitutæ illæ quidè, hæ autè ornata, membrorumq; suorū appositione auctè amplificatæq; esse conspiciuntur. In superiorib; igitur propter confusionè, necnon difficultatem obscuritatemq; euitandam, qua ratione columnarum membra sunt effingenda atq; formanda, explicare consultò prætermisimus; uerùm ibi primorum terminorum duntaxat, primorumque elementorum declarationem duximus præponendam, ut ea uidelicet frequenter repetita in intellectu nostro firmiter utique imprimantur hæreantq;: proximè autem nunc præsentibus subiecimus designationes, ut gratissimum earum aspectum ac symmetriam aliqua saltem ex parte degustare possis: In posterum denique, obseruata captataque temporis opportunitate, propter rei summam, ut modò diximus, difficultatem integram absolutamq; columnarum deformationem, cunctis earum membris apposis & ornamentis adiectis, occultarumque linearum ductu figuratis, differemus; rationem insuper, ut singulorum membrorum, quæ incrementa nonnulla suscipiunt, terminos inuenire ualeamus, ibi demùm explicaturi ac tradituri. Illud interea reliquum esse uidetur, ut in proposita figurataq; columna tum basis tum capituli coronices, earumq; incrementa, & decrementa diligenter perpendamus: & eiusmodi nempe coronicum dispositiones memoria sunt à nobis firmiter retinendæ, ut his optimè instructi in sequentibus deinceps operum conficiendorum rationem facilius assequamur. Scientia nanq; & contemplatio in intellectu quidem manet: uerùm usus deinde operumq; constructio, diuturna manuum ipsarum exercitatione uersationeq; comparatur, & earum industriæ solertiæq; committitur ac demandatur. Ex quo nimirum id arbitror contigisse, ut Leonardus Vincijs, peritissimus nempe Architectus, nunquam de operibus suis uehementer latari aut gloriari uideretur & pauca admodum ab ea absoluta elaborataq; fuisse cõperiuntur: Cuius quidem rei, nonnunquam rogatus, eam rationem in medium adducere solitus erat, quòd manibus intellectus ipsius assequi perfectionem sibi nequaquam liceret. Verùm hoc præclarissimi uiri institutum si ego quoq; sectandum imitandumq; mihi proposuissem, nec ullum antea meorum operum in lucem egredi permisissem, nec eorum ullum posthac in medium omnium proferri ac diuulgari sustinerem. Ut enim uerum proloquar fatearq;e, siue quid re ipsa construam atque conficiam, siue quid literarum monumentis tradam atq; consignem, mihi plenè absoluteque satisfacere nequeo. Verùm, ut aliàs quoque me dixisse recordor, exiguum illud talentum, quòd Deo Optimo maximo propter summam quandam eius liberalitatè mihi tribuere cõmodareq; uisum fuit, ad usum studiosorumq; cunctorū utilitatè cæteris quoq; cõicere ac impertire,





quàm sub terra propter segnitie aut fœcordiã absq; ullo profus emolumẽto defodere malo. Etsi enim his, qui quamplurima scire expetunt, rerumq; omnium propositarum exactam absolutamq; cognitionem assequi studeant, satisfacere nequaquam potuerimus: si tamen hi, qui uel nihil adhuc, uel parum admodum in Architectonicis studijs profecerunt, aliquam saltem ex scriptis nostris utilitatem acceperint, munus nostrum satis superq; nos expleuisse perfecisseq; existimabimus.

Quoniam, ut modò diximus de columnarum proiectoris ad opticam rationem accommodandis sermone habentes, membrorum cunctorum propter eorum incrementa terminos inuenire perdifficile quidem ualdeq; laboriosum existit, siue ea è loco superiori, siue ex inferiori regione spectanda contempladaq; aggregariis: ut orationis nostræ sensum ac intelligentiam facilius & expeditius assequaris, aliam rursus columnarum designationem atque deformationem, cunctis earum membris ac ornamentis appositis, subiungemus. Altera nanque descriptione proximam, quam nuper confecimus, antecedente angulorum duntaxat termi-




nos, nulla prorsus membrorum ibi habita mentione, perquirere inuenireque docuimus: Nunc uerò, quo pacto membrorum omnium incrementa reperire ualeamus, modum atque rationem trademus. Primò quidem basis, omnibus eius particulis ac ornamentis adiectis, necnon proiecturis insuper iusta ratione ac symmetria distributis, haud aliter quàm si è regione collocata fuisset, constituitur: ad quod utique munus expediendum occultiores lineæ sunt adhibendæ. Deinde propositæ basis, ut iam ostendimus, imminutiones atque incrementa assumantur: lineaque plana infra basim tantum utique deprimetur, quantum ipsa basis eiusdem fundum excedit. Mox ab angulo plinthe inferioris duæ lineæ eductæ in maiorem aliquantulum altitudinem, quàm plinthus superior, attollantur. Postmodum ab angulis plinthe superioris duæ rectæ ad Horizontem ducantur, quæ duas lineas ab inferiori plinthe iam excitatas contingant: ibiq; plinthe maioris aliquantulum ac amplioris termini, qui perpetuarum ac stabilium linearum extensionibus cõtineantur, sunt statuendi. Deinceps ab angulo plinthe aspectui nostro propinquiori ad superiorem basis ipsius terminum recta ducatur: in qua membra omnia iam à nobis commemorata sequenti ratione, quemadmodum mox audies, terminabuntur ac finientur. Ab Horizonte ad cunctos membrorum basis ipsius, quam lineis occultioribus distinctam formatamq; conspicias, angulos rectæ complures ducantur: quæ lineam à plinthe maioris angulo exeuntem, & ad superiorem usque primæ ipsius basis terminum profluentem contingant. Vbicunque igitur Horizontales lineæ lineam hanc secuerint atque tetigerint, ibi termini membrorum omnium incrementa suscipientium ac fines designabuntur. Quibus quidem membris ad angulum aspectui uiciniorum compositis & constitutis, cuncta ad Horizontem denique perducentur. Postquam autem angulum hunc de crescentem, ornamentis appositis, quemadmodum ex basi à nobis subiecta perspicere licet, formaueris atq; distinxeris: haud aliter quoque ad alterum angulum accrescentem conuersus, in eo exornando atque perpoliando elaborare debebis. Quæcunque uerò de columnarum basibus tradita hucusque à nobis præceptaq; fuerunt, ad coronices quoq; applicanda accommodandaq; esse uidentur. Ei autem Lector inprimis ut mentem adhibeas rogo, quòd perpendiculares omnes lineæ lineas, quas modò commemorauimus, Horizontales interfecare ac abscindere debent, quemadmodum designatio hic à nobis apposita clarissimè ostendit: quæ quidem designationes in huiuscemodi rebus explicatu difficilioribus ad earum intelligentiam assequendam plus momenti, quàm ipsamet oratio frequenter habere conspiciuntur. Nec propterea quòd commentationum harum nostrarum ueritas studiosorum ipsorum mentibus extemplò innotescere minimè potest, eis mox diffidendum aut desperandum esse censemus: assidua nanque sæpiusq; repetita lectio ad ueram exactamq; dictorum nostrorum intelligentiam eos tandem perducet. Id unum modò superioribus adiungemus, nempe coronicem, quam hic descriptam intueris, omnibus tum eleuatoribus tum etiam depressioribus angulis optimè inseruituram; cunctis, etiam si præter hæc apposita alia quoq; membrorum genera adijcerentur, ad Horizontem semper redactis.


Ad columnas super planum aliquod deinceps collocandas erigendasq;, quarum serie instructa ac ordinata arcuatæ porticus, alia ue consimilia mox efferantur, complures uia nimirum ac aditus patent: Verùm hanc unam tanquam faciliorem è cæteris rationem in præsentia nos seligemus. Inprimis quidem planum satis amplum compluribus quadratis, ut à principio docuimus, in eo designatis constituetur, & ad eam usq; distantiam, quæ nobis commodior uisa fuerit ac opportunior, proferetur; quadratorum singulorum, exempli gratia, spatio bipedali concepto, & columnarum crassitudine bipedali quoque existente: quanuis ipsæ propterea quòd utrinque, dextra uidelicet ac sinistra, cum parietibus coniunguntur atq; cohærent, suis lateribus pedalem crassitudinem minimè excedunt. Binis autem primis columnis octo quadrata media intercurrere intercedereque uidentur. Mox earum crassitudine ad Horizontem perducta, ijsque in altitudinem mente iam à nobis conceptam designatamque eductis ac terminatis, semicirculus ab unius uertice ad apicem alterius circumagatur: quo in quotquot partes numero uoluerimus postea diuiso, omnes ad proprium centrum, quod in media linea superiori ex punctis constituta, ambarumque columnarum uertices contingente deducuntur. Reliquum autem centrum ad partis inferioris ipsius arcus crassitudinem effingendam accommodatum ex media linea huic subsistente capietur: cunctisq; terminis item ad Horizontem perductis, primum arcum mox constructum ac designatum habebis. Cæteræ deinceps remotiores columnæ non secus ac præcedentes octo quadratorum interuallo ab sese inuicem distabunt, quadratumque spatium ipsæmet suis lateribus undequaque occupabunt: in quibus secundis nimirum columnis haud aliter quàm in primis tibi erit elaborandum. Necnon eadem prorsus cura ac diligentia ad tertiarum, & quartarum columnarum insuper coniugationes est adhibenda. Modò autè Optica arcuū ipsorum diminuentium colloca-tione duximus supersedendum, ne Lectoris mentem, tot rebus in unum congestis atq; coaceruatis, nimium quandoque defatigemus: uerùm hoc ad opportuniorem utiq; locum reseruabimus ac differemus. Quadratorum ostiorum, quæ utrinque apposita conspiciuntur, partes nonnullæ primarum columnarum adumbrantur atq; præpediuntur obiectu: at coniunctas amborum apertiones quatuor quadratorum interuallum complecti hac ratione facillimè demonstratur. Ab angulo nanque ostij ad columnam bini pedes interfunt: ostij autem pars illa, quæ, ut iam diximus, columnæ latet obiectu, pro columnæ eiusdem crassitudine binis item sibi uendicat pedes: unde totius ostij huiusce uacuitas & laxamentum quadrupedale utique spatium intercipit. Quo quidem interuallo rursus pro ostij alterius ex altera parte collocati apertione repetito, a mborum



ostiorum hiatum & laxitatem octo pedum fore consequitur. Quorum quidem summa in unum composita, & ad quadratorum ipsorum quantitatem redacta quatuor quadratorum interuallum utique complectetur, cum singula quadrata bipedale spatium admittere iam antea supposuerimus. Tignorum autem, quæ arcibus ipsis superponuntur, series ac dispositio, cum per sese cuicumque pateat, nullam quippe orationis nostræ explicationem efflagitare uidetur. Columnarum bases postremo capitulaque, ne legentes, tot rebus in unam designationem collatis, quandoque confundantur, hic apponenda minimè duximus: Verùm quod consultò fuit hic prætermissum, mox in sequenti pagina restituetur.



Subsequentes arcus idcirco à nobis constructi designatiq̄ue fuerunt, ut ijs tum bases suas subijcere, tum propria quoque capitula superinducere ualeamus: quæ quidem omnia quibus rationibus diminui augeriq̄; debent, duabus lectionibus superioribus separatim iam ostendisse uidemur, ut nunc ad huiuscemodi rerum genera operibus ipsis aptanda, ad usumq̄; deducenda simus instructiores. Si præsentibus nanque uocali oratione mentis nostræ intima cogitata exponere ac interpretari possemus, longè melius atque facilius ab astantibus ea utique perciperentur: Verùm cùm scriptionibus & designationibus absentium, posterorumq̄ue utilitati longius prospicere statuerimus, nil mirum cuiquam esse debet, si, ut animi nostri sensus legentes expeditius attingant, prolixiori sæpius uberiori; utamur oratione. Inprimis autem ut occultarum ac patentium linearum anguli facilius distinguantur ac secernantur, breuiorem distantiam, inumq̄; Horizon-






tem nunc constituimus; necnon columnas, diuersam a superiori quadratorum complurium instituto rationem secuti, super ipsum planum in præsentia sic utique collocamus. Primis duabus columnis, earum crassitudine ad libitum nostrum definita, super planicie lineam erectis, duabusque extremis lineis ad unamquamque columnam designandam tantummodo acceptis, ad Horizontem ambæ mox perducantur: earumque intercapedo, quemadmodum supra quoque admonuimus, mente concipiatur ac terminetur; quæ quidem intercapedo duabus ex partibus pariter statuatur: Postmodum ab extrema parte dexterioris columnæ ad læuæ partis distantiam recta ducatur, eademque ratione ex altero latere recta huic omnino consimilis extendatur. Ambæ hæ diagonales primarum columnarum crassitudinem nobis significabunt, supra columnarum earundem lineas sese mutuò interfecantes: necnon eademmet planiciem suppositam supergressæ in terminos duarum longinquiorum columnarum denique incurrent; quemadmodum ex occultioribus lineis super planum constitutis perspicere potest. De partium autem inferiorum crassitudinibus & in superioribus iandudum sermonem habuimus, & idem quoque ex quatuor rectis punctim super columnarum scapos designatis cuius percipere licet, in quibus medijs centra ad arcuum circunductiones accommodata reponuntur. Excuatorum autem quadratorum supra arcus ipsos constituendorum modus ratioque ex subiecta clarissimè patet designatione: quibus, si quando testudinum aut con camerationum extruendarum fortè nos satietas ceperit, perbellè nimirum uti poterimus.

Posterior hæc figura præcedenti omnino consimilis basium tantummodo capitulorumque membra ei su peraddidisse uidetur, ut de futurorum operum conuenientia, cum ad finem & exitum denique ea fuerint perducta, rectius antea iudicare possimus: etsi huiusmodi operum conficiendorum præiudicium superius quoque, ni fallor, attulimus. Id tamen à facultatis huiusce studiosis memoriter tenendum existimamus, quòd cum primùm ipsi præceptionum harum nostrarum sensum uimque optimè fuerint assecuti, in operibus deinde construendis usui quamplurimum tribuant; præter rerum hucusque dictarum, & in memoria penitus insidentium recordationem manus quoque dexteritate, & ut ita dicam, æquitate quadam adhibita. Rationem etenim hanc, quam planicie siue planam appellant, tanquam cæteris compendiosiore sequentes quamplurima deinde, usu inprimis opitulante, construere homines poterunt: quæ si à prudenti artifice, manuum insuper in designationibus iandiu exercitatarum attritarumque opera concurrente, perficientur, optimè nimirum singula eorum membra conuenient; ut in præsentia ex inferiori parte arcus subiecti intelligere ac animaduertere licet, qui quidem in complura quadrata distributus hac nempe conficietur ratione. Duo centra pro arcus huiusce crassitudine formanda primùm capientur, parsque eius inferior in octo segmenta, exempli gratia, diuidetur; ex quibus quadrati ipsius caueæ sex, duoque reliqua balteo seu cingulo quadratum illud ambienti assignabuntur. Item ab uno centro ad alterum octonæ, quæ minores semper minoresque reddantur, partes constituentur. His ita dispositis, pro unius partis à superiori centro deorsum uergentis quantitate circino contracto, superior cingulus designabitur: moxque ad unius partis ab inferiori centro sursum tendentis quantitatem circino compresso, cingulus inferior describetur. Deinceps quadratorum distributio, fascijs eorum insuper duplicatis, iustissima ratione erit conficienda, quadratorum eorundem crassitudine ad libitum nostrum accepta, & ad centrum inferiori ipso centro paululum eleuatius constituta. Hac autem regula suppeditante complurium formarum atque distributionum genera promptissimè expedientur, prudenti tamen consilio, & firmo certoque iudicio semper adhibito. Quapropter horum omnium, aliorumque consimilium operum absolutiones opificis eruditum ingenium, & doctas insuper manus requirent, primos quidem operum suorum terminos ex præceptionibus nostris haurientis, reliquis deinde ex usu & frequenti exercitatione ab eo petitis. Verùm nonnulli morosi, ut sæpius contingit, difficilesque reperientur, qui nos nimis fortasse arrogantiæ atque temeritatis insimulabunt. His autem id unum responsum uolumus, si nos aliqua in re deesse cognouerint, ipsimet supplere ne dedignentur; & hac ratione, quantum inter dicta factaque intersit, profectò intelligent sentientque.







Modus ratioque subiectæ concamerationis extruendæ, non modò ut scriptura & designationibus posteris ipsis tradatur, uerùm etiam ut uiua doctoris uoce præsentibus discipulis explicetur, difficillima utiq; existit: attamen cùm huiusce rei intelligentia ad studiosorum cunctorum utilitatem quamplurimum proficiat atq; conducat, id pro uirili parte modò explanare ac declarare enitemur. Primùm igitur arcus tum latitudine tum altitudine definita, moxq; in planicie quadrato, haud secus quàm si inter quatuor pilarum parastatarum uel angulos constitueretur, descripto, maioris arcus ambitus in octo æqualia diuidatur segmenta: quæ quidem cuncta ad Horizontem, & ad arcus usque minoris circinationem deducantur. Mox earundem partiũ uel segmentorum ope circulus intra quadratum iuxta regulam superiorem à nobis traditam designetur, cuius termini in planiciei ipsius linea numerorum characteribus notabuntur, 5, 4, 3, 2, 1. Deinceps ijdem termini, 5, 4, 3, 2, 1, à semicirculo incipiente sursum ad læuam traducantur, cunctiq; ad Horizontem pariter redigantur:



digantur: necnon omnes in super lineæ, quæ à plani ipsius circinatione oriuntur, in altitudinem educantur. Postmodum quocunq; eadem intersectiones, quæ in prædicta, ut modò uidimus, habentur circinatione, superius inciderint: ibi ambo ij semicirculi, alter quidem ad dexteram, alter uerò ad læuam constitutus, describentur. Quibus expeditis, inter amborum fummitates quinario numero figuratas recta extendatur: quæ ubi mediam lineam ex amplioris arcus peripheria decidentem attinget, ibi medius terminus concameratæ testudinis statuetur. Eademq; ratione à cunctis signis, quæ amborum semicircularum designandorum uiam modumq; iam nobis aperuerunt, rectis extensis, quocunq; hæ arcus amplioris lineas offenderint atque secuerint (hoc autem septies contingit) inde termini duorum aliorum semicircularum accipientur, qui ab angulis inferioribus exeuntes propter cameræ ipsius constitutionem ad superiora conscendunt. Quapropter apta compositaq; artificis manu à termino ad terminum puncta quædam minutiora mox designante, proposita iam concameratio sensim formabitur ac effingetur, quemadmodum subiecta hic abundè, ni fallor, demonstratur figura. Haud secus etiam, prospectu & Horizonte ad latus apposito, erit nobis efficiendum. Verùm præfens hæc, quæ è regione & in fronte constituitur, designatio memoriæ est antea optimè commendanda: facilius enim eæ quoq;, quarum prospectus ad alterum latus collocatur, postmodum expedientur.



Postquam hæc concameratæ testudinis arcum, simplicem illum quidem ad prospectum accommo-  
 dauimus; corporeum modò arcum, opticamque ipsius collocationem in præsentia subiungemus. Verùm  
 antequam rei huiuscæ demonstrationem, difficiliorem eam quidem, attingamus; pilas, quibus huiuscemo-  
 di arcus incumbunt, in primis constituemus: quarum descriptio ita per sese patens manifesta-  
 que existit, ut orationis lumen haud magnopere efflagitare postulareque uideatur. In præsentem autem designationem nec  
 anteriorem arcum, nec arcus ad latera apponendos censuimus, ne cæterarum partium prospectum impedi-  
 remus: uerùm lateralium arcuum uestigia nonnulla tantùm subiecimus. Huiuscemodi autem arcus, quos  
 laterales appellamus, ex quadrato semper deduci consueuerunt, quemadmodum ex eorum quadrata utique  
 textura intelligere licet. At arcum posteriorem tanquã reliquis partibus minimè officientem dütaxat hic desi-  
 gnauimus: cuius forma rotunda in superiori parte constituta rationem, qua sphæricam testudinem, aut catil-  
 li imaginem quandam, aut eandemmet rotundam figuram, sed aliquantulum excavatam ibi collocare posse-  
 mus, nobis tradit ostenditque. Pilarum deinceps cunçarum originem duarum utique diagonalium extensio-  
 nes moderantur; pilæque singulæ trium integrorum, unaque coherentium quadratorum spatium adæquare ui-  
 dentur: Angulare quidem quadratum angulum ipsum consequitur; super cætera autem duo quadrata ar-  
 cus ipsi eriguntur, qui cùm quaternario numero comprehendantur, in Cælo perfectum absolutumque consti-  
 tuent quadratum: quò concamerationes, sphæricæ uel testudines, catillorum uel imagines, alia uel confimilia  
 construi accòmodari uel poterunt. Quòd si præter has nostras institutiones longius adhuc proficere quispiam





fortè uoluerit, hac regula duce semper utatur: Et si cui scripturæ sensus difficilior obscuriorq; uidetur, in exemplar subiectum quasi in lucidissimum speculum oculis coniectis, modicoq; studio insuper addito, ex se abiq; explicationis ullius ope huiusce generis rerum conficiendarum modum rationemq; profectò comperiet.


Ad arcus diminuendos & Opticè describendos quænam requiruntur, ex ijs placidissime Lector, quæ habita hucusq; fuerunt, te abundè iam perspexisse arbitramur. Et olim quidem in tribus rotundioribus superficiebus propositis, qua ratione sphericum solidumq; corpus esset constituendum, cumulatè nimirum absoluisse uidemur: uerùm idem in præsentì quoq; designatione clarius ac manifestius ostendemus. Quapropter rotundum corpus in infimo loco hic collocatum binis arcibus inseruire, in primis est cogitandum: cuius perfecta conformatione, quemadmodum & aliàs docuimus, & longè melius ex apposito schemate nunc perspicisci potest, unà cum arcibus, qui Opticè collocantur, emergentibus, supra Horizontem sublime est attollendum: & eademmet lineæ, quæ super planum constitutæ ex utraque parte dimidij corporis ad angulo & inclinant, ad dextram læuamq;, sicut ex ipsamet patet descriptione, traijci debent. Idq; in primis est aduertendum, quòd duæ cruces in propositi corporis planicie figuratæ rotunditatum ipsarum centra nobis ostendunt. Crux quidem inferior inferioris, superior item superioris peripheriæ centrum demonstrat. Binæ autem hæ cruces arcus altitudinem æquare, & corpus quoddam conficere formareq; uidentur. Verùm id quoque prætermittendum nequiquam existimamus, stabiles uidelicet perpetuasq; lineas exteriores peripherias, occultas uerò punctisq; notatas partes interiores effingere atque formare; adeò ut arcus tanquam ex fragmentis constituti quodammodo introspiciantur atq; traluceant: ex quorum fragmentis, quæ in arcuum ipsorum profundioribus partibus disponuntur, cõplurium diuisionum distributionum ue conficiendarum rationes

deduci possunt. Cuicumque autem arcuum horum constitutio familiaris extiterit, haud ei semper tantos subire labores, implicitas ue huiusmodi designationes repeteri profectò opus erit: Verùm duabus tantummodo lineis tanquam primis & insignioribus acceptis, usu atq; exercitatione cætera deinde edocente, propositos arcus felicissimè expediet atq; distinguet: eoq; magis, quòd arcus ipse in fronte constitutus arcus hosce diminuendos deinde, & Opticè collocatos adeò impedire & occultare consueuit, ut eorum aspectum vix nobis concedere uideatur.

Quapropter nos,  
ne duorum  
absce-

dentium inclinatorumq; arcuum prospectum impediremus, cum consultò hic prætermittendum existimauiamus. Ex corporibus autem hisce rotundioribus complura insuper alia, quemadmodum in superioribus etiam diximus, depromere nobis licebit.






Quod ad columnarum super ipsa plana arcuatam spectat dispositionem, hæc iam dicta sufficient. Quæ autem de quadratarum columnarum generibus à nobis hæcenus tradita commemorataq; fuerunt, eademmet ad rotundas insuper teretesq; columnas sunt transferenda: tam enim bases, quàm capitula, cæteraque demum omnia rotundiori figura prædita ac insignita ex quadratis originem suam deducere comperiuntur. Idque Lectorem admonendum in primis censemus, si ipse corpus proxima designatione nuper elaboratum memoria optime continuerit, fore ut non modò ad hæc, uerùm ad cætera quoque complura usum eius atq; rationem extendat: quæ quidem omnia si sigillatim recensere, legentiumq; aspectui subijcere uellemus, ex compendiosa quadam rerum Opticarum pertractatione, quam paucis absoluerè decreuimus, in immensum utiq; uolumen opus hoc nostrum produceremus; nec satis otij ad reliqua uolumina, quæ polliciti sumus, conscribenda perficiendaq; nobis fortè suppeteret: quot enim in ædificijs construendis occurrere solent, tot quoq; ad prospectum deducere, Opticisq; designationibus figurare profectò oporteret. Verùm id obsecro in presentia aggrediamur, ut quanam ratione ædificia, quæ tum è regione, tum ex altero latere tantummodo intuentibus conspicienda proponuntur, è planis assurgant, ostendamus. Quemadmodum autem in superioribus habitù fuit, breuior simul tutiorq; rei huiusce conficiendæ modus ex complurium quadratorù in

E patentiori




patientiori aliquo plano constitutione sumendus accipiendusque uidetur; uel pedali, uel cubitali, uel cuiuscunque alterius generis mensura in huiuscemodi quadratorum dimensu à nobis accepta ac definita: nunc uerò singula quadrata bipedalia, exempli gratia, esse supponantur. Sicut autem hic in subiecta, quæ è regione constituitur, figura quatuor quadratorum utique spatium inter duas intercedit, columnarumque ipsius scapus unum sibi uendicat quadratum: haud secus etiam in maiori distantia duæ uiciniores columnarum quatuor media intercipient quadrata, quemadmodum in altera designatione hanc subsequente intueri unicuique licet. Columnis igitur ad eam altitudinem, quæ nobis commodior uisa fuerit, eductis, earum mox arcus circunducantur: quorum quidem construendorum ratio ex præsentis patet descriptione. Quauis autem posteriores arcus ab intuentibus discerni minimè possint, eos tamen partim ex patientioribus, partim ex obscurioribus lineis hic effingendos curauimus, ut eorum termini saltem conspiciantur. Supra arcus deinde epistylum, zophorus, coronique; statuentur: cuius quidem coronicis projectura ratione à nobis suo lo-



co superius iam assignata conficietur, quemadmodum duæ diagonales ad coronicis ipsius proiectionem appositæ innuere significareq; uidentur. Superiorem quinetiam coronicem, eadem regula opitulante, rectissimè construemus: quemadmodum tum ex medio tum ex summo anguli alterius, quò diagonales illæ extenduntur, perspicere potest. Fores autem sub porticu constitutæ quadratorum duorum latitudinem, & quaternum altitudinem assecutæ fuerunt. Clauique binj in plano, ut ita dicam, affixi fenestæ ipsius supra coronicem in fronte existentis latitudinem nobis ostendunt: quæ si perfectionem atq; integritatem suam haberet, ad quaternum utique quadratorum conscenderet altitudinem. Iidem insuper clauj in plano inter columnas, quæ contrahuntur, medij consistentes inclinantium fenestrarum determinant latitudinem: quæ ad quatuor quadratorum altitudinem profectò pertingunt, uerùm ab imminente coronice earum impeditur prospectus. Remotior autem arcus ipsius portio, quemadmodum planum quoque demonstrat, à porticu diuisa separataq; existit. A basium uerò capitulorumq; designationibus hic abstinendum esse censuimus, ne cætera tot rerum inuolucris quandoque confunderentur atq; perturbarentur: at ea quoq;, ut aliàs ostendimus, non secus ac si apposita fuissent, subaudienda subintelligendaq; uidentur. Eadem autem regula dirigente, complura ædificiorum genera è planis in altitudinem educuntur: cuius quidem rei perficiendæ in sequenti pagina uaria afferemus exempla. Postremò arcuum cunctorum centra in Horizontali linea, quæ à primo centro arcus in fronte collocati originem sumit, notata designataq; conspiciuntur.


Quam ratione arcus in porticibus cõstituendis columnis suppositis incumbere debent, nonnullaq; insuper alia ad porticum ipsorum dispositionem spectantia, abundè, ni fallor, cuncta iam ostensa declarataq; fuerunt: Nunc uerò, facilitati inprimis studentes, quo pacto ædium, aliorum uel consimilium frontes è planis in altitudinem sunt excitandæ atq; attollendæ, monstrare aggrediemur. Planum igitur ex compluribus quadratis in satis amplū longitudinis spatium extensis sit constitutum, singulaq; quadrata bipedalia existant. Moxq; primo frontis huiusce ingressu ostium sese conspiciendū exhibeat: cuius latitudo cum in duorū quadratorū & semis spatium inclinatione sua porrigatur, quinque pedū sibi uendicabit interuallum: altitudo autè cum quinque quadratorū in transversa planicie intercapedinem occupet, pedum denum quantitatem assequetur: antepagmenta uerò, quæ uulgò pilastratæ dicuntur, cum dimidium quadratum earum proclinata impleant collocatione, pedis unius magnitudinem minimè excedent; eademq; pedalis distantia zophoro assignabitur: coronix autem tantò amplior existet, quantum eius incrementum propter oculi ab imo ad summum prospicientis maiorem longinquitatem efflagitabit, & ex superioribus præceptionibus constructio eius deducetur. Podium deinde seu Menianum, eiusque mutuli in antepagmentorum ostij ipsius solido collocabuntur, unde ostiolum medium ipsi ostio utique superincumbet, bipedaliq; latitudine finiatur. In altero præterea primæ partis huiusce angulo ostium aliud sexpedali latitudine constituetur, quod uel quadratum uel rotundum, prout nobis libuerit, formabitur atque conficietur. Verùm quid ego demens mensuras eiusmodi, quæ in subiecta figura expressæ, & accurata diligentia perscriptæ conspiciuntur, longiori prosequor oratione? Id unum studiosos in præsentia admonuisse sufficiat, quæ è planis oriuntur, ternario numero inprimis comprehendi: Primò quidem longitudines, quemadmodum Frontes Lateraque ædificiorum, in tot pedum quantitatem extensa atque continuata: Secundò latitudines, quemadmodum Ostiorum, Fenestrarum, Officinarum seu Tabernarum, aliorumq; consimilium laxamenta: Postremò altitudines, quemadmodum Portarum item & Luminum excelitates, necnon Meniana præterea, Coronices, Tectæ, Columnas, & eiusmodi cætera. His tribus quartum insuper genus accedit, Murorum uidelicet, Columnarum, Parastatarumq; nonnullarum crassitudo. Longitudines quidem, itemq; Latitudines, necnon Pilarum Parastatarum uel series, quæ, ut aliàs diximus, inter latitudines connumerantur, ex inclinantibus atque diminuentibus sumuntur quadratis: Altitudines autem è quadratis transversis deducuntur. Quemadmodum cum ostium hic figuratum decempedalem altitudinem obtineat, eius dimensio ab angulo hoc propiori è linea angulum eundem procreante capiatur, quæ quidem recta linea uocatur, & quinque quadratis in ea acceptis ascendens hæc dimensio propositi ostij altitudinem explebit. Quæque de ostio dicta fuerunt, eademmet in cæteris quoque intelligenda subaudiendaq; profectò uidentur. Parietis autem crassitudo, cum eam quadrati unius spatium sibi uendicare clarissimè pateat, bipedalis utique erit. Aedis uerò alterius proiectionem sex pedum è planicie acceptorum quantitas dimittitur, eamq; trium quadratorum spatium sibi sumpsisse comperiemus. Atque, ut paucis rem complectamur, cuncta hæc, ut iam diximus, è planicie ortum ducentia ad uarias partes postmodum diffunduntur. Coronices autem, columnasq; cæteraq; ornamenta nequaquam hic apposuimus, ut designatio nostra clarior, captuq; facilior existat. Verùm solers profectò, inuentorumq; uarietatibus affluentissimus Architectus, terminis quamprimum sibi cognitis & perspectis, iudicioque mox adhibito, elegantium recteque distributorum ædificiorum symmetrias persequetur: Et nos quoque otium fortasse ac temporis opportunitatem naçti sub calcem præsentis uoluminis aliquod huiusce rei exemplar afferemus.






Sclarum quidem rationes, propterea quòd ipsæ in ædificiorum constructionibus non modò utiles, sed etiam apprimè necessariæ existimantur, complures hic recensere demonstrareque decreuimus, à facilioribus primùm exordio sumpto. Sclarum ordinarij consuetique gradus altitudine semipedali, pedaliq; latitudine planicieq; passim ab omnibus terminantur. Quapropter nos quoque in proposita planicie, quadratis pedalibus assumptis, scalam pedes quinos in altitudinem erigere, eius latitudine tripedali existente, aggrediemur. In prima igitur plani ipsius linea latitudinis accepta mensura, & quinque pedum interuallis in ea signatis; mox pedes idem quinque super duos scalarum erigendæ angulos A & B ad perpendicularum statuentur. & in decem segmenta iustissima ratione diuidentur: quæ quidem segmenta omnia ad Horizontem occultioribus lineis perducantur. Postmodum quadrata nouem secundùm longitudinem numerentur: lineaq; quadam, quæ lineam B intersecet, erecta, ibi postremæ gradationis angulus utique statuetur: cui tripedalis quadrataq;

quadrataque areola siue retractio, quam vulgus requiem appellat, deinceps succedet; retractionisq; huiusce anguli, C, D, nimirum existent. Primæ deinde infimæque gradationis conformationem aggressi, ab extremis angulis areolæ primæ huiusce gradationis duas rectas producemus, cunctasq; quadratorum ipsorum lineas sursum attollemus: quæ ubi rectas modò commemoratas attingent, ibi graduum cunctorum anguli statuentur, quemadmodum ex subiecta patet designatione. Scala quidem hæc obliquam & inclinam habet collocationem, altera uerò semiperfecta dimidiaque tantum apparet: quæ à superioris altitudine adæquanda uno gradu deficiens, quadrupedalem duntaxat & semipedalem insuper habet ascensum, tripedalemque non secus ac illa latitudinem obtinet, quemadmodum occultæ plani ipsius lineæ eidem scalæ substantes ostendunt. Hac autem regula edocti scalas, ad quantamcunque altitudinem uoluerimus, medijs quibusdam tamen areolis interpositis, educemus; à plani ipsius pedibus, tam in directis quàm in inclinatis scalarum collocationibus, commensibus semper acceptis.




Scalæ quæcunq; imperfectæ dimidiæq; tantum apparent, admirandam & magnificam speciem utiq; præferunt; & in descriptionibus, ubicunque libuerit, perquam aptè expeditèq; collocantur, multiplexq; earum usus existit: quinimo in ipsis quoque structuris, quæ lenem facilemq; habent ascensum, perquam commodæ nimirum uidentur, & prospicientium oculis blandæ iucundæque admodum esse sentiuntur. Publicis autem locis scalarum huiusce generis forma ac dispositio imprimis conducit: cum enim binæ ad oppositas partes instructæ sibi mutuum præstent responsum, per alteram quidem ascendere, reliquamque descendere absque ulla penitus occurrentium atq; aduersantium offensione expeditissimè licet. Quauis autem duo tantummodo hic scalarum ascensus descripti conspiciuntur: aliarum tamen tum consimilium tum dissimilium quoque scalarum genera, exemplar hoc obseruantes, per nosmetipsos inueniemus & construemus. Verum quo artificio, quæue ratione scalæ hic à nobis appositæ conficiuntur, facillimè, ut arbitror, absque ulla explicatione percipi potest: Sicut enim aliàs diximus, quadrata communium pedum mensura definiuntur; gradationibus singulis semipedalem altitudinem, earumque planicie pedalem quantitatem, & scalis utrisque, tam primis quàm secundis, quinquepedalem latitudinem obtinentibus. Horizon autem sublimis admodum est collocatus, ut plana uisu expeditius discernantur. Rustica ianua haud amplius quàm in tripedalem latitudinem, & in altitudinem sexpedalem extenditur: quæ quidem etsi clausa uidetur, eam tamen adapertam atque patentem efficere, aliaque præterea ei adiungere possemus: duæque angulares uer suræ dextra læuæque constitutæ, quò gradatio tertia & areola sistitur, in quinquepedalem haud secus quàm ipsamet scala latitudinem dilatandæ profectò fuissent; uerum hic propter spatij, paginæq; ipsius angustiam pedales factæ fuerunt. Lineæ demùm illæ super gradationes erectæ ferreos uectes, uel humiliores quasdam latioresque columellas, quas hodie Balustrias uocant, ad scandentium sustentationem & fulcimentum exco gitatas imitantur, quæ cæteris etiam subsequentiibus gradibus tum propter incumbentium commoditatem, tum etiam ne quandoque per noctem luminibus destituti ex alto imprudentes decideremus, sunt apponendæ: at hic propter confusionem euitandam continuatam earum seriem interpellauimus.






Ex compluribus, quæ ad Opticas designationes conducere existimantur, *scalarum rationes* maximas nimirum utilitates ac uenustates præstare uidentur: quæ quò plures uersuras habuerint, eò melius commodiusque munere suo funguntur. Quapropter duas hæc *scalas uertentes* nunc figurauimus, quas dimidias tantum depinximus; earum tamen planicie subiecta, conspicuaq; existente. Prior quidem *scala* ternos pedes in altitudinem ascendit, itemq; tripedalem latitudinem obtinet, que madmodum planicies ocul tioribus lineis sub areola seu requie designata nobis ostendit: quæ quidem areola ut commodiorem nobis præstet uersuram, latitudinem duplo maiorem habebit, sicut sexpedalis planicies ipsi supposita patefacit. Huic autem areolæ ostiolum quoddam desuper imminet: cuius latitudo quidem bipedalis, antepagmentaq;



ad utranq; partem collocata semipedalia existunt; cunctaq; simul composita ad tripedalem magnitudinem extenduntur, totiusq; arcotæ explent interuallum. Lineæ uerò stantes, & ad dexteram areolæ partem excitatæ podium, cui tutò hæere incumbereq; possimus, uel ex ferreis uectibus, uel ex lapideis fulcimentorū generibus constans præferunt, quæ in singulis pariter gradationibus, antequam ad areolam pertingas, sunt disponenda: Verùm, ne horum adiectione præsentem designationem implicitam perturbatam'ue redderemus, ea nequaquam hic duximus inferenda. Huiusq; generis autem fulcimentorum altitudinem, ut manus commodius firmari sustineriq; possit, bipedalem, semipede insuper addito, esse decet. Qua ratione deinde scalarum propositarum utraq; , tam uidelicet prior quàm posterior, è planicie in altum assurgat, etsi absq; ullius explicationis ope per sese intelligi possit, pauca tamen hæc propter nonnullos ingenio tardiores hebetiores'ue duntaxat adiungentur. Rustica ianua sub altera areola siue retractione constituta scalæ ipsius latitudinem minimè prætergreditur, quemadmodum planicies ipsi ianux substrata commonefacere nos uideretur. Interior ianua postremò secundæ huic retractioni siue areolæ superposita tertiam scalam cæteris altiorem conspiciendam proponit, quam è regione siue in fronte descriptam intueris: quæ quidem si recta iustaq; ratione esset à nobis conficienda, tripedalem planiciem rusticæ ianux substantem hic quoq; extendere, ab eaque præsentem scalam in altitudinem gradatim attollere, quemadmodum in altera mox demonstrauimus, profectò oporteret.



Differentium scalarum, quæ hic designatæ conspiciuntur, nonnullas absque interpretationis ullius ope facilem sui intelligentiam exhibituras certò scio, præsertim scalam illam medianam, quæ ex utraq; parte comodos præstat ascensus, necnon superiorem alteram ad altiora scandentem: illa nanq; è planicie cæterarum more sublimis assurgit, hæc autem sexpedalem intercipit latitudinem, quemadmodum infra primæ areolæ quadratum uestibulum in pauimento pedum senum spatium item occupante clarissimè apparet. Quod uerò ad duos arcus secundæ scalæ suppositos attinet, eorum crassitudines pedales utique existunt: & idcirco scala ad inferiora descendens, quæ è cæterarum scalarum consuetudine à plano originem suam deducit, quadrupedalem obtinet latitudinem. Altera autem, quæ ab arcuum ambitu liberata ulterius procedit, scala qua ratione conficiatur, perspicuè admodum patere arbitror: duarumq; gradationum, quæ ad læuam appositè conspiciuntur, constructio atque artificium satis, ni fallor, intelligitur: eiusq; perfectio atq; absolutio, si pauimentum ad læuam amplius extenderetur, melius adhuc & clarius nimirum discerneretur. Scala deinde remotior iuxta rusticam ianuam collocata quemadmodum è planicie in altum assurgat, dilucidè quidem percipitur: quæ gradatim ascendens in areolam quandam in interiori parte constitutam, & in scalam deinceps altiora atque interiora loca adhuc petentem incurrit; scalæq; nouissime huiusce commentus non secus ac reliquarum à pauimento accipiuntur: gradus enim semipedali altitudine, pedaliq; planicie terminantur. Verùm huiusmodi symmetriæ in tanta exemplaris exiguitate uix locum habere uiden-





tur: sed cogitatione ac mente firmiter comprehensæ, & ad maiorem quantitatem deinde traductæ, optimè nimirum conuenire ac respondere comperientur. Sub scala denique hac postrema ostium quoddam intercurrit quinquepedali latitudine definitum. In exposita quidem planicie, scalarumque iam designatis exemplis figuras compluribus situum ac positionum uarietatibus egregius pictor aptissimè collocabit, alias directas, nonnullas gradibus insidentes, aliasque demum prostratas simul & reclinatas: quarum omnium expediendarum rationes breuibus percurremus. Figuræ pedibus quocunque loco insistentibus, rectorum quadratorum, quorum supra iam mentionem habuimus, quina tantummodo capiantur, & tanta altitudine figuram ipsam constitues: communia nanq; & mediocri commodaque statura formata hominum corpora prolixiora nequaquam esse conspiciuntur: Prædictamque mensuram, siue propius siue longius siue medio quodam interuallo humanam formam depinxeris, semper obseruato. Sin super scalam figuram aliquam erectam ac stantem effinges, gradus illius, quo ipsa consistet, mensuram accipito, & quinquepedalem altitudinem figuræ tribuito. Haud aliter quoque, si eam rectà iacentem designare uolueris, tibi erit efficiendum. Si demum eam in planicie iacentem simul & reclinatam longiusque recedentem imitari exoptabis, diminuentium atque inclinantium quadratorum quina ipsi assignato: & hac ratione figura tam in exemplari quàm in opere ipso conspecta munere suo optimè tandem fungetur.


Scalarum complurium genera in superioribus quidem recensuimus: uerùm alię insuper præter eas comperiuntur, quarum artificium, nisi eorum, quę hæcenus dicta fuerunt, plenam perfectamque intelligentiam assecuti fuerimus, uix utique degustare nobis licebit; quemadmodum duarum scalarum, quarum formas hic inferius subiecimus, designationes satis superque indicare uidentur. Prima quidem cochlidem quadratamque scalam representat: cuius texturam si quis rectè perceperit, rotundam quoque, regulę superioris ad corporum rotundorum conformationem conducentis auxilio, promptè expediteque conficiet. Figura P, cochleę imam arcem minori forma conclusam, ut comprehendi contineri que commodius possit, significat. Hęc eadem area inclinata etiam statuatur, primaque planicies à pauimento in semipedalem altitudinem excitata mente concipietur. Postmodum cuncti gradationum anguli in eandem altitudinem directi educentur, in ipsis lineis semipedibus primę planicie, unde huiuscemodi lineę originem ducunt, altitudini prorsus æqualibus dimensis atque notatis. Quini autem gradus anteriores ad eandem altitudinem omnes conscendent, qui cum prima planicie simul accepti nouem conficiunt gradationes: cunctique ad Horizontem perducentur, angulosque tum ad dexteram tum ad læuam appositos terminabunt. Haud secus etiam gradus ex altera parte constituti angularium harum gradationum altitudinem adæquabunt. Singulorum igitur graduum terminis à lineis sese in altum erigentibus definitis, media excitabitur terminatio, tot quoque semipedibus primę planicie medię parem altitudinem obtinentibus in eadem linea signatis. Prima deinde gradatio in semipedis unius altitudinem educatur, pari quoque in centro ipso altitudine definita; rectisque duabus extensis, primę gradationis scansionem mox constructam & formatam habebis. Eademque prorsus arte ad secundam gradationem, quę à sinisteriori angulo suam accipit terminationem, effingendam adhibita, ab eius angulo ad Horizontem recta linea perducatur: qua quidem tertię gradationis terminum attingente, ab eo tertiam gradationem semipedem unum altam constituito; & ab eodem rursus duabus rectis ad centrum continuatis, tertię gradationis mox altitudo apparebit. Haud secus etiam à tertię angulo ad Horizontem recta extendatur, quę quartę gradationis terminationem continget: moxque eius altitudine sursum educta, rectisque duabus ad centrum continuatis, quartę gradationis quamprimùm scansionem expedies. Item à quartę angulo linea quintę gradationis terminum prætercurrente ad Horizontem usque perducta, quintęque gradationis eiusdem altitudine erecta, duabusque lineis ad centrum extensis, ipsius ascensionem perficies. Pariter ab angulo quintę recta per sextę gradationis angularem terminationem mediam ad Horizontem usque pertingente, eiusque altitudine elata, linearumque duarum extensionibus ad centrum peruenientibus, sextę gradationis planiciem ascendentem habebis. A cuius angulo ad septimę gradationis terminum non quidem Horizontalem, quemadmodum in ceteris (præfens nanque gradatio ad alterum quadratę cochleę latus spectare uidetur) sed perpendicularem lineam potius extends. Eademque ratione gradatim procedendo, cum sinistra gradationes ex altera parte ordine consimili omnino, quo dexterę hucusque descriptę, conuertantur, regulam modò assignatam diligenter obseruato, nec errorem ullum unquam committes.




Ne *scalarum* genus aliquod inexplicitum inexploratum'ue relinquamus, earum præsertim, quarum frequentior usus tempestate nostra esse conspicitur; *scalæ*, quæ undique præstat ascensus, typum hic figurauimus: cuius aream, etsi minori forma, quam par sit, descriptam, ad dexteram collocauimus, eiusque ascensio talis nimirum existet. E plano quadratum perfectumque corpus, propendens tamen aliquantulum & inclinatum, in sublime excitetur; cuius altitudo semipedalis erit, spatiosamque planiciem constituet, in qua diagonales extendantur: & ab interioribus angulis in prima planiciæ huiusce linea ex utroque latere pedis unius spatium relinquatur, eaque terminatio occultioribus lineis ad Horizontem perducatur; quæ quidem ubi diagonales lineas contingunt, ibi quatuor secundæ gradationis anguli statuentur: Quibus ad semipedis unius duntaxat altitudinem e ductis (ubi scilicet primæ planiciæ fundum inuenietur) ab angulo ad oppositum




oppositum angulum recta ducatur, duæque cæteræ lineæ ad Horizontem extendantur; quæ quidem Horizontales lineæ in duos angulos ultiores incurrent, & hæc utique ratione secundæ gradationis perficies conformationem. Haud secus in tertia, in quarta, & in cæteris deinceps gradationibus ad quantamcunq; altitudinem conscendentibus tibi erit elaborandum. Pyramidam autem illam figuram, ut uacuum paginæ ipsius laxamentum decoræ & speciosæ formæ huiusce interpositione exornaremus, apponendam censuimus. Nonnunquam uerò id usu uenire posse, ut alicubi consimilium scalarum genera ad ostij alicuius introitum constituere aggredieremur, quarum media pars tantummodo alibi uel ad tribunal ingrediendum, uel ad aram aliquam suppliciter inuisendam, uel ad cætera huiusmodi loca adeunda satis utique erit. Eademq; ratione pariter tum rotundæ, tum etiam octogonæ uel exagonæ scalz, quemadmodum supra in harum formarum generibus abundè ostendisse uidemur, facillimè constructur.



Architectonicæ facultatis studiosos eoque in Opticè instituendos nobis proposueramus, ut quascunq; ædes conficiendas elaborandasque ipsi in se recepissent, Graphicis designationibus eas ad prospectum componere accommodareque possent, simpliciores tantummodo quasdam rerum consimilium terminations, ueluti simplicium duplicatarumq; arearum conformationes, & corporum nonnullorum in altum eductione nos tradituros existimantes, sic utique rebus Opticis extremam manum tandem imposituri. Verum, ut plerunque fit, oratione ex uno in alterum latius euagante, in acriores & arduas quasdam disceptationes, uirium nostrarum tenuitate nequaquam respondente, sensim descendimus: Ad quod quidem onus suscipiendum amicorum nonnullorum, quorum auctoritatem magni respectò estimandam iudicamus, preces atq; obsecrationes nos compulerunt. Quapropter cum uoluminis huiusce modum iam statuere decreuissemus, difficiliora aggredi nunc uidemur: quæ etsi ipsa quoq; ad Horizontem atq; distantiam non secus atq; superiora perducantur, extraquadrata tamen appellari consueuerunt, quemadmodum presenti schemate patet, quod absolutum quadratum, cuius angulus planiciei lineam contingit, designat. Huiusce autem quadrati si eut duo latera equali utrinque ratione conspiciuntur, ita quoque distantie in signo D constitutæ pares existunt. Quanto autem quadratum plus inclinare & propendere uoluerimus, tanto longiori intervallo distantias collocabimus. Fasciæ uerò quadratum ambientis maior minorue latitudo, ab intervallo inter angulum C & angulum A medio existente, modò longiori modò breuiori definitur. Cunctiq; quadrati huiusce termini ad distantias contendunt, nullo eorum profus ad Horizontem proficiscente, nisi de altero quadrato huic circumposito sermonem fortassè habuerimus.




Qua ratione inclinata diminuensq; superficies extra quadratam normæ rectitudinem sit collocanda, nuper iam ostendisse uidemur. Nunc uerò quo pacto corpus etiam æquè magnum, eodemmet Horizonte iisdemq; terminis manentibus, ex ea educatur, monstrare aggrediemur: quod quidem corpus uacuum introrsus existit, & ad quodcunq; altitudinis fastigium, prout opportunius commodiusq; esse ducemus, extolletur. Verùm nos in præsentia humile idcirco ipsum constituimus, ut eius ima pars commodius conspici possit. Ad quot autem præsentis designationis usus extendatur, studiosis utique iudicandum relinquimus: idq; tantùm illos admonitos uolumus, descriptionem hanc ad eò plura uel pauciora esse profuturam, quò plus uel minus iudicio ipsi præstiterint. Et hæc de quadratis corporibus dicta sufficiant: Modò, qua insuper ratione ad cononicum constitutiones eadem applicari accommodari ue queant, in sequentibus explicare tentabimus.




Præfens figura, eadem Horizontis atque distantiarum, quemadmodum in superioribus, remanente constat dispositione: nec aliud quippe intercedit discrimen, nisi quòd hic & Horizon & distantie humiliores aliquantulum atq; depressores constituuntur. Vt autem corpus hoc tum in summo tum in imo prominentibus cononicibus exornetur, earum magnitudinem inprimis statuere oportebit: Postmodum diagonalibus tum in summis tum in imis solidi corporis partibus extensis, superioribus cononicibus propriam & conuenientem assignabimus proiecturam: Deinde ab earum angulis perpendiculares ad inferiora decedentes inferiorum quoque cononicum, quæ (ut iam diximus) ad distantias, minimè autem ad Horizontem contendunt, proiecturam definiunt. Vnde quemadmodum quaterni corporis ipsius anguli in interiori concluduntur quadrato, ita è contrario imæ summæq; cononice extra quadratum spatium procurrere conspiciuntur. Hæcque de puris tantùm & simplicissimis cononicibus, ne legentium animi primo impetu confusi quandoque impliciti ue reddantur, dicta fuerunt: Nunc uerò earum membra & ornamenta apponemus.

De nudis,






De nudis, propriorumq; membrorum ornatu destitutis coronicibus, quæ quadrata corpora extra normam ac regulam, quadratum'ue aspectum collocata circumambiunt, hætenus sermonem habuimus: & eiusmodi corpora coronarijs finibus simpliciter antea circumscribi profectò oportuit. Nunc autem eademmet corones suis membris auctæ amplificatæq; figurantur, quæ quidem membra diuersis quoque rationibus ab Architecto tum ædificiorum uarietates, tum etiam ædificantium conditiones & facultates distinguente apponuntur: eorum insuper diminutionibus & accretionibus, quemadmodum & in cæteris coronicum generibus alijs demonstrauimus, & ex subiecta designatione facillimè percipi potest, aptè appositæque constitutis; & membris illis, quæ in ipsis operibus deinde collocata pulchriora & elegantiora intuentibus uidebuntur, sicut prudentem & scitum artificem decet, potissimum acceptis. Nonnullæ etenim mehercle reperiuntur cordones, quarum prospectus sublimis ad eò & eminentis erit, ut summa membra sub ipsa corona mox residentia aciem oculorum nostrorum propemodum effugient: sicut contra nonnullæ humiles & depresso, oculisq; patientes ad eò existent, ut earum membra immodicè aucta molestam & odiosam sui speciem intuentibus exhibebunt. In his igitur graciliora, at in illis crassiora membra nimirum sunt effingenda, ut gratiorem & iucundioram prospicientibus sui sensum imprimere queant.




Quatuor superiores designationes extra normam rectitudinè, rectuq; angulū constitutæ in eo quidè conueniunt, quòd & distantias utraq; habent æquales, & paria earū latera sub aspectum optimè cadūt: Verùm hæc inferius apposita figuratio, cum eius Horizontes & distantiarū & Horizontis munere simul fungantur, diuersa profectò erit ab illis. Primùm igitur plana linea *AB* supponatur, eaque, signis, *C, D, E*, medijs notatis, in quatuor paria diuidatur segmenta: Postmodum linea *CD* ad dexterum, lineaq; *AC* ad sinistrum Horizontem perducantur, quæ perfectum utique & decrescens quadratum, ex uno scilicet quàm ex altero latere magis conspicuum, designabunt; cuius anguli, *F, G, H, C*, nimirum existent. Quòd si quadratum hoc semiquadratum amplius in longitudinem extendere uolueris, segmentum *DE* medium diuidito, & à signo diuisionis ad dexte-

ad dexterum Horizontem rectam perducito; quæ quidem stellæ figuram in altera sui extremitate recipiens semiquadrati incrementum priori adijciet quadrato. Quòd si alterum semiquadratum insuper addendum censueris, ab E deinceps ad dexterum Horizontem rectam extendito: & alterum quadratum priori adiectum, totamque superficiem ex duobus integris quadratis constantem habebis. Ad complura autem, quæ utpote breuitatis studiosissimi silentio nunc præterimus, inuentum hoc solerti conduceret Architecto. Dextrum denique ac sinistrum non quidem ad nostrum aspicientium, uerùm ad figurarum conspectarum situm atque collocationem referenda esse aliàs admonuimus.




Corpus, quod infra descriptum intueris, è superiori educitur superficie, eademque prorsus Horizontium dispositione remanente constituitur; & In duorum quadratorum expanditur longitudinem, quadratique unius altitudinem petit. Plana nanque linea in superficie CD signata, diminuenſq; latus FC æqualia utique existunt: Pariter etiam primi anguli corporis huiusce altitudo tanta, quanta lineæ eiusdem portio esse conspicitur. Quapropter corpus hoc perfectum & conduplicatum esse quadratum necessariò consequitur, conduplicatum inquam longitudine: quod quidem propterea addidisse uidemur, ne de cubi duplicatione nos loqui imprudens fortasse quispiam intelligeret. Huiuscemodi autem corpus hic figuratum, quemadmodum supra etiam admonuimus, ad uaria diuersaque insuper nobis opitulabitur expedienda. Quòd si complura adhuc in longitudinem extendere, & superioribus adijcere tibi libuerit quadrata, planicie lineam in tot partes amplius, quot quadrata conficienda tibi proposuisti, producito atque continuato, & præceptionem hanc nostram uerissimam semper esse comperies. Postremò si, coronicibus appositis, corpora hæc exornare & condecorare statueris, modum atque rationem superius à nobis iam assignatam sequeris, & opus tuum perquam elegantissimum reddes.




Verùm si in planicie aliqua rerum complurium uarietates effingendæ fuerint & conformandæ, pavementum quoddam imprimis, quemadmodum subiectum ostendit exemplar, erit tibi designandum; mox super ipsum, cohærentium quadratorum serie instituta, quodcunque magis libuerit, deformabitur: & quanto minora angustioraque erunt quadrata, eò formæ describendæ maiori conuenientia ac symmetria perficientur. Crucis imaginem in hac planicie, ut uides, extructam, ut studiosorum ingenia tantùm excitaremus, figurandam curauimus: uerùm huiuscemodi forma ad sacras quoque ædes, Christianorum moribus, comparandas optimè respondebit. Altera autem, quæ proximè hanc collocatur, fundamenti ædificij alicuius exigua




exiguam portionem ostendit. At hæc omnia ad ampliorem deinde formam traducta, & quadratorum complurium multitudine superaddita, multiplici ornatu & formarum mira quadam uarietate augeri amplificarique possunt, Horizontium nonnunquam mutatione peracta, & rebus insuper ex una magis quàm ex altera parte sese conspiciendas exhibentibus, dummodo ad parem altitudinem Horizontes semper conscendant.




Ex superficieum propositarum planis corpora in sublimè idcirco duximus efferenda, ut eorum melius percipiatur conuenientia & symmetria, necnon ut eosdem Horizontes corporibus ipsis optimè conuenire monstremus, quemadmodum, periculo facto, unicuique certò constabit. Si autem uerum nequaquam est reticendum, huiusce generis omnia, quæ extra normæ rectitudinem constituuntur, & extra quadrata superius à nobis appellata fuerunt, integrum uolumen separatim efflagitarent: At nos, ut tres uel quatuor tantum designationes conscriberemus, arduum hoc difficileque argumentum pertractandum suscepimus. Veruntamen pede iam collato, denarium generis huiusce figurarum numerum explere statuimus, studiosis cæterorum indagine deinde relicta: quorum aliquem & meliori ingenio præditum, & stabiliori constantiorique affectum natura alia, quorum conscriptiones atque designationes à nobis hic præmittuntur, complura ex sese inuenturum firmissimè nobis persuademus.



Super generis huiusce pauimenta, quæ ex quadratis extra rectum eorum aspectum sunt constituta, complura quidem, ut dictum fuit, ad libitum induci collocarique possunt: uerum hic octogonam columnam trium quadratorum crassitudine, & quadratorum quatuordecim longitudine figurauimus. Hæc utique, cum octo lateribus terminetur, è quadrato, ut à principio monstrauius, deducatur oportet: & in subiecto quadrato tum occultiores lineæ, tum etiam octo angulorum terminationes lineis patentioribus expressæ conspiciuntur. Quoniam uerò columna hæc obliquè & à latere nimium uidetur, idcirco alteram descripsimus columnam, quæ cum ad Horizontem propius accedat, directiorem sui speciem è regione intuentibus exhibet: nec tamen in quatuordecim pedum, sicut prior, sed in septempedalem tantummodo porrigitur longitudinem. In eius autem fronte octogona forma, cæteraque columnæ eiusdem partes translucentes optimè discernuntur. Quòd si columna hæc sinistro pauimenti ipsius angulo propinquior foret, eius crassitudo è regione spectantibus magis profectò appareret, non adeò tamen, ut formam suam integram absolutam uel conspiciendam unquam exhiberet, cum semper extra quadratæ formæ rectitudinem ea sit posita & constituta.




Quæ infra describuntur columnæ, cum superioribus omnino conueniunt, uno tantùm discrimine eas sciungente, quòd perspicuam quidem & pellucidam illæ, hæ uerò pleniorē atque solidiorē habent constitutionem; ex quibus solers Architectus rationem hanc à nobis monstratam secutus complurium rerum postea inuentionem deducet: etsi præter hanc aliæ quoque habentur rationes, quemadmodum telaria aut ostiaria illa, quam Albertus Durerus tradidisse uidetur. Alia quinetiam ex propria forma accepta reperitur, optima quidem ea, & quam tutò sequaris; uerùm difficilis ad eò & inuoluta, ut uocali tantùm oratione, nulloquē profus scripturæ genere communicari explicari uē possit. Quapropter hanc unam meritò tanquam ceteris faciliorem eligimus. Et nisi præsentī uolumini, ut ad reliqua deinceps grauiora pertranseamus, modum iam imponere statuissemus, diuersa corporum & ædificiorum genera ad rationem hanc nostram profectò deduxissemus: quæ haud eam certè difficultatem obscuritatem uē, quam superioribus annis hominum uulgus ei tribuebat, re ipsa nunc habere comperitur. Verùm quia de Scenarum & comicorum tragicorumq; apparatus generibus, quæ tempestate nostra, in Italia præsertim, maxima pompa & magnificentia extruuntur, nonnulla dicenda supersunt; idcirco rationem hanc, quam extraquadratam appellamus, in præsentia dimittemus, eius diligentiori examine atque inuestigatione studiosis remissa: quorum aliquem ceteris curiosiorē atque uigilantiorem in ea summo per profecturum, diuino quasi numine afflati, uaticinamur.



Cùm de Scenarum ac Theatrorum generibus, quæ hodiernis temporibus maxima symmetria, summoq; artificio adhibito comparantur, in posterum simus acturi, opus sanè difficile ac arduum, ob Scenici præsertim Horizontis perquam diuersam à superioribus Horizontibus collocationem, Orthographiam hanc præmittendam idcirco existimauimus, ut in Scenarum rationibus intelligendis tum Ichnographia Orthographiæ lumine, tum etiam Orthographia Ichnographiæ auxilio facilius percipi queat. Attamen si recto & conuenienti ordine procedere uoluerimus, Ichnographiæ primum omni studio incumbemus: Sin ea perfectam, ut par esset, nobis cognitionem nequaquam præstiterit, ab Orthographia deinde exactam absolutamque rei huiusce intelligentiam petemus. A Scenico igitur pauimento antè constituto exordium sumemus, quod quidem ad oculi altitudinem constitutum & peræquatam esse desideramus, & C signo hic demonstratur. à B autem usque ad A, pauimentum in ipso A nona parte elatius ut comperiatur oportet. Crassius autem illud arrectarium M litera supraposita inscriptum, parietem in canaculi fronte collocatum ostendit.





dit: Arrectarium uerò gracilius litera P designatum, extremum Scenæ parietem præferre uidetur: O terminus quidem Horizontalis existit. Linea deinde, quæ ab L ad O punctis notata conspicitur, & ad libellam utique respondet, quocumque in extremum Scenæ parietem definet, ibi Horizon terminabitur ac statuetur; parietisque illius Horizon tantummodo erit: ipsaque linea ædium, quæ è regione directæ constituuntur, frontibus tanquam proprius & sempiternus Horizon assignabitur. Aedium uerò inclinatz, quæque introrsus recedunt, partes longinquiorem utique habebunt Horizontem, O signo uidelicet figuratum. Nec mirum esse debet, si ædes Scenicæ, cum duas frontes, quæ ad binas differentesque spectant regiones, obtinuerint, duos pariter sibi uendicauerint Horizontes. Et hæc de Scenarum Orthographia satis superque censentur. Proscenium deinde litera D repræsentat, & mox Orchestram semipedali altitudine ab imo solo sursum eductam E litera ostendit. In F optimatum purpuratorumque sedes comparantur. Primæque statim gradationes, G signo indicante, matronarum selsimonio designantur: & quò altius conscenderimus, eò ignobiliores mulieres ibi sedentes constituentur. Duo postmodum laxiora spatiosioraque interualla, alterum quidem in H, alterum autem in I, posita & collocata quasi termini quidam extremi medijs gradationibus ciuium nobiliorumque uirorum cætus sedentes intercipient. I postmodum iam pertransito, in superioribus gradationibus ignobiliores disponentur. Ingens denique spatium, K litera demonstrante, ad plebem excipiendam fuit excogitatum: & pro loci magnitudine modò amplioribus, modò angustioribus finibus circumscribetur. Nosque in Theatro Scenæque illa honorificentissima, quam superioribus annis Vincentiæ extruximus, componenda singulas præceptiones iam traditas diligentissimè obseruasse uidemur: atque inter extrema Theatri cornua pedes circiter octuaginta medijs intercedebant; subdialis areæ uastitate ad Theatri conformationem laxius utique spatium quam ad Scenæ, quæ porticus cuiusdam, cui innitebatur, obiectu in angustiorum locum concludebatur, suppeditante. Munimenta deinde & compactiones materiæ sequenti iam iam ratione à nobis tunc perfectè expeditæque fuerunt. Cum autem Theatrum post se nihil haberet, in quod incumbere innitiq; posset; ut moles tutior ac firmior redderetur, exteriorem eius circumferentiam adminiculis quibusdam contra positis & ab imo sensim accliuibus, firmam & quammaximè stabilem profectò reddidimus.

*De miro Scenarum artificio perelegans disputatio.*

E cunctis operibus, quæ hominum manibus extracta atque elaborata tum aspectui summam iucunditatem, tum animo incredibilem admirationem præstare consueuerunt, meo quidem iudicio Scenici alicuius apparatus, uelò quamprimùm subducto, noua spectantibus forma, decoraque species haud in postremis habenda uidetur: ibi nanque in pusillo quidem ambitu, Optica facultate docente, superba palatia, ingentia templa; ædes complures tum proximæ, tum etiam remotiores; latè uagantes plateæ, diuerforumque ædificiorum generibus instructæ; uixque nonnullæ insuper in longitudinem rectissima quadam ratione productæ,

quæ


quæ tranſuerſarum uiarum aliarum occuſu mediæ diuiduntur, mirifica diſtributione collocauntur. Quinciam triumphales arcus, ſublimèſque columnæ, Pyramides, Obeliſci, aliaque complura innumerabili ferè tum maiorum tum minorum tum mediolorum luminum, ſymmetriarum habita in primis ratione, multitudine fulgentia ibidem ſtatuuntur: eademque lumina eo artificio inter ſeſe componuntur, ut Adamantes, Pyropoſ, Sapphyroſ, Smaragdooſ, alioſque nitenteſ & pretioſiſſimoſ lapideſ quaſi emulari imitarique uideantur. Hic bicornem atque lucentem Lunam ſenſim ex latebris emiſiſſe, & ad ſuperiora gradatim adeò conſcendiſſe comperieſ, ut ſpectantium oculoſ ei긯 motionem nequaquam diſcernentium egregiè deluſerit atque feſellerit. Alibi Solem orientem, ei긯que perennem & continuatam uerſationem attendere licet: quodque haud ueriſſimile forſitan duxeris, ſub fabulæ ipſiuſ exitu eundem ad occaſum adeò opportunè iam perueniſſe conſpicias, ut artificis ſolertiam ac diligentiam uix pro meritiſ laudare admirari ue poſſis. Necnon ea inſuper attonitoſ & obſtupenteſ hominum animoſ reddere ſolent, dum ipſi (modò tempeſtiue id fiat) uel Deum aliquem ex æthere delabentem, uel planetam aera peruolantem, uel noui & inuſitati commenti alicui긯 ſpeciem oculoſ intuentur. Quid autem de ſaltantium & canentium choriſ regia pompa & apparatu magnifico inſtructiſ, ueſtimentorum complurium nouitate & elegantiâ conſpecta, tibi dicendum uidetur? Viri quinciam puerique nouaſ animantium formaſ induiti ferarum geſtuſ, ſaltuſ, & curſuſ tam aptè compoſiteque; imitantēſ inducuntur, ut aſſidentium animi ſumma quadam admiratione capiantur. Quæ quidem omnia ea uoluptate mortaleſ uiſuſ, humanaqueſ menteſ afficere ſolent, ut opuſ nullum arte conſectum atque elaboratum hoc uenulti긯 aut elegantiuſ excogitari poſſit. De hiſ igitur, cum in Optica modò uerſemur facultate, pauca quædam dicenda arbitramur. Verum cum ratio hæc Optica, quam nunc explicandam pertractandamque; ſuſcepim긯, à ſuperioribuſ proſpectuum meditationibuſ non nihil diſferre uideatur; propterea quòd illæ in æqualibuſ parietibuſ planiſque ſuperficiebuſ conſiderantur, hæc uerò ad materiæ inæqualitatem magiſ accedit, & prominentium operum conſtructioneſ molitur: nil mirum etiam, ſi methodum aliam nunc, longeque ſuperiori diſſimilem inſtituem긯. Primum igitur ad uſuſ communioreſ ſolum, ei긯 fronte ad oculi altitudinem pertingente, à tergo autem nona parte altiuſ conſtituatur, tota planicie in nouem æqua ſegmenta primùm diſtributa; moxque ſoli parte poſteriore, quæ ad Horizontem accedit, pro uniuſ ſegmentorum illorum magnitudine ſeſe attollente: Sitque ſolum hoc ob ſaltationeſ atque geſticulationeſ tutiuſ exercendaſ ad normam complanatum, & firmiſſima ratione conſolidatum. Clium autem prædictum maximam utique commoditatem præſtare reiſpaſ perſpexim긯. Cum enim ſuperioribuſ anniſ Vincentiæ, copioſa nimirum & magnificentiſſima Italię ciuitate, Theatri extruendi prouincia nobiſ demandata fuiſſet; materiataqueſ Scenam ampliorem proſectò, quam ætate noſtra alia unquam uiſa eſſet, conſtruxiſſem긯: propter admiranda intermediaque; ſpectacula, que, Scenicis actoribuſ quieſcentibuſ, ibi erant exhibenda, quemadmodum Curruſ, Elephantereſ, & genera ſaltationum complura; ante Senę ipſiuſ clium ſolum duodenum pedum latitudine, & pedum ſexaginta longitudine extenſum & peræquatum collocauim긯. Quam quidem ſtructuræ à nobiſ excogitatæ rationem & Scenicis ludib긯 celebrandiſ per commodam, & ſpectatu amplam atque magnificam eſſe reſ ipſa declarauit. Primum autem hoc ſolum, ei긯 pauimento plano exiſtente, Horizonti nequaquam proſectò congruebat neque conſentiebat: quinimo ſoli hui긯ſce quadrata omnia perfectæ abſolutaqueſ fuerunt: A cliui deinde inclinataqueſ ſuperficie긯 exordio cuncta quadrata ad Horizontem proficiſcebantur, & pro rata ab eo diſtantiâ ſenſim decreſcere conſpiciebantur.

Quoniam autem nonnulli in extremo Scenæ pariete ac termino Horizontem conſtituerunt, quem quidem in proprio ſolo ad parietis ipſiuſ initium collocare utique decet, quò ſcilicet ædeſ omneſ in unum concurrere & conuenire uidentur; noſ Horizontem ulteriuſ ſtatuendum ac producendum exiſtimaui긯: quòd ex ſententiâ adeò ſuceſſit, ut in hui긯ſcemodi Scenicis ædifici긯ſ conſtruendiſ hanc rationem perpetuò deinde proſecuti fuerim긯. Necnon eandem Architectiſ omnibuſ, qui horum ædificiorum generibuſ oblectantur, imitandam proponim긯 ac ſuadem긯: quemadmodum & in ſequenti pagina mox demonſtrabitur, & in Theatri Scenæque Orthographiâ explicanda iandudum oſtenſum declaratumqueſ fuit.





Cum autem Scenarum Scenicorumve apparatus tria genera à scriptoribus imprimis commemorantur, Comicum, Tragicum, atque Satyricum, de Comico nunc sermonem instituemus. Cuius quidem ædificia civium privatorumque hominum facultatibus consentanea accommodataque esse debent: & eiusmodi nempe apparatus genera in amplo aliquo & undequaque contexto cænaculo, in cuius fronte conclavia agentium Scenicorumque ludionum commodis inseruientia, quasi abdita lateant, plerunque constituuntur, ibique solum ratione superius tradita substernitur: cuius Orthographia iam expedita, modò Ichnographiam aggrediemur. Primum igitur C, soli ipsius in quadrata distincti planiciem ostendit, quadrataque hæc singula bipedalia, exempligratia, supponantur: itemque pendentis inclinataeque superficiæ quadrata bipedalia quoquoversus existant. Sicut autem in Orthographia iam antea admonuimus, Horizontem in extremo




Scenæ pariete nequaquam ducimus collocandum: uerùm quantum ab inclinatæ planicie B exordio ad parietem usque spatij intercurrit, tantundem interualli ultra parietem ad Horizontis positionem producat: duxque lineæ punctis signatæ postremum cænaculi ipsius parietem è regione existentem demonstrant. Et hac utique ratione tum ædium, tum etiam cæterorum omnium, quorum imagines in Scenicis apparatus conspicuntur, abscessus inclinationesque maiorem lenitatem ac uenustatem habere uidebuntur: Singulis enim propendentibus quadratis usque ad Horizontem perductis, & pro rata distantia decrefcentibus, ædes ipsæ, quæ crassioribus lineis in cliuo designatis figurantur, tum directæ tum etiam transuersæ in sublime at tollentur. Scenicæ autem ædes ex telarijs, telis superinductis, semper construximus, foribus, prout usus postulauerit, partim è regione stantibus atque directis, partim obliquè sitis & proclinatis; modicæque eminentes expressions è materia compactas, & picturis per quàm commodas conuenientesque apposuimus, quemadmodum suo loco deinceps ostendemus. Totum autem à telarijs ad cænaculi usque parietem spatium interceptum, quod A litera significatur, agentium usibus relinquetur, postremumque Scenæ parietem à pariete ipsius cænaculi bipedali spatio saltem distare semper oportet; ut interiores uidelicet transitiones, locorumque uariæ commutationes clanculum abditeque ab Histrionibus peragi possint. Postmodum ad parem Horizontis altitudinem terminus planicie B ipsius initio mox extollatur, qui quidem L appellationem fortietur; indeque ad Horizontem lineæ punctis signatæ, & ad libramentum collocata perducatur: & quò lineæ hæc extremum parietem continget, ibi parietis ipsius Horizon, ad telarij alterius usum nequaquam conducens, statuetur: prædictaque Horizontalis linea stabilis firmaque esto; ipsa nanque telarijs cunctis è regione conspectis ad rerum nonnullarum crassitudines facilius expediendas inseruiet. Superior autem Horizon ultra parietem constitutus ad omnes ædium abscessus inclinationesque mirificè profectò conducet. Verùm quoniam ad hæc exequenda murum ipsum dirui necessariò oporteret, à quibus structurarum demonstrationibus omnino abstinere debemus: idcirco paruum exemplar, antequam operibus hisce manum admo- ueamus, ex duriore membrana materiaque simul componere soliti sumus: & symmetrijs atque distributionibus diligenter antea exploratis, singula membra à perpusilla hac forma ad ampliorem magnitudinem iustissima deinde ratione traducimus. Quòd si nostræ hæc institutiones difficiliore forsitán alicui subobscuræque uidebuntur, nã ille in exemplaribus compluribus extruendis diutius sese exerceat atque laboret: usu nanque & studio simul adhibito, ad tantorum operum conformationes perficiendas promptior ac paratior tandem reddetur. Quoniam autem cænacula, quanuis ampla fuerint, ad Theatrorum moles excipiendas sustinendas'ue nequaquam apta accommodata'ue existunt: nos quidem ut ueterum exempla quoquomodo pro uiribus imitemur, Theatri portionem illam duntaxat, quæ in ampliori aliquo cænaculo collocari con- tinerique potest, hic apposuimus. D igitur, Proscenium inprimis ostendit: & E semicirculus, Orchestram Proscenium gradationis unius ascensu exuperantem demonstrat; ubi sedes complures Patribus, natuq; maioribus excipiendis, F litera admonente, instrui circumfundique solent. Primæ deinceps gradationes G, matronarum nobiliorumque sceminarum confessui destinantur. H & I, duo laxiora itinera ciuium iuuentutem mediã utrinq; concludentia designant. Gradus subse quentes deinde ad ignobiliorum uironũ sessimoniũ instituuntur. Eiusmodi autem gradationibus scalę propter commodiores præstandas ascensiones insertæ interpositæque fuerunt. Loca demùm spatiosiora, K litera indicante, ut popularibus quoq; ad spectacula uifenda aditus aliquis pateat, in summo extructa positaq; fuerunt: quæ quidem pro locorum magnitudine aut paruitate amplioribus item aut angustioribus finibus terminabuntur: & quò maior ampliorque locus extiterit, eò Theatrum ad formæ suæ perfectionem propius accedet.

### De Scena Comica.

Quantum ad Theatralem & Scenicam spectat Ichnographiam, copiosè quidem, ni fallor, & luculenter differuimus: Modò Scenarum Opticam & exactam magis disputationem aggrediemur. Cùm autem, ut suprà dictum fuit, tria earũ genera afferantur, Comicum ad Comœdias, Tragicum ad Tragedias, & Satyricum ad Satyras peragendas excogitatum; Comicarum antea Scenarũ dispositiones patefaciemus: in quibus priuata ædificia, ut ciuium, cauldicorum, negociantium, parasitorum, & huiusce ordinis conditionisque personarum extruuntur. Inprimis autem nec lenæ domum, nec cauponis tabernam prætermittendam existimamus: fanumque insuper aliquod, ut ædium in subiecta planicie, quæ solum nuncupatur, dispositio ac distributio melius efficiatur, quam maximè efflagitamus. Verùm etli quemadmodum tum Scenica ædificia super plana erigantur, tum etiam Scenarum ipsarum aream siue uestigium, quod uulgò planta dici consueuit, aliquantulum excitari, à soloque efferrí oporteat; & quopacto insuper, quoq; loco Horizontem deceat collocari, satis superque iam ostendisse uidemur: Attamen ut in ædium ipsarum conformationibus artifices instructiores reddantur, præsentem hic apposuimus designationem: quam facultatis huiusce studiosis nonnihil momenti atque utilitatis allaturam censemus. Id tamen fatemur, nos in hoc typo tanquam nimis angusto symmetrias omnes obseruare minimè potuisse; at inuentioni tantummodo aliqua saltem ex parte consuluisse sat erit, ut homines postea admoniti ædes, quæ in operibus optime conueniunt atque respondent, seli gere



gere ualeant : qualls, ut exemplum aliquod afferamus, perforata quædam porticus esset, quæ ad ulterius ædificium contpiciendum aditum nobis præstaret; cuiusmodi primæ huiusce porticus species, cuius arcus recentiori opere astructi fuerunt, esse uidetur. Podia deinde seu Meniana, quæ ab alijs suggestus, & conciones à nonnullis appellari consueuerunt, in ædium lateribus inclinatis & fugientibus quammaximè præstant. Item coronices quoque, quarum terminationes extra angulos procurrunt, circumsectæ & pictis deinceps coronicibus coniunctæ atque continuatæ, magnum quid præferunt. Pariter etiam ædes, quæ extra uehementius prominent, pergratum & magnificum habent aspectum : cuiusmodi est Lunæ insigne fortita, quam hic descripsimus, taberna. Id autem in delectu habendo præcipuè obseruandum atque animaduertendum uideatur, ut humiliora angustioraque domicilia anteponantur, quibus interiora ædificia confestim immineant asurgantque : quemadmodum post lenæ ipsius domunculam, quæ harpagonum atque hamorum gestat insignis, ædes mox succedens, propter eius excelsitatem, pompæ & magnificentiæ speciem quandam ostentat; Scenæque longè melius implet uacuitates, quàm si ædificiorum interiorum culmina gradatim decrescerent. Quauis autem in præsentis schemate descriptæ figuratæque ædes ex una parte tantummodo illuminentur, media tamen luminum constitutio elegantiore uenustioreque habet symmetriam : frequentiora namque & in scenam propendens funalia media utique collocantur. Cunctæque illæ quadratæ & orbiculares areolæ, quæ per ædificia passim conspiciuntur, artificiosa lumina colorum, per quos effunduntur, uarietibus affecta atque insignita repræsentant : quorum conficiendorum rationes in extremo hoc libro mox afferemus. Post fenestras uerò, quæ è regione sunt constitutæ, uel uitrea uel chartacea lumina perquam aptè instruentur : quæ si pictarum telarum inuolucris fuerint contexta, cò melius utique respondebunt. Quòd si quæcunque in tam præclara splendidaque materia occurrunt dicenda, literarum monumentis consignare uelimus, prolixiori quippe oratione esset nobis utendum. Quapropter his, qui huiusmodi studijs oblectantur, eorum inuentionem derelinquemus



*De Scena Tragica.*

Tragica Scena ad Tragica poemata recitanda fuit instituta : ideoque in ea ædes magnificæ & sumptuose sunt apparandæ . Quemadmodum enim tum antiquorum tum etiam recentiorum poetarum scripta testantur, amatoriarum pugnarum, inopinatarumque euentus, necnon acerbissima & crudelia funera in Optimatum, Ducum, Principum, & Regum ipsorum aulis accidisse memorantur . Quamobrem merito in Tragicis apparationibus cuncta ædificia lautiora atque splendidiora constituentur, ut ex subiecta designatione perspicui potest: in qua, terminorum angustiis repugnantibus, magnificas illas & regias structuras, quæ in laxioribus atque patentioribus spatijs commodius utique distribuere, collocare nequaquam potuimus . Verum id unum Architecto, qui ad huiusmodi opera animum adhibuerit, satis esse debet, si ad rerum consimilium inuentionem paululum ei suffragati fuerimus ; ut ipse deinde, locorum opportunitatibus & personarum conditionibus perspectis, in operando cautior existat . Quemadmodum autem in Comicis Scenis effingendis supra habitum fuit, quæcunque contemplantibus elegantiora & formosiora uidentur, ea sunt à nobis potissimum seligenda ; nec quin ædificia amplioribus structuris propter rationes iam traditas præponamus, quicquam uereri debemus . Verum cum in Scenicis ædificijs comparandis telaria frequentissimè adhiberi conspiciantur, nonnullæ quandoque occurrunt difficultates, ut materiei prominentijs necessariò sit nobis utendum, quemadmodum ex sinistro, quod subiecimus, ædificio perspicitur : ibi nanque pilæ stereobatæ, quod bassa mentum uulgus appellat, gradibus quibusdam suppositis, innituntur . Quo quidem in loco stereobatam parum eminentibus expressionibus super planum assurgentem formari oportet : moxque duo telaria, alterum è regione constitutum, reliquo inclinato ac propendente, excitabuntur ; quæ ad plutei usque primis arcibus superimpositi fastigium tantum pertingent . Quoniam autem secundorum arcuum altitudines, ut pluteus locum suum obtineat, diminuuntur contrahunturque : bina quoque propterea, quæ in superis partibus collocantur, telaria, ut opus conuenientem assequatur perfectionem contrahenda necessariò diminuendaque uidebuntur . Quæque de hoc ædificio separatim dicta fuerunt, eadem ad cætera quoque ædificia, quorum membra contrahuntur nonnulla, ad easque ædes præsertim, quæ in anteriori parte spectantur, traducenda accommodandaque erunt . Quòd si hæc remotiora longiusque seposita forent ; telarium unum du-





taxat, eunctis partibus rectè designatis, colorumq; lumine illustratis, profectò sufficeret. De lampadum uero artificiosa compositione, in Comicarum Scenarum genere abundè differuimus. Cuncta deinde, quæ summa tectorum fastigia exuperant, quemadmodum fornacium spiramenta, personantesque turres, & eiusmodi cetera; etsi hic apposita minimè fuerunt, tamen supra asserem aliquem subtiliorem collocabuntur ac disponentur, undique circumæquata; & extremarum linearum ductibus, necnon intermediorum colorum splendoribus distincta atque illustrata. Haud secus marmorea æneaue simulachra ex crassiore membrana, uel ex tenuioribus asseribus rectè adumbrata, & iustissima ratione circumsecta perficientur: postmodum per apta & opportuniora loca distribuentur, ea distantia eoque interuallo constituto, ut spectantes signorum latera transversò intueri minimè possint. Nec nos præterit in hisce Scenarum generibus nonnullos humanas effigies in uiuentium statum habitumque compositas summo artificio expressisse, ut mulierem aliquam uel fenestraz assidentem, uel intra fores stantem: necnon ferarum quoque uerissimos & quasi spirantes uultus imitatos fuisse. Hæc quidem, quanuis artificiosa, nobis tamen nequaquam probantur: cum enim motu careant, & uitalem statum præferre contendant, inepta & ridicula certè uidentur. At si uel hominem, uel canem, uel bestiam quamuis dormientem, præclaram quandam nacti occasionem, simulauerimus: cum hoc immoto figurarum illarum statui quammaximè congruat atque consentiat, à natura & à ueri similitudine neutiquam recedemus. Quòd si statuz aliaue simulachra è marmore aut ex alia materia conflata, uel historiz alicuius aut fabulæ euenta in pariete coloribus fuerint imitanda atque exprimenda, à uitalibus gestis ac notis abstinendum semper esse censemus. Verùm quopactò uiuentia quoq; motione prædita sunt effingenda, in postrema uoluminis huiusce parte deinceps modum ac rationem trademus.

### *De Scena Satyrica.*

Satyrica Scena propter Satyras publicè peragendas fuit adiuuenta: in quibus quicumque immoderatè ac petulanter uitam traducunt, carpuntur, & maledictis ac contumelijs exagitantur: quinimo præcis tempo-



ribus nequam & impuri homines summa quadam libertate in Satyris, omnibus conuitorum & contumeliarum modis presentes afficiebantur. Quod quidem licentiæ genus improbis & impudentibus duntaxat, quemadmodum rusticis, olim permissum fuisse, pro comperto habere debemus: coque magis, quod Vitruuius de Scenarum formis sermonem instituens, ad Satyricas Scenas apparandas exornandasque, sylvas, antra, colles, montes, prata, flores, & fontium latices, necnon agrestes quasdam pastoralesque casas, ut ex præfenti habetur designatione, adhibendas esse putat. Quoniam autem hæc per hyemem plerunque, arborum, herbarum, & florum ornatu destitutam anni partem, tempestate nostra exerceri consueuerunt; uiridia idcirco ac topiaria eiusmodi opera, ab arte petito auxilio, è serico elegantissimè confici poterunt: quæ longè maiori, quàm si naturalia forent, laude ac admiratione prosequenda uidentur. Quemadmodum enim in Comicarum Tragicarumque Scenarum apparationibus, Graphico artificio ædes consimiliumque structurarum genera exprimentur: pariter in Satyricis Scenis quoque disponendis arborum, herbarum, & florum uarietates serica textura imitari profectò licebit. Hæc autem quò splendidioribus ac liberalioribus sumptibus perficientur, eò maiori laude atque commendatione digna censentur: & meritò quidem, cum illustrium huiusmodi operum extructiones ad magnanimos, præclaros, & liberalissimos Principes, sædè que auaritiæ acerrimos hostes spectare uideantur. Nosque in Scenis nonnullis, quæ à sapientissimo Architecto Hieronymo Zenga in benefactoris sui Francisci Mariæ Vrbinatis Ducis gratiam compositæ constructæque olim fuerunt, hæc omnia abundè cumulateque perspeximus: tantam enim Principis liberalitatem atque magnificentiam, tantam Architecti ipsius industriam atque solertiam, tantam operum denique elegantiam ac uenustatē ibi adesse intelleximus; ut opus Architectonicum hoc pulchrius, artificiosius, ac sumptuosius nullum profectò in hodiernum diem usque nos conspexisse fateamur. Proh Dij immortales, quàm egregium & admirandum spectaculum illud erat, tot arborum & fructuum, tot herbarum ac florum insignes uarietates serico perfectissimo & uersicolore intertextas contemplari? Ripas quinetiam, & saxa conchis marinis, cochleis, aliisque bestiolarum generibus affluentia, necnon coralliorum differentibus truncis insignia; & cōchilia insuper margaritas gestantia, canerosque; marinos saxis ipsis insertos, tot rerum aliarum copia & pulchritudine simul adiecta, ibi uidisses: ut si cuncta sigillatim à nobis nunc demonstranda explicandaque forent, huic argumento nimium utique insisteremus. Quid autem Satyros, Nymphas, Syrenes, & complures alias mirificas ac monstrosas animantium formas commemorem eo artificio, pro rata earum magnitudine, uiris pueris uel substantibus circumpositas; ut ipsi motu incessuque proprio uiuentium horum animantium genera, mores, gestus, saltus, atque excursionis optimè imitarentur? Quod nisi in dicendo prolixiores esse ueremur, superbas pastorum nonnullorum uestes auro sericoque contextas, & pretiosissimis ferarum pellibus suffultas exponeremus. Piscatorum quorundam insuper habitus ac ornamenta ceteris nec pompa nec arte profectò cedentia, retiaque ipsorum ex aureis filis composita, cunctaque demum piscantium arma nitido ac fulgentissimo auro contexta recensere possemus. Nec puellarum quinetiam greges custodientium, Nympharumque splendentissimæ tunicæ silentio essent prætereundæ. Verùm huiusce generis omnia solertis ac industrij Architecti iudicio curæque prorsus committentur: qui, Principis liberalitate atque magnificentia proprijs uotis respondente, celeberrima eiusmodi opera ad exoptatum finem perducet; utque omnia ad libitum ipse perficiat, planè ei permittimus ac assentimur.





*De Scenarum luminibus arte confectis.*

In Scenarum generibus exponendis nos rationem ac artem, qua permeantia lumina, & diuerforum colorum species referentia conflare possimus, tradituros esse polliciti sumus. Ad promissa igitur, ut probos ac bonos uiros decet, absoluenda modò accingamur. Primùm igitur de cœlesti colore Sapphiro persimili, eoq; insuper elegantiori dicemus. Salis Ammoniaci glebam sumito, & scaphium tonsorium uel aliud quodcunque uas ex aurichalco confectum comparato, in idq; aquæ digitum unum infundito. Deinde salis huiusce gleba fundum & latera uasis bene fricato atque comprimito, donec totum sal eliquescat, digitali aquæ alia rursus aliaq; semper adiecta: & quò maiorem aquæ quantitatem infundes, & colorem formosiorum reddere uoles, eò plures Ammoniaci salis glebas confringito. Vase igitur hac aqua usque ad labra completo, per linteum ipsam in aliud uas transfundito ac percolato, & aquam cœlesti pulcherrimòque colore conspicuam mox confectam habebis. Quòd si colorem hunc clariorem adhuc & splendidiorum efficere concupieris, puriorem aquam Ammoniaci sali admisceto: Et hoc nempe artificio colorem eundem, specie ipsius nequaquam uariante, modò in clariorem modò in obscuriorem, prout tibi libuerit, commutabis. Sin Sapphirinam hanc aquam ad Smaragdi colorem accedere uolueris, crocum uel largiore uel breuiore mensura, prout clarius obscuriusue colorem hunc imitandum tibi proposueris, in eam infundes. Còsimilium autem temperationum proportionum nequaquam hic apposuimus: usu nanque docente, complures colorum obscuriorum clariorumue differentias atque uarietates inducemus. Sin Carbunculi aut Pyropi fulgorem exprimere contendes, rubrum uinum uel immodico infectum colore, uel nitidius aliquantulum assumes: & ita tum splendiores, tum obscuriores carbunculos perfectissima ratione imitaberis. Quòd si uinum fortasse de fuerit, Brasiliu lignum, quod Verzinum uulgò appellatur, in frustula concisum accipito; & in ahenum aquæ plenum, alumine adiecto, illud infundito: Aquam autem ita temperatam efferuescere facito ac despumato, & per crassius aliquod linteum denique percolato; purissima lympha, si splendidiorum eam reddere uolueris, superaddita. Si uerò Balanitæ, quem Balascium nos Itali appellare solemus, colorem exprimere tibi libuerit: albicante quodam & rubente simul uino, quod Itali goraceum nuncupare consueuerunt, accepto, mox propositum assequeris. Pari etiam ratione uina fulua, prout purgatiore uel minus purgato extiterint colore, Chrysoprasios atque Topazios emulari uidebuntur. Limpidissima autem aqua, absque rei alterius societate, per linteum aliquod transfusa Adamantum referet claritatem: quos ut rectius imitari possimus, nonnullis acuminatis quadratisque formis necessariò erit utendum. Quapropter speculares officinas aduendo, uitree ampullæ, quarum in herbarum succis exprimendis distillandisque frequentissimus conspicitur usus, huiusmodi formis insignite comparabuntur, quæ purissimis lymphis mox erunt implendæ. Colorum uerò, quos iam enumerauimus, ita instruendorum, ut radij proprietatibus eorum imbuti transfundantur, ratio talis existet. Post picturas loco ad hos colores disponendos opportuno tenuem asserem, pro luminum ipsorum distributionibus perterebratum statuemus: cui alium asserem ad uitrea uasa artificiosis liquoribus completa sustinenda accommodatum subijciemus. Postmodum prædictorum uasorum partes magis incuruatae ad assis superioris foramina incumbentes aptabuntur: & ne quandoque saltantium strepitu corruant, diligenter est attendendum. Deinde post uitreas ampullas lucernam siue lampada, ut lux æqualis eademq; semper existat, occultabimus: quarum si partes ad lampada conuersæ planitiem, quin potius concauitatem quandam habuerint; uberiori luce profectò complebuntur, ipsique colores longè melius transfundentur. Pariter etiam ad rotundiora foramina, quæ diminuentem & inclinatum habent aspectum, uitrea uasa eiusdem generis erunt accommodanda. At si uehementiori intensiori que lumine spectantium oculos ferire uoluerimus, post uitreum uas amplum cereum statuemus, post quem item scaphium tonsorium coruscans ac recens conflatum ponemus: cerei nanque seu funalis illius lumen scaphium contingens, ab eoque resiliens splendores nonnullos radiorum Solarium instar mox conuehet atque transmittet. Quòd si spatia quædam quadrata quasi Amygdalæ speciem referentia extiterint, uel alijs formis circumscripita fuerint ac terminata, uitreæ laminæ colorum uarietatibus depictæ ibi, lucernis facibusue postpositis, statuuntur. Nec tamen artificiosa eiusmodi lumina Scenæ ipsius illuminandæ illustrandæque partibus fungi tibi persuadeas uelim: maxima nanque cercorum & funalium, quæ ante Scenam appenduntur, copia & multitudo munus hoc satis superque præstatura uidetur. Quinetiam candelabra nonnulla cereos affixos sustinentia supra Scenam perquam commodè instruentur: quibus si uas aquæ plenum, camphora iniecta, superposuerimus; flammis eam corripientibus, splendidissimum lumen, grato quodam odore concomitante, oculis ac naribus profectò sentiemus. Verum si id nonnunquam forte fortuna euenerit, ut rem aliquam flagrantem ardentem ue introducere uelimus: aqua ex uino corrupto distillatoque confecta, quam uitis aquam uulgus appellat, eaq; potentissima quidem rem illam madefaciamus, moxque face propius admota ignem aliquandiu mansurum excitabimus atque accendemus. Quauis autem de ignibus alia complura dicenda supersunt, in præsentia tamen hæc satis futura uidentur. Nunc uerò, quod reliquum est, ad eorum, quæ spectatoribus maximas afferunt uoluptates, explicationem descendamus. Scena inani quandoque & actoribus uacua remanente, in quo quoque ingenij sui uires ostentare Architecto licebit, si uidelicet sigilla nonnulla ea magnitudine comparauerit, prout spatij permeandi peragranti que exiget amplitudo: quæ ex crassiore membrana, coloribus in-

ductis, & undique circumsecta constituentur, lignæque regula in Scena transuersa ratione collocatæ innitentur, quò uidelicet areus aliquis superincumbet: & coagmentatione quadam securiclati cardinibus, quam ad hirundinis caudam expressam nostrates appellant, supra solum extructa ac figurata, prædicta regula in interiori coagmentationis compactionisque ipsius collocabitur parte: Moxque abditus aliquis membranacea sigilla post arcum quasi sese mouentia ac spatium illud peragrantia sensim concomitabitur atque compellet. Necnon id mirum & quammaximè artificiosum existimabitur, si sigillis sonantium & canentium speciem præferentibus, eodem temporis articulo symphoniaci remissam ac tacitam cantionem post Scenam modulabuntur. Nonnunquam peditum etiam equitum uel currentium simulata agmina introducuntur: qui quidem mutis quibusdam uocibus tacitisque clamoribus, tympanorum insuper strepitu tubarumque sonitu adiecto, spectantium animos incredibili afficiunt uoluptate. Quòd si Planetam uel aliud quodcunque aera transcurrere ac peruolare uoluerimus, rei illius imagine in duriore membrana artificiosè depicta ac circumsecta, post ultimas atque remotiores Scenæ ipsius ædes tenuissima quædam ac ferrea linea transuersa extendatur: annulisque nonnullis in hac linea insertis, ipsique membranæ adhaerentibus, filum atri coloris altero quidem sui capite membranæ eidem connectatur, & ex altera parte quispiam reliquum fili eiusdem caput manibus comprehendens membranam ad se adducat. Verùm ne spectatores artificis dolos quandoque ac fraudes intelligant, ea distantia inprimis est eligenda, ut filum ferreaque linea ab intuentibus discerni minimè possint. Cùm autem in Scenicis ludis, occasione quandoque postulante, tonitrua, fulgura, fulminaque sint effingenda: qua ratione, his rectè expressis & simulatis, spectantibus terrorem incutere possimus, tradendum modò uidetur. Tonitrua igitur sic erunt excitanda. Cùm Scenæ, ut antea admonuimus, in cænaculi alicuius fronte, cui solum quippiam superiminet, constituantur: grauis atque lapidea pila solum illud transcurrentes, tonitruum sonitum præferet. Fulguris deinde speciem hoc pacto imitabimur. Aliquis post Scenam in loco eminentiori collocetur; & arculam iuniperi gummi in farinam redacta, quam uernicis puluerem nuncupare solemus, instructam, eius operculo angustis foraminibus pleno undequaque existente, manu contineat; atque in medio operculo candela accensa statuatur: manu quidem uiri huiusce in altum uehementius sublata, puluis quoque in altum profiliens, & candelæ ardentis contactu inflammata, coruscantium fulgurum referet claritatem. Fulminum species denique hoc modo exprimetur. Ferrea linea transuersa ac ima petens in Scenam procul extendatur, in eaque accensibilis radius crepitante auro circumamictus inferatur: tonitruo autem obstrepente, sub eius finem caudatam facem maximo impetu emittemus, eodemque tempore radium illum accendemus, & fulminis terrificæ specie cunctorum assidentium animi profectò obstupescunt.

Verùm si singula, quæ ad hoc spectant argumentum, oratione nunc prosequi uellem, longior fortasse atque prolixior cupiam uideri possem. Ne igitur in hoc uitium

aut reprehensionem incurram, rebus

Opticis hic finem imponam.

FINIS SECVNDI LIBRI SEBASTIANI SERLII AD OPTICAM  
facultatem, Prospectuumque scientiam attinentis, Ioanne Carolo  
Saraceno interprete existente.





SEBASTIANI SERLII DE ROMANIS

alijsq; compluribus, quæ tum in Italia tum extra Italiam reperiuntur, antiquitatibus Liber Tertius.

A IOANNE CAROLO SARACENO EX ITALICO  
in Latinum sermonem nunc primùm translatus.

*Nota quinetiam ADDITIONES nunc demum inserta adimilij fuerunt.*

ROMA QVANTA FVIT IPSA RVINA DOCET



VENETIIS,

Apud Franciscum de Francis Senensem, & Ioannem Chriger.

M D L X V I I I.

# AD CHRISTIANISSIMUM GALLIAE REGEM FRANCISCUM VALESIVM,

SEBASTIANVS SERLIVS BONONIENSIS.



*U' M* Veterum Romanorum in operosis molibus extruendis magnificentiam & iudicium animo mecum ipse saepius reuoluerem & cogitarem; quod quidem ex complurium aedificiorum fragmentis, quae tum ueteri Romae, tum etiam alijs Italiae Urbibus, necnon extra Italiam quoque passim conspiciuntur, comprehendi ac percipi optimè potest; nouum quoddam uolumen, in quo Romanas antiquitates separatim nisi omnes, at plerasq; saltem conscriberem, reliquis uoluminibus nostris de Architectura pertractantibus adiungendum putauit: ut qui huiuscemodi studijs oblectantur, ubicunq; locorum extiterint, in has designationes tanquam in speculum quoddam luminibus statim coniectis, aedificiorum illorum admiranda uestigia contemplari ac diguoscere queant: quae nisi auo praesenti adhuc superessent, incertam fortasse literarum monumentis, quae Romanorum magnificentiam ac magnanimitatem maximis laudibus prosequuntur, ac dubiam fidem adhiberemus. Cum autem praecleara haec beneficaq; facultas, quam Architecturam appellamus, pristinum splendorem, quem superioribus & fortunatissimis illis seculis tum apud Romanos, tum apud Graecos antea bonarum artium conditores obtinuit, iam recuperare uideatur: cumq; tu generosissime Rex non solum ceterarum scientiarum cognitionem, & quod longè difficilium habetur, usum ipsarum quoque praeclearè fueris affecutus; uerum in Architectonicis insuper studijs te quammaximè excellentem atq; praestantem ostendas, sicut tot ac tantorum operum, quae in amplissimo tuo Regno passim instituiti, extruções affatim demonstrant: omni cura ac diligentia ad praesens uolumen conscribendum à nobis adhibita, opus hoc nostrum sub sacris tuis ac regijs auspicijs promulgandum esse constitui, ea potissimum spe adductus ac persuasus, quòd exiguum hoc munus, praecleari tui nominis aura aspirante, vires & incrementum haud contemnendum sumpturum esse confido. Nec illud mihi quasi arroganti cuidam exprobrari uelim, quòd ego omnium fortasse minimus lucubrationes meas tanto Regi dedicare ueritus minimè fuerim. Superiori nanque anno cum per Ruthenorum Episcopum uolumen aliud à me conscriptum ad te transmississem, tu me non solum in tuorum familiarium numerum ascripsisti; uerum etiam, ut librum hunc ad exoptatum finem perducerem, trecentos coronatos tanquam uaticum quoddam liberalissimè contulisti. Quapropter ego, tanta in potentissimo Rege humanitate ac liberalitate perspetta, alacrior & audacior iam redditus telam, ut aiunt, olim inceptam magno meo quidem labore totam ferè contexui: quam, etsi imperfectam adhuc, quasi singularis in te pietatis nostrae monumentum nunc tibi trado assignoq;. Imperfectam uerò eam appello, cum tot elegantissimarum antiquitatum, quae in Gallia summa diligentia custodiuntur, multitudo ei deesse uideatur. Quemadmodum enim à Mompolerio, clarissimo tuo nomine apud Venetos Oratore, saepius accepimus, ea tot profecto ac tales existunt, ut uolumen separatum earum



explicationes atque designationes utique postularent. Cuius quidem rei exemplum è vetustissima Nemausi ciuitate, è qua Antoninus Pius prodijisse memoratur, accipi potest: tot enim antiquitates ibi nunc quoque superesse conspiciuntur, ut quantus Romanorum in eam amor atque beneuolentia extiterit, hinc conijci facillimè queat. Ibi enim pulcherrimum illud Amphitheatrum Dorico opere perfectum, & ex materia adeò ad vetustatem composita ac comparata coagmentatum, eo que demum artificio elaboratum Romani construxerunt, ut in hodiernum diem integrum atque incorruptum perduret. Complures quinetiam statuæ marmoreæ, & innumerabilia propemodum tum latinis tum græcis literis insculpta epitaphia ibi cernuntur. Nec duas octogonas illas ac vetustissimas turres, quæ cum Urbis ipsius mœnibus coherent, silentio prætermittendas existimo: ex ijs namque munitionum, quibus antiqui ad ciuitates tuendas ac defendendas vsi fuerunt, ratio deduci optimè potest. Fontem insuper, vel lacum potius aquis exuberantem, atque ad radices montis constitutum, eius que profunditatem quis obsecro conticebit? Cui formosissimum & miro quodam artificio distributum, Corinthioque genere elaboratum Dea Vestæ sanum desuper imminet. Summo quinetiam monte amplum adeò monimentum, ut turris magnæ obtinuerit appellationem, extructum conspicitur. Verùm quidnam de formosissima ade illa Corinthia, quæ, temporis diurnitate eam nequicquam oppugnante, commodam adhuc incolentibus præstat habitationem, quæso dicemus? Extra Nemausi urbem deinde circiter sexdecim millia passuum illustre profectò ac singulare Romanæ liberalitatis exemplum proponitur: qui ut, aquis à monte ad montem deriuatis, fontis, quem modo diximus, perpetuitati atque incremento prospicerent, mirum illum Aquæductum construxerunt: cuius fastigium, cum inter duos altissimos montes sit constitutus, rapidissimo quoque torrente illac pertransiente, caterorum omnium ædificiorum, quæ in ea regione proximè collocantur, summitates nimirum excedit. Aquæductus hic, de quo sermonem habemus, ut ad montium cacumen pertingat, triplices arcuum ordines, alteros alteris superpositos, omnesque rustico opere conflatos, sortitur. Primi quidem & infimi, qui quinque numero esse dicuntur, in tantam utique altitudinem assurgunt, ut una tantummodo pila excelsæ turris imaginem referat: primusque hic ordo rustico opere, eoque crassiore ac rudiore constare videtur. Quinque his arcubus, cum montes quò superiores, eò in maiorem maioremque latitudinem semper extendantur, undecim alij ipsi quoque haud secus quam priores excelsi, rusticoque opere, elegantiori tamen aliquantulum fabricati, innituntur. Deinceps super hos arcus undenos trigintasex alij numero collocantur, singuli que arcuum undecim mediolorum supra se duos gestare conspiciuntur: verùm propter montium relaxationem summi hi ac nouissimi arcus ad tantam utique multitudinem ascendunt. Super quos demum aquæductus ad montium libellam dirigitur, per quem liquida vis atque potestas intra Nemausi ipsius mœnia longissimo tractu denique ferebatur. Præterea Sancti Heremigij oppido præclarum monimentum triplicibus arcuum ordinibus, alteris super alteros incumbentibus, instructum habetur. Infimus ordo præter basim substantem ex Ionico, haud simplici eo quidem, sed composito opere constat, planasque in angulis dispositas habet columnas, medijsque spatijs egregiæ & iucundissimæ visuntur sculpturæ. Hic quidem equestris pugna committitur: ibi pedites manus conseruere: alibi præclara venatio exercetur: quarto demum & ultimo loco palmæ atque triumpho maxima pompa conspici inducuntur. Primo huic ordini alius superior deinceps succedit Corinthio genere extructus, & angularibus columnis definitus: qui quidem complurium fenestrarum lumine claret, uarioque insuper elegantium operum ornatu nitescit. Hinc demum sphericum templum, denique Corinthijs,

*thijs, striatis, atque gracilioribus columnis summam eius testudinem fulcieutibus, assurgit. In medio autem templo duo marmorea simulachra humana forma aliquantò ampliora, mas inquam & femina, consistunt: eorum capitibus, alijsq; membris nonnullis temporis vetustate & belli iniuria consumptis ac detruncatis. E' regione templi deinde triumphalis arcus varijs ornamentorum generibus insignis profectò conspicitur. Verùm quid de Arelatis urbis antiquitatibus, præsertim de uetustissimo illo Amphitheatro dicemus? Quid etiam de antiquissima eade, quæ in Foro Julij Narbonensis Gallia ciuitate reperitur, & de amplissimo Amphitheatro, quod non longè ab urbe distat, subiungemus? Sancti Chamantis oppido proximè Auenionem, pontem binis, utroq; uidelicet cornu, portarum apertionibus adeò insignem spectares, ut triumphalis arcus magnificentiam præferre ille videatur. Pariter etiam de Corinthio templo Vienna, Mariæ Magdalena cultui sacro, & de alijs, quæ sub latissimi regni tui ditione continentur, innumerabilibus propemodum in præsentia conticebo, horum omnium explicationibus in id temporis usque reseruatis, cum, tua liberalitate nobis vires suggerente, cuncta admiranda hæc perlustrauero: tunc enim & singula nobis dimensis, & eorum exemplaribus acceptis ac designatis, cum reliquis lucubrationibus nostris ad communem studiosorum omnium utilitatem in lucem ea pariter quoq; proferentur. Quæ quidem, nisi benignitate opeq; tua subueniente, ad exitum perducere nunquam mehercle licebit. Interim, pro mansueto ac facili ingenio à Deo Optimo Maximo tibi elargito, exiguum hoc uolumen humaniter accipe; quod regia teeta ingressum uires auctoritatemq; , ni fallor, quamprimùm assumet: meq; totum tibi trado atq; deuoueo, tuis iussis, si modò periculum feceris, libentissimè utique obtemperaturus. Vale.*

DE AN-








**V**ETERVM ac antiquorum ædificiorum, quæ Romæ incorrupta adhuc atque illibata seruantur, Pantheon (si unius tantummodo corporis elegantiam spectes) pulchritudine, integritate, ac artificio cæteris longè ducimus præferendum, eoq; maiori admiratione dignum illud existimamus, quòd cum membra complura ad eius compositionem accedant, tam aptè appositeq; omnia ad corporis totius symmetriam conducunt, ut quicunq; diligenter partium cunctarum conuenientiam atq; responsum attenderit, nihil quicquam in eo prætermissum esse fateatur. Id autem inde euenire arbitramur, quòd sapiens Architectus præclaræ molis huiusce inuentor & fabricator ex omnibus formis perfectiorem, ipsam uidelicet rotunditatem, sibi delegisse uidetur: unde Rotundam quoque, uocabulo ex forma nimirum accepto, eam homines passim appellant. Interior nanque eius altitudo latitudinem adæquare omnino conspicitur. Forsitan etiam solers Architectus cum uniuersa, dummodo recto & conuenienti ordine incedant, unum summumq; caput, è quo inferiora deinceps originem ducunt, obtinere perspexisset: hoc pariter ædificium unico duntaxat lumine, eoq; in superiori parte constituto, illustrari uoluit, ut lux supernè accedens in omnes partes æquali mox ratione diffunderetur; quòd ex sententia ipsi nimirum celsisse uidetur: nam præterquam quòd cætera ampla copiaque luce complentur, sex illa delubra, quæ in parietum crassitudinibus abdita, obscura utique ac tenebrosa esse deberent; fenestris tamen nonnullis, quæ in superis eorum partibus constituuntur, lumenq; secundum à supremo lumine deriuatum in ea transfundunt, intercedentibus, conuenienti splendore perfruuntur. Quapropter nulla quanuis exigua minimaq; ædificij particula reperitur, quæ proprio lumine sit destituta. Nec eius partes tantummodo immotas & consistentes mira quadam gratia perfusas esse iudicabis: uerùm etiam quicunq; præclarum hoc templum ingrediuntur, etsi aspectu formaq; extiterint mediocri, uenustate tamen ac dignitate mox eos senties augeri. Cuius quidem rei causam atque rationem in æthereum lumen, quòd undique citra ullam impeditionem expeditissimè peruagatur, conijciendam existimamus. Nec temere hoc factum mehercle uidetur. Cum enim antiquitas sanum hoc Deorum omnium cætui summa religione consecrasset, & idcirco simulachra quamplurima in eo essent collocanda; quòd ex tabernaculis, scaphis, alijsq; apertionibus optimè declaratur: ea signa profectò, ut synceram sui speciem intuentibus immittere possent, cuncta almæ lucis usum atq; commoditatem requirebant. Vnde quicunq; signorum & prominentium operum suppellectili indulgent, eiusmodi loca, quæ lucem ex superiori parte combibunt, aucupari semper deberent. Nec enim, mendicantium more, lumen quanuis imbecillum suppliciter propemodum petere cogeremur: uerùm quocunq; loco signa constituerentur, mox artificis excellentiam, propriamq; eorum perfectionem intuentibus patefacerent. Quinetiam id ipsum ad picturas spectandas contemplandasque mirum in modum conferret, dummodo eæ ad lucis huiusce prospectum deformatæ elaboratæque fuissent. Quam quidem consuetudinem egregij pictores sectari plerunq; uidentur: qui cum pictis imaginibus maiorem aliquam uim & prominentiam afferre conantur, tunc lumen è superis partibus captant. Verùm ad artificiosa eiusmodi opera contemplanda ac perpendenda peritiores tantummodo sunt admittendi: aliàs nanque pro eis debita laude ignominiam potius calumniamq; subirent; Graphicæ enim artis ignari umbrarum obscurationibus quammaximè offenduntur: Etsi Titiani, celeberrimi quidem pictoris, opera, ad cuiuscunq; luminis aspectum fuerint deformatæ, eam utique obtinent lenitatem, & excellenti adeò colorum temperatura inficiuntur; ut quibuscunq; hominum generibus & conditionibus ea contemplantibus maximam afferant uoluptatem, & summam quandam prominentiam præferant. Verùm, ut iam inceptum argumentum repetamus, cum Panthei constructio, nisi nos animus fallit, cuncta Architectonica opera, quæ tempestate nostra conspiciuntur, arte ac symmetria antecellat; iurè primum locum ei concessisse, ipsumq; tanquam omnium præstantissimum nobilissimumq; cæteris prætulisse atque præposuisse uidemur. Huic id insuper accedit, quòd sacrosanctam hanc ædem à Bonifacio Pontifice diuino cultui addictam deuotamq; olim fuisse accepimus. Primus templi huiusce conditor, si Plinij autoritatem sequamur, Marcus Agrippa fuisse memoratur: qui, Augusto Cæsare præclaram hanc ædem Dijs immortalibus designante, cum ipsi supremum diem obeunti ne fundamenta quidem iacere licuisset, piam fortunatissimi imperatoris illius uoluntatem mox adimpleuit. Fuitq; templum hoc anno à Christi aduentu decimoquarto, & à mundi constitutione quinque millibus, ducentis, & tribus circiter annis inceptum. Capitula ipsius, Plinio hoc asserente, ærea existebant: & Diogenem Atheniensem Sculptorem Caryatides in columnis perquam eleganter effinxisse idem author subiungit; necnon statuas in fastigio collocatas quammaximè commendari solitas esse, etsi propter immodicam loci altitudinem haud celebres multùm existerent, idem quoque testatur. Templum hoc fulminum telis ignibusq; impetum, Traiano duodecim annos circiter Romæ iam imperante, conflagrauit, anno à Christi exortu centesimo decimotertio uertente, & ab origine mundi quinque millibus, trecentis, & undecim annis elapsis: & Lucij Septimij Seueri deinde, Marciq; Aurelij Antonini opera unà cum omnibus ornamentis resectum instauratumq; fuit, quemadmodum epistylj in fronte collocati inscriptio clarissimè ostendit; quæ quidem ornamenta tunc primum confecta fuerunt: Caryatides enim, quas Diogenes columnis antea insculperat, alia quippe ratione dispositæ fuisse uidentur. Verùm posterioris huiusce Architecti iudicium atque prudentiam uix satis unquam laudari posse censemus. Iudicium quidem admiramur, quòd ædificij membra tam aptè inter sese cohærent, & ad corporis totius symmetriam

metriam atque integritatem tam eleganter conspirant; nec opera ipsa sculpturarum complurium multitudine confundenda perturbanda, ut sapientissimus opifex existimavit, quin eas proprijs tantummodo & conuenientibus locis, ut copiosius deinde ostendemus, distribuit ac collocavit: & hac ratione, quantum ingenio atque iudicio ipse præstiterit, grauissimum testimonium posteritati reliquit. Prudentiam quoque eiu. dem commendamus, quod Corinthium genus ac ordinem in toto opere sibi imitandum proposuit, nec in eo aliam ædificandi rationem passus est admisceri: Cunctæq; mensuræ in membris omnibus ita ad unguem obseruatæ fuisse comperiuntur, ut ex tot à nobis conspectis atque dimensis ædificijs nullum profectò, quod cum eo conferri possit, discernere ualeamus. Quid plura tibi dicam? Templum hoc quasi diuinum quoddam exemplar, Ideamq; totius Architecturæ in medium omnium proponendum existimamus. Verùm his, tanquam ad Architectum erudiendum nequicquam facientibus, prætermisiss, ad singulas membrorum quorunque mensuras examinandas descendemus. Ut autem in antiquitatibus explicandis Methodicè procedamus, primùm Ichnographiam, uidelicet areæ, uel, ut uulgo loquuntur, plantæ descriptionem exponemus. Deinde Orthographiam, quasi dixeris erectæ frontis imaginem, quam uulgo Profilum appellat, subiungemus. Postremò Sciographiam, quæ rei cuiusque frontem lateraq; simul explorat, definiemus. Quapropter subsequens figuratio Panthei aream palmo ueteri Romanorum dimensam imprimis ostendet. A Porticu igitur orationis nostræ exordio sumpto, columnarum crassitudinem palmorum senum, & minorum uigintinouem esse dicemus: Intercolumnia singula palmos octo, minutaque nouem intercipiunt: Vestibuli latitudo pro foribus templi constituta palmis xl definitur: Pilarum porticus ipsius frontes columnarum sequuntur rationem: Scapharum, quæ mediæ inter pilas collocantur, & Nichij uulgo dicuntur, latitudo decempalmaris, membraq; ex utroq; latere constituta bipalmaria existunt: Forium latitudo palmos xxvj & semis obtinet. Templi totius laxamentum, idest spatium inter parietem utrunque uacuum & inane in palmos cxciij extenditur: totq; palmos etiam altitudo, quæ à pavimento exordium sumens usq; ad labrum superioris conscendit apertionis, sibi uendicasse reperitur. Apertionis ipsius latitudo palmorum xxxvj. & semis habet interuallum. Delubra sex, quæ in muri crassitudine resident, singula palmorum xxvj, minorumq; xxx latitudinem sortiuntur: murumque pro dimidia latitudinis parte interiorem pertumpunt, quadratarum & angularium columnarum crassitudine dempta. At primarium delubrum in palmorum xxx porrigitur latitudinem, & semicirculi figuram constituit, angularibus columnis, ut modò diximus, subductis. Columnarum deinde, quæ in delubris singulis statuuntur, crassitudo palmos v ferè, tribus duntaxat minutis inde detractis, complectitur. Parem etiam quadratæ & angulares delubrorum eorundem columnæ crassitudinem imitantur. Tabernaculorum uerò, quæ media inter delubra consistunt, columnæ bipalmari crassitudine finiuntur. Muri templum circumambientis crassitudinem palmi xxxj. metiuntur, etsi in ea complura quippe interuacua & inania loca spectantur: præter ampla etenim delubrorum laxamenta inter duos quæque delubra uacuitates quædam interfunt, quas nonnulli, ut aer in uisceribus terræ conceptus per eas expirari efflarique possit, ad apertas esse existimarunt: at nos ea ratione magis id effectum esse arbitramur, ne tanta materiæ congestæ copia ac multitudo ædificium quasi obstrueret atque deprimeret: Vacua nanq; etsi complura, cum tamen rotundiori figura omnia concludantur, tutissima profectò esse uidentur, nec ruinam aut casum ullum pertimescunt. Scala, quæ ad laeuam conspicitur, ad dexteram quoque, utpote ad uestibulum conscendendum, olim erat extructa: Necnon inde per secretum quoddam iter, quod nunc etiam extat, circa templum super delubra homines obambulabant; quod quidem iter ad exteriores nos gradationes perducit: ubi compluribus scalis, quæ in orbem circunuoluuntur, ascensis ac superatis, ad summum deniq; ædificij totius culmen pertingimus. Fabricæ huiusce substructionem perpetuam solidamq; extitisse, & ingens spatium extra templi ipsius fines complexam fuisse homines arbitrantur: quod ex nonnullis aded circumcirca incolentibus, qui cum ædes sibi parare statuisent, effossa tellure in Panthei substructionem imprudentes inciderunt, haberi ac intelligi potest.






Palmum Romani uetustiores in digitos duodenos, & digitos singulos in quaterna æqua segmenta, quæ minuta appellantur, diuiserunt. Palmaris autem eiusmodi mensura ad presens ædificium unà cum membris omnibus dimetiendum adhibetur: nosque dimidiam eius magnitudinem hic infra delineauimus.




## PANTHEI ICHNOGRAPHIA.



## PANTHEI EXTERIOR SPECIES.

Schema subiectum exteriorem Panthei uniuersi formam speciemq; demonstrat, fronte eius anteriori proposita. Quanuis autem per decliues quosdam gradus ad ipsum accedentes nunc descendamus, extructionis suæ tamen olim initio à planicie septem gradationibus in altitudinem ascendebat. Nec mirum cuiquam sit uetustissimum hoc ædificium, tot seculis iam elapsis, integritatem suam hodiernis quoque temporibus in corruptam seruare: nec enim primi conditores in substructionibus fundamentis'ue templi huiusce constituentis parsimonix & pecuniarum compendio quicquam consuluerunt. Quinimo id homines affirmant, quàm ampla eius circumferentia extiterat, tantumdem aliud spatij insuper atq; telluris ad fundamentorum solidationes adiectum fuisse: quod nonnullorum proximè habitantium testimonio confirmatur, qui proprias sibi domos construere aggredientes, fundamenta hæc ex optima solidaq; materia absque labore ullo sibi parata adinuenerunt. Verum singula ædificij huiusce membra, quæ è planicie in altum assurgunt, quæso dimetiatur. Columnæ, quæ in porticu dispositæ erectæque consistunt, crassitudine quidem, ut iam diximus, palmorum sex & minorum xxix; altitudine uerò palmorum liiij & minorum xxix, spiris capitulisque exemptis, terminantur. Bases palmorum trium minorumq; xix, capitulaq; palmorum septem & minorum xxxvij altitudinem affecta fuerunt. Epistylum palmorum v, zophorus palmorum v & minorum xiiij, coronix palmorum iij & minorum ix altitudinem obtinent. Fastigium autem in fronte constitutum, etsi nullius scriptoris, quem hucusque legerimus, auctoritatem afferre possimus, argenteis statuæ instructum & exornatum fuisse nos quoque communem aliorum opinionem secuti existimamus. Romanorum etenim Imperatorum magnificentiam animo nobiscum reuoluentes in hanc sententiam facilè utique inducimur: eoq; magis, quòd si Gotthi, Vandali, aliaq; Barbarorum nationes, quæ Romano nomini infestæ urbem illam præclarissimam sæpius adortæ depopulatæque fuerunt, ad æs animum adiecissent; epistylia, cæteraque porticus ornamenta ex ære constata profectò diripiissent. Verum quocumque sit modo, uestigia nonnulla, quæ olim ibi statuæ è metallo fabricatas extitisse declarant, in hodiernum diem usque perdurant. A supræma deinde coronice locis compluribus per opportunas gradationes testudinena ipsam obambulare, & ad fumum usq; cacumen conscendere possumus, quemadmodum ex subiecta patet designatione.



TEMPLI




## TEMPLI SPECIES INTERIOR.


Sequens figura Panthei formam interiorem recludit, quæ ex absoluta perfectaque nimirum accipitur rotunditate: quanta enim à pariete ad parietem existit latitudo, tanta à pavimento ad superiorem apertionem altitudo esse uidetur. Quemadmodum enim suprâ habitum fuit, tum latitudinis tum etiam altitudinis interiores diametri in palmos cxciiij producuntur: Necnon à pavimento ad summæ coronicis fastigium, & à fastigio deinde ad testudinis ipsius cacumen, quò scilicet apertio consistit, tantundem extat interualli. Quadrata, quæ in testudine seu cælo quasi contexta reperiuntur, omnia ad mediij illius quadrati similitudinem & formam accedunt; eaque, nonnullorum, quæ adhuc extant, uestigiorum indicio, argenteis laminis cælatis honestata & illustrata olim fuisse existimantur: Si nanque ornamenta hæc ænea extitissent, quidni reliquum æs etiam, quo porticus referta plenaq; conspicitur, ablatum iandiu & asportatum fuisset?

Neminem autem ex eo admirationem capere uolumus, sese in his, quæ ad Opticen attinere uidentur, nec imminutiones seu decrecentias, nec crassitudines, nec planities ulla contemplari: Sat enim modò habemus, si, ipsis ab area uestigio ue excitatis, altitudines tantùm iustissima ratione dimensi fuerimus; ne fortè, decrecentijs adhibitis, propriæ exactæque amittantur mensuræ. Verùm in Optico uolumine tum superficie rum tum corporum diuersorum uariæ inclinationes imminutionesq; separatim ostenduntur, necnon ædium complurium ac differentium Opticæ collocationes designantur. At nunc in his antiquitatibus figurandis metiendisq; prospectuum artificio superfedendum esse arbitramur. Rerum autem à coronice ad inferiora descendendum mensuras nequaquam hic apponemus: cuncta nanque in processu deinde & sigillatim figurabimus, & exactissimè dimetiemur.

Medianum delubrum etsi cum reliquo opere optimè quidem conuenit atque consentit: attamen ex pe ritorum complurium sententia, cum eius arcus quinq; superiorum columnarum scapos contra antiquorum opificum instituta immuat atque perumpat, haud uetustum profectò, sed recens potius à Christum profi tentibus auctum adiectumq; opus esse censetur. Quæ enim Christo deuouentur consecranturque templa, delubrum & aram quandam primariam, cæterisque ampliorem habere consueuerunt.



Ornamentum, quod hic descriptum intueris, nunc quoque supra Panthei ipsius porticum extat: æneisque tabulis totum, sicut præsentis schemate patet, constare videtur. Circulus quidem nullus apparet, sed fornicea æneaque testudo exculta admodum elaborataque inibi erat: quinimo, propter sæpius iam à nobis adductas rationes, argentea ornamenta ibi refulsisse homines suspicantur. Verùm ex quam certò constarent materia, pro comperto haberi minimè potest. Vnum illud tanquam verissimum, eo, quod nunc extat, inspecto, affirmandum & asseuerandum censemus, hoc opus perpulchrum nempe & elegantissimum extitisse.




Subiecta figura interiorem porticus ipsius frontem ostendit; quam utique porticum, seu uestibuli latera, seu frontem, seu exteriorem faciem contempleris, marmoreo ubique opere instructam & locupletatam reperies. At facies quidem exterior temporis diuturnitate, cæliq; inclementia iam deformata consumptaq; fuit. Pilæ quaternæ, eadem specie eodemque numero striaturarum, prout depinximus, conueniente, striaturæ fuisse conspiciantur. Quoniam autem teretum columnarum partes superiores contrahuntur, ubi scilicet imum epistylum columnæ crassitudinem æquat: si ipsum cum quadratis pilis, quæ nullam prorsus habent contracturam, consociare aliquis statuisset, imum profectò epistylum debitam suam collocationem nequaquam assecutum fuisset: quinimo tantum utiq; lateribus singulis epistylum defecisset, quantum teretis columnæ contractura efflagitasset. Quapropter solers Architectus epistylum tantum ad eò resilire uoluit, quanta columnæ diminutio existit, quemadmodum subiecta constat designatione: & hac ratione symmetriæ & conuenientiæ optimè consuluisse uidetur. Quod autem ad fores spectat dimetiendas, apertionis latitudini palmi xx minutaque duo, altitudini uerò palmi xl & minuta iij ascribuntur. Proprij deinceps singulique commensus, sequenti pagina diffusius explicabuntur.



Porticus ipsius ostium, interiorq; dispositio.



Basis hæc planis columnis, quæ Antæ uocantur, & in secundo ordine ornatus gratia adhibentur, supponitur. Eiusmodi autem bases optimo nimirum consilio atque iudicio ita constructæ fuerunt; cum enim ab aspectu longius recedant, pro dubbis astragalus unum tantummodo obtinuerunt: duo nanque opus minutum & inuolutum nimium utique reddissent,




Portæ quidem huiusce laxamentum iandudum sumus dimensi: Antepagmentorum uero frontes latitudinis ipsius luminis octaua parte sunt constitutæ. Nec illud ob stare quicquã uidetur, quod Vitruuius Dorici & Ionici generis antepagmêta sexta parte circiter definiuit. Cum enim Corinthium hoc opus esse perspiciatur, Corinthiæq; columnæ Ionicis & Doricis quoq; graciliores existant, in nullam certè artifex ille reprehensionem incurrit. Quinimo antepagmêta hæc eò maioris crassitudinis speciem præferunt, quod eorum latera iustam utique crassitudinem obtinent. Quapropter oculus, utraq; parte seorsum conspecta, totum ipsum quamprimùm complectitur atque coniungit, ad eò ut opus elegantiam ac perfectionem suam ritè consequatur. Porta huiusce quod Itali telarium nunc appellant, ex antepagmêntis uidelicet ad utranque partem collocatis & epistylis desuper incumbentibus constitutum, unum idq; perpetuum esse fertur: nec ego iuncturas aut commissuras ullas profectò perspexi. Quod tandem ad singulos spectat commentus, hic in superiori parte diligentius, ni fallor, notati descriptiq; conspiciuntur.

Coronix hæc, zophorus, & epistylum supra templi quidem ostium consistunt. Quod autem ad eorum attinet mênuras, epistylum latitudinis ianue octaua parte definitur: Zophorus, cum purus absque ulla sit prorsus scalptura, epistylis tertia parte mi-

nor existit: coronix ad eandem epistylis ipsius altitudinem conscendit. Singula membra demum eam utique cum toto opere seruant rationem, ut, circino adiuuante, cunctarum partium proportionem ad unguem profectò reperiuntur.



Vt formosissimi huiusce & miro quodam artificio compositi ædificij singule partes explicentur, è quibus-  
cunque lateribus spectantium oculis eius species formaque proponenda uideatur. Cùm igitur eius frontem  
hucusque è regione contemplati fuerimus, cunctis eiusdem partibus, quæ rectè conspici possunt, insuper de-  
signatis: qua ratione porticus quoque, uestibulum, templiq; aditus ad latera collocantur, modò ostende-  
mus. De mensuris quidem; columnarum, pilarumque exteriorum, & cæterorum ornamentorum crassitu-  
dines altitudinesque in superioribus iam expeditæ fuerunt; unde nihil est quòd hæc eadem nunc repetan-  
tur, sed rerum tantummodo situs aptitudinesque ex præsentis habebuntur designatione: quæ quanuis pusil-  
la forma hic descriptæ uidentur, maiorum tamen dimensiones ac symmetrias, pro rata proportione, ad un-  
guem imitantur. Breuiores columnæ templi ipsius aditum quasi obstruentes, pilarum more, planæ utique  
existunt: earumque commensus, cùm delubris quoque usus ipsarum inseruiat, deinceps exponemus. Furni-  
ceæ autem æneæque testudinis, cuius suprâ iam mentionem habuimus, ambitus trium horum intercolumn-  
norum spatia comprehendebat.



Porticus lateralis  
dispositio.

Templi interior  
aditus.

At cùm striatis columnis templum hoc abundare atq; refertum esse conspiciatur, ut singulas cunctarum  
mensuras nunc persequamur, haud nobis animus suadere uideatur: uerùm earum tantummodo, quæ in ma-  
iori delubro constitutæ Panthei ipsius fores ex aduerso intuentur, columnarum striges tanquam cæteris  
elegantiores & maiori artificio elaboratas saltem hic attingemus. Subscripta igitur figura, A nempe & B, co-






H 2 lumnæ



lumnæ Ichnographiam & Orthographiam, uidelicet uestigium & rectitudinem, nobis ostendit: A quidem columnæ scapum & rectitudinem, B uerò columnæ eiusdem uestigium & aream demonstrante. Et hæc de columnarum ipsarum formis dicta sufficiant: nunc uerò ad earum membra dimetienda accedamus. Canaliculi uiginti quatuor numero existunt, singulique in minorum ix semisq; longitudinem deducuntur. Astragalus cum binis regulis unà acceptis minorum quatuor ac semis occupat interuallum: Astragalo quidem tria conceduntur minuta; ei autem, quod superest, minutum unum semisq; derelinquitur: quo in æqua deinde segmenta diuiso, regularum utraque iuxta astragalum collocata tres minuti unius quartas sibi requirit. Hæc nempe striatura aspectui quammaximè iucunda esse uidetur: & consimili prorsus opere basilicæ, quæ foro transitorio adiacet, ualuz expolitæ perfectæque fuerunt. Basis C litera inscripta primarij delubri columnis, quarum mentionem iandudum habuimus, substernitur; cuius quidem altitudo palmis duobus, minutis xj & semi definitur: eiusque distributio talis nimirum existit. Plinthus inferior xix minorum altitudinem petit. Torus inferior minuta xvij sibi uendicat: Regula supra eum constituta minuta tria & semi: Scotia seu Trochilus inferior minuta octo, tertia minuti unius parte adiecta: Regula astragalus supposita minuti dimidium, & Regula item astragalus superincumbens tantundem: Astragalus ambæ simul, minuta sex & semi; earumque utraque separatim minuta tria, quarta minuti unius addita parte: Scotia siue Orbiculus astragalus superpositus minuta sex: Talus superiori toro substratus minutum unum: Torus ipse superior minuta septem, duabus tertijs adiunctis: Quadra seu Regula toro superstant, quæ inter columnæ ipsius membra reponitur atque connumeratur, minuta tria. Huiusce basis denique proiectura in minorum xxij extenditur interuallum, cuius modum atque proportionem infra subiecimus.


Sequens figura partem quandam templi interiorum, à pavimento scilicet usque ad coronicis ipsius apicem, unde mox testudo sese in auras attollit, nobis proponit: quinimo in eadem designatione, qua ratione insuper quadrata intra testudinem collocata supra coronicem mox oriri atque emergere incipiant, intueri licet. Quapropter descriptionis huiusce infima pars, delubri siue sacelli unius latitudinem ostendit: quæ quidem delubra cum sex numero esse dicantur, duo in hemicycli formam, & quatuor reliqua in quadrangulam alteraque sui parte longiorem dispositionem componuntur; uerum eandem omnia utique frontium similitudinem atque collocationem præferunt: singulaque delubra duas rotundiores habent columnas, eorum angulis deinde columnas quadratas possidentibus, quemadmodum tum ex præcedenti areæ typo, tum ex subsequenti quoque habetur designatione: quæ etsi ad prospectuum rationes opticosque situs nequaquam fuerit descripta, nec delubri ambitus siue conuersio in ea conspici queat, ut de eius rotunditate uel quadratura certum iudicium possit afferri, nec insuper ulla partium contractio aut diminutio propter exactas propriasque mensuras ad unguem perfequendas adhibita fuerit; quin tamen delubrum hic figuratum quadratam formam obtineat, minimè dubitandum uidetur: quod ex quadratis fenestrarum in interioribus delubrorum partibus reconditarum constitutionibus satis, ni fallor, intelligi potest. Columnarum crassitudo palmos v ferè, tribus duntaxat minutis deficientibus, obtinet: Basium altitudini palmi duo minutaq; xxj assignantur: Columnæ scapus, si capitulum dempseris, palmorum xl spatium intrecipit; Capituliq; ipsius altitudo palmos v minutaq; xxx sortitur: unde tota integraq; columna, basi insuper & capitulo simul adiectis, palmos circiter xlvij fuit assecuta. Epistylis deinde, zophori, & coronicis altitudo palmos xij, palmique unius dimidium præterea complectitur: qua in partes x mox distributa, tres epistylis, tres item zophoro, & quatuor relique demum coronici ascribuntur. Cæterorum autem membrorum explicationes, cum ea ex propria forma deducta fuerint, & in P subscriptum exemplar iustissima quadam ratione translata, consultò hic à nobis præmittuntur. Quinimo ex coronicis huiusce dispositione acce & subtilissimum Architecti iudicium perpendi & conijci debet, qui cum mutulos ibi constituisset, insculptos denticulos eodem apponendos esse nequaquam existimauit, ne scilicet in grauissimum illud & communissimum tot ueterum & recentiorum quoq; Architectorum erratum prolaberetur: cunctæ etenim coronices, quibus mutuli & denticuli simul insculpti affiguntur, tanquam præuæ & uitiosæ à Vitruuio secundo quarti uoluminis capite improbantur. Quauis autem in coronice hac denticuli forma conspicitur, cum tamen denticuli minimè sint insculpti, in nullam utique reprehensionem incurrunt. Supra coronicem pluteus imponitur, qui in palmorum septem minorumque sex altitudinem excitatur; & haud aliter, quam subsequentes deinde columnæ, parum eminentibus constat expressionibus. Columnæ hæc quidem, epistylis, zophoro, & coronice simul adiectis, in palmos xxx minutaq; xxxvj sublimes extolluntur: qua altitudine in partes v dissecta, partium earum una epistylis, zophoro, & coronici coniunctim tribuitur; eademque figuræ sequentis initio mox litera M signatur, maximam utique cum uero, è quo deducta fuit, exemplari proportionem atque similitudinem gerens. Coronice huiusce & epistylis membra partim simplicia partim insculpta, ea symmetria eoque artificio sunt distributa, ut ne minima quidem confusio inde

oriatur: quinimo ex media solidorum membrorum inter insculpta collocatione, mira profectò uenustas ac elegantia emanare uidetur. Fenestra deinceps in superiori delubri parte sita, ad ipsum utique illuminandum fuit excogitata: quæ lux nimirum, quanuis recto ductu rectoque statim itinere nequaquam accedat, cùm tamen è summa templi apertione in perpendiculi morem descendat, per fenestram ingrediens delubro satis profectò luminis affert atque ministrat. Cùm autem columnæ, ut iam diximus, modicis constant prominentijs; inter eas, necnon in superioribus fenestrarum partibus exquisiti lapides complures artissimè compacti, & inter sese coagmentati cernuntur: primæque coronicis zophorus ex optimo constat porphyrite.







Præfens designatio unius tabernaculorum illorum, quæ media inter delubra consistunt, speciem refert: columnarumque ex utraque parte constitutæ quadratas delubrorum columnas, quæ pilæ uocantur, ostendunt. Et hoc in loco sapientissimum utique Architecti consilium quammaximè commendandum existimamus: qui cum epistylis, zophori, coronicisque præiunctionem moli retur, nec quadrata columna extra parietem tantum egrederetur, ut tota coronicis ipsius proiectura posset collocari; simam, quam gulam rectam uulguè appellat, duntaxat ibi perfecit, cæterorumque membrorum ornatum in fasciam permutauit, aded ut opus hac ratione & uenustatem suam sit assecutum, & cum reliquis conuenire mirificè uideatur. Duæ fenestellæ lumini nequaquam peruiæ existunt, sed tanquam idolorum sedes potius & receptacula excavatæ fuerunt. Pes tabernaculi in palmarum ix & minorum xij altitudinem educitur: Columnarum crassitudo bipalmaris esse conspicitur; earumque scapi in palmos xvj, spiras capitulisque detractis, sublimes attolluntur: Spiræ seu Bases palmi unius, Capitulaque palmarum duorum & semis altitudinem obtinent: Epistylis palmus unus, zophoro epistylum circumambienti, & ex egregio porphyrite constanti tantundem assignatur: Coronix palmum unum & semi, Fastigium palmos v; Epistylum, quod tabernaculum ipsum ambit atque circumdat, palmum unum, tribus quartis adiectis, in altitudinem petit. Cæteræ mensuræ deinceps ex subiecta melius intelligentur designatione. Tabernaculorum autem tria quidem rectilineis fastigiatisque frontibus, tria uerò curua pro quadrantis circuli unius ambitu sinuataque existunt.



Quaternæ subscriptæ figuræ tabernaculi modò designati membra quædam esse uidentur, quemadmodù quatuor literæ, A, B, C, D, utrobique positæ, sibiq; mutuò respondentes ostendunt. Quod autem ad mensuras at tinet, altitudines iam explicitæ expeditæq; fuerunt: Idq; Architecto in præsentia sat erit, quòd membra singula, summa adhibita diligentia, & proportione ad unguem prorsus seruata, è maiori quantitate in pusillam hanc formam deriuata traductaq; fuerunt. Quòd si nonnullis fortasse Vitruuianæ disciplinæ studiosis coronicis huiusce altitudo, si cum epistylio & zophoro conferatur, modum ac symmetriam excedere uideatur; quinimo nec nos, ut uerum fateamur, ad eò sublimem eam constituere ausi fuissimus; attamen si ibi è loco inferiori & multum utiq; distante suspiciatur, cum propter longinquitatem haud immodicam altitudinem habere existimetur, per commodam nimirum seruat proportionem. Capitulum uerò à Vitruuij constitutionib. plurimùm utiq; aberrat: solum enim absq; abaci seu operculi adiectione altius profectò, quàm Vitruuius cum abaco simul accepto ipsum definiuit, esse perspicitur. Nec tamen hoc quicquam obstante, eiusmodi capitulorum genera cætera cuncta, quotquot Romæ extant, capitula, approbantibus omnibus, forma & pulchritudine uincit. Nec tabernacula tantùm, uerùm etiam delubra, & porticus ipse demum easdem capitulorum habent dispositiones. Quapropter id, quod à principio asseruimus, hic denuò confirmamus, nullum ædificium, quod symmetriæ ac ordinis hoc studiosius aut obseruantius foret, à nobis conspectum unquam fuisse. Quòd si obseruationes, quæq; intra quæque extra conspiciuntur, cunctas sigillatim exponere aggredieremur; prolixiores & garruli cuipiam fortasse uideri possemus. **T**emplo huic igitur suprema manu imposta, reliquas antiquitates iam persequamur.




Templum




Templum hoc Baccho ab antiquis olim consecratum, uetustissimum quidem esse censetur; & integrum adhuc, atq; complurium operum uarietate elaboratum, necnon diuersis & perpulchris lapidibus instructum esse conspicitur: eiusq; pauimentum, parietes, medianaq; testudo, necnon fornices eam circumambientes, è sectili tessellatoq; opere constant; totiusq; ædificij structura composita nimirum existit. Interior diameter, qui à pariete ad parietem perducitur, in palmos centum extenditur: medianumq; corpus columnarum complexu quasi zona quadam præcinctum palmorum quinquaginta obtinet interuallum. Intercolumniorum spatia diuersa admodum incertaq; esse uidentur: Quippe Medium interuallum sub uestibuli ipsius aditu constitutum, palmis nouem minutisq; triginta definitur: spatiumq; huic è regione aduersum palmis nouem minutisq; nouem terminatur. Interualla scaphis seu conchis, quos Nichios nostrates appellant, patentioribus opposita palmos octo & minuta unum atq; triginta sibi requirunt. Quaterna autem, quæ supersunt, interualla; nonnulla quidem palmos septem minutaq; octo, nonnulla uerò palmos septem minutaque duodecim sortiuntur. Vestibuli & item Delubri seu Sacelli uestibulo oppositi laxamenta, intercolumnijs sibi obiectis respondent: & pariter etiam scaphæ patientiores cum suis intercolumnijs omnino conueniunt. Scaphis angustioribus deinde palmi septem & minuta quinq; duntaxat obtigerunt. Porticus præterea fornicato opere circumductæ commensus, à templi ipsius modulis facillimè accipientur: quam sinus seu cauedium ouata forma compositum antecederat. Cauædij autem huiusce longitudo palmos quingentos & octoginta octo, latitudoq; palmos centum & quadraginta complectebatur: ipsumq; columnis insigne admodum conspicuumque extitisse uestigia adhuc extantia testantur, quemadmodum ex subiecta figura cuius perspiciere licet.

TEMPLI IPSIUS BACCHI ICHNOGRAPHIA.



: Templi huiusce Ichnographiam, modalis etiam appositis, iam ostendisse uidemur. Modò in subscripta designatione eius Orthographiam, & frontis interiorem tantummodo erectionem persequemur: de exteriori nanque, cum ea omni ornamentorum genere prorsus sit destituta, nos uerba facere minimè oportet. Partium igitur contextarum altitudo, à pavimento ad cælum, usque, palmis octogintasex definitur: Columnæ palmorum duorum & minorum quatuordecim crassitudinem, & palmorum duorum atq; uiginti minorumque undecim altitudinem habent: Bases ad palmi unius minorumque septem; Capitula ad palmorum duorum, quarta insuper addita; Epistylum & Zophorus item ad palmi unius, quarta præterea adiecta, altitudines eriguntur: Coronæ in palmos duos & semis assurgit. Membra autem minutiora, cum diligenter accurateq; à nobis hic fuerint expressa, ex subscripta designatione optimè patent. Templumq; ue hoc extra Urbem habetur, Sanctæ Agnetis cultui sacrum.






Area infra collocata Cauædium ante Bacchi ædem constitutū, & peristylis circumambiente comprehensum, sicut uestigia nonnulla fragmentaque significant, nobis ostendit. Singulis autem intercolumnijs scaphæ aduersæ & columellis quibusdam distinctæ ac insignitæ respondebant; quæ, Deorum simulachris & imaginibus impositis, in maxima utique apud priscos ueneratione habebantur. Cauædium hoc ouatam figuram oblongam admodum retinebat, eius longitudine palmos quingentos & octoginta octo, latitudineque palmos centum & quadraginta occupante.




Liberi patris templum, quemadmodum diximus, compluribus quidem ornamentis, iisque uariè accurateque distributis abundat: haud omnia tamen, sed nonnulla tantummodo hic apponenda censuimus. Ternaque hæc, quæ subscripta intueris, inuenta & cogitata in eodem templo partim ex elegantiorum lapidum structura confecta, partim scilicet uermiculatoque opere elaborata conspiciuntur.



Templum hoc Pacis Vespasianus Imperator apud Romanum forum primus olim instituit, quod à Plinio summis quidem laudibus celebratur; & sculpturarum uarijs generibus, albarijsque operibus quammaximè certè præstabat. Quinimo præter cætera templi ornamenta Vespasianus, Nerone iam defuncto, cuncta tam ænea quàm marmorea simulachra, quæ sæuissimus ille Imperator ex locis compluribus quàmplurima nempe collegerat, in fano hoc reponenda curauit. Quinetiam Vespasianus & suamet, & liberorum quoque formas imaginesque ex nouo quodam marmore ferrei coloris atque duritiæ, & in Aethiopum regionibus procreato, quod Basalten antiqui uocabant, & magni utique faciebant, conflatas in sacra hæc æde collocauit.


locavit : cuius primarium delubrum, ingenti statua marmorea, quæ ex compluribus constabat segmentis, apposita, intuentium animos uehementi stupore replebat. Colossi huiusce fragmenta complura in Capitolio hucusque seruantur : nosque, cæteris omisissis, id solum referemus, pedem unum ibi extare, cuius ungula pollicis inhærens eam magnitudinem obtinet, ut nobis recumbentibus perquam commodam sedem præstiterit. Ex quo mira certè Colossi ipsius amplitudo percipi potest : uastumq; hoc simulachrum ex optimo aliquo artifice prodijisse iurè censetur.

TEMPLI PACIS ICHNOGRAPHIA.






Templum nuper commemoratum, si Serlium sequamur, è brachialibus modulis commensus suos accepisse uidetur; brachiaque singula in duodecim partes æquales, quæ uncia uocantur, ab eo diuiduntur; mediaque linea in præcedenti aræ typo exposita brachij tertiam partem ostendit. At nos, qui Serlium latinè loquentem inducimus, cum hoc mensuræ genere antiquos probatosque authores nullibi usos fuisse reperiamus, brachia singula in pedes binos permutantes, brachiales modulos in pedales conduplicatos elegantissimè conuertemus: Serlijque deinceps diuisionem sequentes, pedes singulos in duodecim uncias partiemur, adè ut unaquæque brachialis uncia in binas pedales uncias dissoluatur; præcedentemque lineam pedis unius duas tertias significare asseremus. Falsò etenim cubitum nonnulli, quo moduli genere Latini frequentissimè utuntur, cum brachiali eiusmodi mensura à recentioribus introducta eundem profus esse sibi persuaferunt, cum cubitus à brachio tertia sui parte amplius continèatur atque comprehendatur, adè ut cubiti singuli sesquipedales, singula autem brachia bipedalia existant. Nec illud certè pro faciliore nominum, quibus utemur, intelligentia hic prætereundum uidetur, nempe ueteres pedem in duodecim æquas portiones, quas uncias appellarunt, distinxisse, uariaque pro earum numero ipsis nomina tribuisse. Duodenum etenim partium propositarum unam duntaxat Vnciam, duas Sextantem, tres Quadrantem, quatuor Trientem, quinque Quincuncè, sex Semissem, septem Septuncem, octo Bessem, nouem Dodrantem, decem Dextantem, undecim Deuncem, & duodecim Pedem nuncupare consueuerunt. His uisis ad templi expositi membra dimetienda accedamus. Primùm igitur porticus ipsius longitudinem pedes ducenti & quadraginta quatuor, latitudinemque pedes triginta metiuntur: Scapharum laxamenta in porticus eiusdem capitibus constituta, uicenis pedibus terminantur: Pilæ in ipsomet ingressu dispositæ decempedalem crassitudinem habent, & spatium inter pilas medium uicenos sibi uendicat pedes: Apertiones deinde ex utroque tum porticus tum templi ipsius latere existentes, pedibus tricenis atque duobus insuper finiuntur: Templi totius longitudo in pedes trecentos & quadraginta circiter, latitudoque in pedes ducentos & quinquaginta excurrit: Medium caput centum & sex insuper obtinet pedes: Pilarum frontes, quibus teretes innituntur columnæ, in pedum decem & nouem spatium porriguntur: Columnarum ipsarum crassitudines pedes octo & dodrantem sortitæ fuerunt; columnæque singulæ strigium uigintiquatuor numero, elegantia, atque formositate conspicuæ, maxime utique uenustatem intuentibus præferunt: Strigium singularum mediæ uacuitates dextantem, earumque latera extrema quadrantem assequuntur: Primarij delubri laxamentum pedes circiter sexagintaquatuor intercipit, & in hemicycli formam integram rotundatur: Delubra ex utroque latere constituta, A scilicet & B, in pedum septuagintaquatuor latitudinem explicantur; & pedum duorum atque triginta extensione, hemicycli capacitatem nequaquam adæquante, parietem interiorem perfodiunt: Parietes templum circumstantes pedum uigintiquatuor crassitudinem obtinent, quanuis compluribus locis propter arcus suppositos graciliores existant: Pariter etiam delubrorum circinationes, pedum duodenum propemodum crassitudinem habent: Pilis binis interiectæ uacuitates, pedibus nonaginta definiuntur: Scapharum complurium deinceps, & fenestrarum, aliorumque consimilium moduli ex accurata nostra & artificiosa designatione optimè intelligentur. Et hæc de templi Ichnographia satis superque dicta uidentur. Quod autem ad eiusdem spectat Orthographiam, cum planities ruinis undique obruta operataque lateat, ab imo ad summum ædem hanc dimetiri nobis minimè licuit: sed cum nonnullas aræ partes nobiscum animo reputassemus, & ruinas, quæ



adhuc extant, diligenter meditati fuiffemus, fubiectam conftituimus Orthographiam. Nec illud nobis certo conftat, an columnæ ftylobatis fuppositis innitantur necne, cum ftylobatarum nulla uestigia profus appareant. Quæuis autem Plinius quammaximè hoc commendat ædificium, nonnulla tamen malè cohærentia vitiofeq; inftituta in eo deprehenduntur, præfertim coronæ fummis impofita columnis: quæ, nullius rei adiectione eam concomitante, fola nudaq; turpiter ibi confiftit.


Aedes hæc Pietatis Famam appellatur, Tullianoque carceri proxima adiacet; totaque ex Tyburtino lapide conftat, albario opere fummis eius partibus tantum contectis; comminataque & mutilata maxima quidem ex parte nunc effe confpicitur: Et quæuis feneftrarum nulla profus extant uestigia, in nofta tamen Ichnographia aptis & opportunioribus locis eas difpofuimus. Aedificij huiusce commenfus è brachiali mefura in fexaginta particulas, quæ minuta uocantur, diftributa à Serlio quidem accipiuntur: lineaq;

per medium templum extenfa brachij quartam partem offendit. At nos hoc mefuræ genus tanquam à recentioribus tantummodo excogitatum, nec à Latinis fcriptoribus unquam receptum probatum ue dimittentes, pro brachialibus pedibus modulis duplicatis utemur; Scrij q; deinde diuifionem fequentes, in minuta fexaginta fingulos pedes abfcindemus, brachiali minuto unoquoq; in duo pedes minuta refoluto, lineamque productam femipedis unius magnitudinem fignificare dicemus. Columnarumq; inprimis craffitudines bipedale, minorumq; triginta fex fibi uendicant fpatium: Intercolumnia pedes fenos & minuta octo uiginti que explent: Portæ laxamentum, pedes octonos minuta que uigintinouem intercipit: Parietum craffitudo bipedali, minorumque quadraginta interuallo definitur: Templi longitudo quidem in pedes triginta fex minuta q; quadraginta, latitudo uero in pedes feptemdecim extenditur atq; producit: Porticus templum circumcurrens laqueata, ac tefseris grandioribus diftincta profecto exiftebat. Verum anterior fpatiofaque templi facies cum fit ob ueftitatem penitus deformata, quodnam tecti operimenti ue genus habuerit, difcerni minimè potef. Aedis huiusce columnæ fpiris & regulis omnino funt deftitutæ: & ex Tyburtino lapide olim conftatæ, albarijsque operibus circumtecta fuerunt. Binas autem eius frontes, anteriorem uidelicet, atque posteriorem, extitifse iudicamus.






Columnarum capitulorumq; simul altitudo in pedes uiginti, senis duntaxat minutis exceptis, erigitur: imaque earum crassitudo bipedale, minorumq; trigintalex; summa autem bipedale, minorumq; triginta obtinet interuallum: Capitula, astragalis & regulis simul adiectis, in pedem unum minutaq; trigintaquatuor attolluntur: Epistylum pedis unius minorumq; duodenum, Zophorus tripedalem & minorum quadragintaduo, coronixq; bipedalem & minorum sexdecim altitudinem petunt: Fastigij, à summo uidelicet cymatio ad imam usque coronicem, expeditissimum interuallum pedes quaternos quaterna; item minuta sibi capit. Singula membra deinceps proprijs characteribus distincta modulos suos rite assequuntur, & forma aliquantulum ampliori descripta uidentur: quæ quidem membra, maxima adhibita diligentia, & symmetria ad unguem seruata, è maioribus deducta deriuataq; fuerunt.




Templum hoc Tyburi ad flumen Anicnem est constitutum, quod nonnulli Vestæ sacrum olim extitisse arbitrantur, nunc uerò temporum iniuria magna ex parte dirutum ac deformatum esse conspicitur, Corinthioque opere mirificè quidem excultum atque elaboratum fuisse uidetur: atque ab imæ telluris planicie anteriori parte pro subiecti stereobatæ ipsius altitudine in sublime educitur, at parte deinde posteriori plus quàm pedibus quatuordecim à supposito stereobate in altum assurgit.



Templum modò designatum à pedibus modulis, quorum singuli in sexaginta diuiduntur minuta, haud aliter quàm superior Pietatis ædes suos accipiet habebitq; commensus: Columnarumq; inprimis crassitudo bipedali & minorum quatuor trigintaq; interuallo definitur: Inter columnium quinquepedale & minorum octo obtinet laxamentum: Inter columnas & parietem pedes quini intercedunt: Parietis crassitudo bipedali minorumq; sex & uiginti spatio terminatur: Templi interioris media uacuitas & laxamentum pedes xxv intercipit: Stylobata A litera inscriptus, quem Pedestalum uulgas appellat, cum columna & omnibus




nibus ornamentis simul adiectis, ubiq; templi totius ordinem atq; dispositionem comitatur: Stylobatæ ipsius basis, pedis unius semisq; altitudinem habet; Medium autem eiusdem corpus, quinquepedale & minorum xxxvj obtinet interuallum; Coronixq; demum in pedem unum & minuta quindena assurgit: Spiræ seu Basis columnæ altitudo, in pedem unum minutaq; septendecim attollitur: Columnæ scapus ascendens, in pedes uicenos erigitur: Capitulum bipedale & minorum quadraginta octo altitudinem petit: Epistylum, zophorus, coronixq; in pedes quinos circiter educuntur. Ianua hic subscripta S & Y, ab imo ad summum in pedes decem & octo contendit; imaq; eius latitudo pedes octonos, octonaq; item minuta cõplectitur: Luminisq; demum in superiori parte laxamentum, pedes septenos minutaq; xlvij sibi habet; & hac ratione Vitruuij summas ianuæ partes contrahentis institutiones optimè quidè seruasse uidetur. Ostij deinde antepagmenta pedè unum minutaq; xlv occuparunt: Summum autem Epistylum pedem unum minutaq; xlij sibi uendicat: Zophorus in pedè unum, Coronixq; in pedem unum minutaq; xxiii sursum attollitur. Fenestra T & X literis inscripta tripedale & minorum trium atque triginta latitudinem, & decempedalem minorumq; senum altitudinem percurrit; summæq; eius partes non secus ac ostij contractiores existunt: Antepagmentis pes unus ternaq; tribuuntur minuta: necnon Coronix altitudini tantundem quoq; assignatur. Membra autem minutiora ampliori forma à nobis hic figurata descriptaq; cernuntur: singulaq; exactam rationem & iustissimam symmetriam retinentia proprijs characteribus distinguuntur, quorum bini eadem litera inscripti optimè nimirum sibi respondent. Fenestræ huiusce partes tum interiores tum etiam exteriores summo quidem artificio elaboratæ insculptæq; uidentur, uno duntaxat discrimine eas separante, quòd interiores inflexæ insinuatæq;, exteriores uerò directæ magis esse conspiciuntur.




Romanum hoc templum extra urbem mutilum quammaximè & comminutum reperitur, & testaceum ferè totum existit; nec ornamentorum, quæ hic apposimus, ibi uestigium ullum prorsus apparet: Verùm quantum ex aræ dispositione conijcere licet, & de conueniente ei altitudine iudicium potest afferri, ratio hic à nobis descripta, A & B, à uero haud procul utiq; aberrat. Aræ uerò moduli in præsentia duntaxat habentur, è quibus operis in altum assurgentis dispositio quoq; satis commodè potest deduci. Subiecta igitur area è palmo Romanorum antiquo, cuius magnitudo in Panthei explicatione fuit à nobis definita, suos commentus suasq; terminationes accepisse uidetur. Fores in primis palmarum duorum atque uiginti latitudinem habent; templiq; diameter in palmos nonagintasex & semis extenditur: Binæ autem scaphæ ex utraq; parte

collocata, sacelliq; interioris ostium, necnon quaterna item delubra in ipsomet uestibulo adituque parem cum foribus ipsis latitudinem obtinent: at delubrorum eorundem partes interiores mox dilatantur, parietesq; in lateribus constituti ad templi eiusdem centrum omnes concurrunt. Quaterna autem modo commemorata delubra obliquo transuersoq; lumini aditum atque ingressum præstitisse opinamur: ideoque templi huiusce peripheriam ex utroq; latere, A & B, ad interiora secessisse conspicimus, quæ forma dispositioq; haud improbanda quidē nobis uidetur. Sacelli diameter palmis trib. & sexaginta definitur. Delubra tā concaua q̄ curua in palmorū quindenum latitudinē porriguntur. Curua quidem, quæ bina existunt, quemnam exitum in superis partib. haberent, nobis minimē constat: nec enim eorū perpendiculara usq; aded extolluntur, ut summarū terminationū rationem ac modū ostendant; ueruntamen hoc ex recta laterum in sublime aliquantum assurgentiū dispositione conijci potest. Quauis autē, ut iam diximus, ædis huiusce Orthographia perfectionē & absolutionē suā hodie nequaquā retineat, perpendiculara tamen, ut nostra fert sententia, in altū eduximus: Et hac ratione figura B ad dextrū latus apposita templi, A uerò in sinistro latere collocata sacelli partem quandam nobis proponit. Dextrum autem & sinistrum haud quidem ad nos intuentes, uerū ad figuræ ipsius conspectū situm atque collocationem referenda esse memento.









Templum, cuius speciem infra designatam contemplaris, extra urbem contractum atque diuulsum iacet; & testaceum ferè uniuersum, nec amplum admodum esse perspicitur: nec lucem aliunde nisi ex ostij fenestrarumque in edito loco atque è regione sitarum, quæ supra coronices uidelicet excauatæ fuerunt, apertionibus imbibisse olim uidetur. At reliqua, quotquot ibi extant, foramina, statuarum uel idolorum uel rerum huiuscemodi aliarum excipiendarum collocandarumque munere fungebantur. Aedis huiusce moduli, propterea quòd in itinere imprudenter amissi fuerunt, hic minimè recensentur: at Architecto inuentio saltem ac dispositio usui quamplurimum erit. Id tamen è memoria nequaquam excidit, templi interioris tam arcam quàm summitatem quadratam ac dimidiam partem insuper occupasse.




Præfens facellum pusillum quidem atq; testaceum existit, & palmo ueteri Romanorum suos explet com mensus. Porticus nimirum palmorū quadraginta longitudine, & palmorum sexdecim latitudine definitur: Ostij laxamentum palmos decem sibi uendicat: Scaphæ eandem latitudinem omnes, palmorum scilicet quatuordecim, assequuntur: Inter scaphia sex palmaria existunt. Quod uerò ad altitudinum spectat rationem, à pavimento ad epistylum usq; palmos quadraginta intercedere; & epistylum, zophorum, coronicemq; in palmos circiter nouem conscendisse iudicamus: Vnde si testudini palmos unum atque uiginti continenter tribuerimus, tota altitudo ad palmos circiter septuaginta pertinet. Palmi autem magnitudinem atque mensuram in Panthei Ichnographia supra iam definiuimus.

Sacra hæc ædicula ex testa & ex marmore constans, maxima quidem sui parte nunc consumpta atque diruta, extra Romæ ipsius mœnia reperitur; & monumentum quoddam hoc olim extitisse pleriq; arbitrantur: quatuor autem paribus angulis atque lateribus ea circumscripita uidetur. A pariete ad parietem palmi triginta medij intercedunt, Muralisq; crassitudo bipalmaris ac semis esse conspicitur: Delubrorum decempalmaris, & Ostij quinquepalmaris existit latitudo: Columnæ, basibus capitulisq; simul adiectis, palmorum uigintiduum & semis altitudinem, eademq; bipalmarem crassitudinem obtinent: Epistylum, zophorus, coronicemq; in palmos quatuor sublimes assurgunt: A coronice ad testudinis usque cacumen palmi circiter undecim medij intercurrunt: Singulorum denique delubrorum arcus in palmorum uiginti altitudinem extolluntur.







Templum infra designatum Tyburi quammaximè lacerum atq; dilaniatum propè flumen offenditur ; & ex utraq; , tam anteriori uidelicet quàm posteriori, parte fastigiatum uidebatur ; columnæque in lateribus consistentes minus quàm dimidiæ extra parietem porriguntur : Præfensq; ædes à pedilib. modulis, quorum singuli in sexaginta diuiduntur minuta, haud secus quàm Pietatis templum superius à nobis descriptum, suos petit commenſus. Semipedalem autem magnitudinem ibidem appoſuimus. Templi quidem latitudo, à pariete uidelicet ad parietem, pedibus duobus atque uiginti, longitudo uerò pedibus trigintaſex definitur : Parietes bipedali & minorum duorum atque uiginti craſſitudine terminantur : Columnæ ad porticum condecorandam adhibitz bipedalem duarumque tertiarum inſuper craſſitudinem ſortiuntur : Earum altitudines, baſibus capitulisque ſimul aſſumptis, ad pedes uigintiquatuor uſque perſingunt : Epistylium, zophorus, coronixque in pedes ſenos ſublimes eriguntur : Faſtigiũ à ſumma ipſa coronice ad cacumen uſque, pedum




TEMPLI TYBVRTINI ICHNOGRAPHIA.



sex occupat interuallum : Stereobata, quod Bassamentum uulgo appellat, ab ima planicie affurgens pedes septenos in in altum educitur. In fronte quidem anterioriq; parte, propter templi ipsius deformationem, nec ostij nec scapharum ulla prorsus apparent uestigia : uerum nos ornatus & elegantiae causa ea apposuimus, nec praesentem designationem symmetria & concinnitate destitutam esse arbitramur. Quinimo etsi nec in parietibus nec in posterioribus aedis ipsius partibus, fenestrarum ullae conspiciantur apertiones : nos tamen in aerae designatione aptioribus atq; opportunioribus locis, prout nostra fert sententia, eas collocauimus. Membrorum tam imae crepidinis quam summæ coronicis modulos haud sigillatim nunc recensuimus : sed descriptiones nostras cum ueris exemplaribus, quorum adhuc nonnulla extant fragmenta, omnino conuenire, ad studiosorum utilitatem satis superq; fore censemus.


Etsi in uoluminis huiusce praefatione nos de antiquitatibus tantummodo acturos polliciti sumus, egregia tamen nonnulla recentiorum etiam authorum, qui tempestate nostra claruerunt, opera silentio praetereunda






minimè existimamus; præsertim cum tot perspicacissima ingenia præsentis ævo in Architectonica facultate ad eò excelluisse conspiciantur. Julio igitur secundo Pontifice Maximo existente, Bramantem quendam ex Durantio oppido Vrbinatis ditionis profectum in Architectura ad eò floruisse comperimus, ut Pontificis eiusdem liberalitate autoritateq; suffragante, primus ipse ueram ædificandi rationem, quæ ab antiquioribus seculis ad ea usque tempora demersa &, ut ita dicam, sepulta iacuerat, denuò excitasse, & ad superos quodammodo reuocasse uideatur. Bramantes igitur Diui Petri Basilicæ superbam molem Romæ primus instituisse memoratur: sed, fato urgente, nedum opus inceptum absoluere minimè ualuit, uerùm exempli quoque partes nonnullas imperfectiores ipse reliquit. Quapropter complura deinde præclarissima ingenia huic rei perficiendæ totis uiribus incubuerunt: è quorum numero Raphaelem Vrbinatem Graphicæ & Architectonicæ simul facultatis primas obtinentem, Bramantis uestigia inceptaq; persecutum hoc nostra quidem sententia perpulchrum, industrioq; Architecto usui in primis futurum exemplar constituisse accepimus. Nec singulas tamen hic templi dimensiones patefecimus: cum enim partes omnes iustissimam symmetriam & æquabilem proportionem retineant, ex nonnullis mensuris apposis in totius operis facillimè cognitionem perueniemus. Templi autem huiusce commensus è palmo Romanorum antiquo, cuius magnitudinem in superiori Panthei ipsius explicatione determinauimus, colliguntur. Media quidem ambulatio palmorum duorum nonagintaq; latitudinem, ambulationes uerò ex utraq; parte sitæ & collocatæ dimidiam tantùm prædictæ latitudinis partem affectæ fuerunt. Ex duabus autem hisce dimensionibus totius quoq; distributio ac symmetria optimè cognoscetur.

Julio eodem Pontificatum administrante, Balthasarem Petruccium Senensem haud in Graphica tantùm, uerùm etiam in Architectonica facultate quammaximè excellentem Romæ extitisse comperimus: qui Bramantis incepta primordiaq; secutus, exemplar subscripta à nobis ratione construxit. Templo quidem ad eundem fores quaternas designauit, aramq; primariam in media templi totius sede tanquam nobiliori collocauit: Quatuor angulis deinde sacra quatuor aptanda adiungendaq; uidebantur, quibus turres in pyramidis uerticem desinentes ornatus cuiusdam gratia, in fronte præsertim ad urbem spectante, perquam eleganter superstrui possent. Templum autem hoc è palmo ueteri Romanorum suos capit commensus. Spatium igitur inter pilas medium palmis quatuor supra centum definitur: Media testudo diametrum in palmos centum &




octoginta octo sese porrigentem obtinet : Testudinum autem minorum diametri palmis sexaginta quinque terminantur : Sacrariorum inania spatiosaq; laxamenta palmos centum intercipiunt : Antæ Pilæ'ue quaternæ in medio constitutæ quatuor arcus desuper incumbentes sustinent, qui testudinem deinde assurgentem sublimiaq; petentem extollunt : Quaterniq; arcus prædicti iam extructi absolutiq; conspiciuntur, eorumq; altitudines in palmos ducentos & viginti eriguntur. His arcubus deinceps Cælum incuruum siue Hemisphærium columnarum magnifico instructum apparatu, summaq; testudine tandem contactum imponi debebat: quod quidem à Bramante, antequam supremum diem obiret, ita præceptum fuit ad unguem ac institutum. Hemisphærij autem huiusce aream sequenti pagina mox descriptam designatamq; reperies.

Subiecta figura Cæli, quod, ut iam diximus, super quatuor arcus erigendum imponendumq; erat, arcum perbellè demonstrat. Ex quo Bramantem audacem potius gloriæq; nimis appetentem, quàm prudentem providum'ue extitisse perspicitur : tam uasta enim ponderosaq; moles ut tuta ac stabilis consistere posset, solidissimam utique efflagitabat substructionem, nec quatuor arcubus ad tantam altitudinem eductis tanta machina profectò erat committenda. Idq; ita esse eo potissimum argumento comprobatur, quòd pilæ arcubus fulciendis subiectæ, etsi nullo adhuc imposito onere opprimuntur, dissolui tamen & labefactari incipiunt, rimisq; iam locis nonnullis disiliunt atque fatiscunt. Cùm tamen inuentum hoc elegans admodum præclarumq; esse uideatur, Architectoq; haud mediocrem insuper utilitatem sit allaturum, eius typum hic subijciendum curauimus : Et ne in modulis omnibus recensendis prolixiores quandoq; habeamur, primos insignioresq; duntaxat hic apponemus ; cæteræq; dimensiones minoribus palmis, qui medij in subiecta areæ designatione includuntur, facillimè expedientur. Mensura enim, quam uides, in quinque partes dissecta; singulisq; segmentis, quemadmodum ex mediæ partis diuisionibus apparet, palmis decem tributis: quina segmenta simul collecta, eademq; ratione diuisa, palmorù quinquaginta numerum explebunt. Primæ quidem exterioresq; columnæ palmorù quinque; secundæ uerò interioresq; magis palmorù quatuor, tertiæ demum ac omniù in timæ palmorù triu, trib. quartis insuper adiectis, crassitudinè habet. Cæli interioris uacuitas palmis clxxxvij definitur. Tholi in medio deniq; constituti, quæ Laternâ nostrates appellant, diametrù palmi triginta sex metiuntur. Reliqua deinceps ex minoribus palmis commensuum suorum rationem ac certitudinem ducent.






En tibi superioris aræ tam interior quàm exterior Orthographia ; ex qua ædificij , quod pilis quatuor duntaxat in tantam altitudinem assurgentibus desuper incumbit, immane pondus & vastissima moles conijci potest : quæ quidem si humilis ex ima telluris planicie mox esset educenda, nedum sublimis in tam arduo loco statuenda designaretur, cuiuslibet prudentis opificis mentem sollicitare exagitareque profectò debuisset. Quapropter Architectum timidior potius aliquantulum quàm nimis confidentem futurum existimamus : Si nanque timidior extiterit, operum suorum firmitati atque securitati diligenter attendet ; aliorumque consilia , si oportuerit , æquo ac libenti animo accipiet ; nec unquam ferè his moribus præditus in periculosum aliquod erratum propter inscitiam aut arrogantiam incurret : Verùm si animi impetu quodam præceps feretur, & amicorum sententijs spretis atque contemptis, proprijsque ingenij uiribus malè expensis, sibi uni quamplurimum tribuet, seque unum tantummodo audiet ; minimè mirum existet, si opera ab eo constructa breui temporis postmodum interuallo per sese concident ac dissoluentur. Quapropter effrænem audaciam ab arrogantia, & arrogantiam ab ignoratione proficisci denique concludamus : & metum sui que ipsius diffidentiam , qua nos uel nihil uel parum admodum scire profiteamur, tanquam ueræ uirtutis affectam eam perpetuò comitari assueueremus . Verùm, ut ad propositum modò reuertamur, totum hoc opus minoribus palmis, quos in proxima designatione apposuimus, facillima quadam expeditissimaque ratione dimetiemur.




Area, cuius exemplar hic subscriptum intueris, Bramantis inuentum extitisse memoratur: etsi ad opus, quod cum uetustiori opere erat omnino consensurum, traducta minimè fuit. B, Petri fanum trans Tyberiam in Ianiculo monte, quem Montē Aureū nunc appellant, extractum repræsentat: A, claustrum uetustū nobis designat: Medianam autem, quæ intercedit, partem Bramantes antiquioris operis uestigia persecutus sic fertur instituisse: C, porticum in angulis quaterna facella gerentem demonstrat: D, cauediū seu peristylum tibi refert: E, sacram ædiculam ab eodem Bramante constitutam imitatur, cuius modulos ampliōri latiori que forma in sequentibus ostendemus. Singulos autem areæ huiusce commensus hic nequaquam interpretamur: sat enim inuentum hoc, Architecto haud inutile profus futurum, aperuisse nobis esse uidetur.







Aediculam à Bramante confectam nos in præsentia diffusius explicaturos, modò polliciti sumus: quæ haud latius quidem peruagatur, sed ob Apostolorum principis, qui ibidem cruci affixus fuisse narratur, gratam duntaxat recordationem extructa fuisse censetur. Templum hoc pede Romanorum antiquo, qui sexdecim digitis constat, suos explet absoluitq; commensus; singuliq;e digiti, quatuor minorum sibi uendicant interuallum: & huiuscemodi mensuræ genus ex palmi, quo Pantheum sumus dimensi, supra à nobis habita descriptione mox elucescet. Templi igitur huiusce diametrum, pedes uiginti quinque minutaq;ue uigintiduo perficiunt expediuntq;ue: Porticus templum circumambientis latitudo septempedalis existit: Columnarum crassitudo pedalis, minutis uiginti quinque superadiectis, esse uidetur: Ostium tripedale & semis latitudinem obtinet: Exigua illa quadrata, orbiculis inscriptis, quæ porticum circumplectuntur, lacunaria columnis superiora demonstrant: Parietes demum quinquepedali crassitudine finiuntur. Reliqui deinceps commensus ex iam dictis facillimè cognoscentur.



Templi Ichnographia iam absoluta eiusdem Orthographia modò succedit, quæ partem tantummodo refert exteriorem: uniuerfumque hoc ædificium Dorico opere, quemadmodum ex præfenti quoque habetur designatione, formatum elaboratumque fuisse constat. Singulorum autem modulorum explicationes consultò nunc dimittemus: ex proxima nanque areæ iam habita descriptione mox ædificij quoque in altum eductio erectioque elucescit; præsertim cum subiectum exemplar, quanuis exiguum, debitam attamen & convenientem obseruet proportionem; è maioriq; in minorem formam, proprijs symmetrijs ad unguem expressis, à nobis redactum huc fuerit atque conclusum.








Templi Petro dedicati, quod à Bramante in Ianiculo constructum accepimus, faciem externam habes iam designatam; nunc uerò eiusdem internam dispositionem patefaciemus: quæ, ut iam diximus, eam retinet symmetriam, ut Architectus, area adiuuante, modulos omnes nullo ferè negotio expedire queat. Quauis autem templum hoc ad immodicam conscendere altitudinem uideatur, adè ut altitudo latitudinem duplo quidem excedat: attamen, si operis deinde spectes rationem, propter complures fenestrarum scapharumque ibi existentium apertiones, quæ ad uisum extendendum ac dissipandum quammaximè conferunt, ne minimam quidem suspensionem, nullumque prorsus incommodum patiuntur: quinimo propter duplices ambientium coronarum ordines, qui de altitudinis ratione quamplurimum detrahunt atque deducunt, templum longè humiliorem, quàm re ipsa obtinuerit, sui speciem intuentibus exhibet.

Præfens ædificium extra portam Capenam uia Appia Diui Sebastiani fano proximum adiacet, & ad soli usque planiciem totum ferè dirutum atque æquatam esse conspicitur, porticum præsertim circumambientium series. At mediana constructio, cum ex opere solidissimo constet, tota adhuc integraq; seruat, lateritiaque, nullo prorsus ornamentorum genere ibi conspecto, existit: Et cum lumen haud aliunde quàm ex ostio & ex angustioribus quibusdam fenestellis, quæ scaphis quaternis adiunctæ fuerunt, ædificium hoc hauriat atque combibat, nil utique mirum si cæcum quoque ac tenebrosam esse uidetur. Eius area in primis maioribus Romanorum palmis suos explet commensus: longitudines autem latitudinesque arundineis modulis à Serlio quidem nostro explicantur, singulæque arundines decempalmes ab eodem constituuntur. At nos, qui in antiquitatibus hisce dimetiendis antiquiores etiam & à ueteribus usitatas mensuras adhibendas existimamus, arundines singulas decupla auctas proportionè ad palmes modulos redigemus. Porticus igitur,


rar, quam litera A inscripsimus, in palmorum quadringentorum nonagintatium extenditur longitudinem: ceteræ autem productiores porticus, palmorum quingentorum sexagintatium longitudinem assequuntur: Porticumque earundem latitudo palmis xxxij definitur: Angularium pilarum, omnibus membris adiectis, crassitudo palmis xij terminatur. Ex hisce autem modulis reliquarum partium quoque dimensiones elucescent. Quod uerò ad medianam attinet constructionem, spatium B hypathram ac subdiualem ambulationem ostendit, palmorum lxxvj longitudine, & palmorum xxxiiij latitudine circumscripam. C item, locum subdiualem & absolutissimam ratione quadratum, necnon palmorum xl interuallum undique complectentem demonstrat: Pilæ quaternæ decempalmarem crassitudinem obtinent. Parietis rotundum sphericum ue edificium ambientis crassitudo palmos xxiiij sibi uendicat: Pars D consonante descripta, fornicatam obtinet concamerationem: Mediana autem pars, E uocali eam demonstrante, solidum quoddam fornice testudini fulciendæ subiectum suppositumque; designat, in quo medio hiatus siue apertio quedam consistit. Mediana autem hæc, quam solidam esse dicimus, structura scapharum, que scaphis parietum aduersis alternatim respondent, elegantissima serie instructa conspicitur. Altitudines uerò, tum propter immodicas obstructiones tum propter greges armenta que ibi stabulantia, dimetiri nequaquam potuimus: Quinetiam, cum nullum ferè Architectonicæ subtilitatis argumentum, quod notari obseruarique possit, ibi reliquum esse uideatur; si nos quoque Orthographiæ ipsius nullam præfusa rationem habuimus, nequaquam admirari homines debent.





Theatrum hoc Augustus Romanorum inclytus Imperator Marcelli ex Octavia sorore nepotis nomine fertur olim instituisse, quapropter Marcelli quoque Theatrum id homines appellare consueverunt, intraque urbis ipsius mœnia consistit, eiusque pars quædam exterioris porticus adhuc superesse conspicitur: quæ duplici tantum genere, Dorico scilicet ac Ionico, constat, egregium nempe ac probatissimum opus, quamvis Doricæ columnæ tum proprijs basibus tum etiam imis præinctionibus carent, uerum porticus ipsius solo absque ullo profus subiecto stylobate simpliciter innituntur. Theatri quidem huiusce area superioribus temporibus uix profectò cognita erat, nec longius abesse uidetur, cum Maximi ciues Romani ex ordine Senatorio honestissimaque familia genus ducentes ædes, quarum situs & collocatio quandam Theatri substantis partem occupabat, designarunt; earumque extruendarum prouincia Balthasari Senensi, præstantissimo nempe Architecto, demandata, atque tellure propter fundamentorum iactus depreSSIONESQUE constituendas egesta, complura diuersaque coronicum theatri huiusce fragmenta mox reperta fuerunt, aræque insuper dispositio magna ex parte quidem innotuit: Quapropter perspicacissimus Architectus, resectæ partis illius forma conspecta, in totius quoque cognitionem facillimè penetravit; moxque spatij maxima cura diligentiaque commensis, theatri exemplum, quod iamiam designatum descriptumque reperies, tale composuit. Et nobis etiam, qui Romæ tunc interfuimus, coronicum earundem contemplandarum dimetiendarumque facultas exhibita fuit: formasque adeò elegantes ibi conspeximus, ut in antiquitatum fragmentis perlustrandis nos similes nunquam hætenus uidisse meminerimus; capitulis Doricis præsertim, & arcuum incumbis animaduersis, quæ cum Vitruuianis institutis quammaximè conuenire profectò uidentur. Pariter etiam Zophorus, triglyphi, methopæque haud inuenustam quidem sui speciem intuentibus exhibebant. Veruntamen coronix Dorica ibi constituta, quamvis egregiè admodum sit elaborata, membrorumque insuper numero & eleganti præstet comitatu; opificem tamen à Vitruuij præscriptionibus longius recessisse, & in membris effingendis audaciorem atque licentiosem aliquantulum extitisse assueuimus: Quinetiam coronix eadem adeò sublimis effertur, ut, si epistylj zophori que spectes rationem, duas utique prædictæ altitudinis tertias duntaxat satis fore arbitreris. Nec tamen Architectum, ut uel hoc uel consimilium antiquiorum operum exempla paulò liberiora, quam par esset, secutus imprudens erret, suademus (errata autem, quæcunque in ratione ædificatoria à Vitruuianis disident institutis, appellamus) nec tantum ut sibi tribuat uolumus, ut in coronice uel alia re qualibet extruenda, quancunque ille proportionem & symmetriam cōspexerit atque obseruauerit, mox indiscriminatim sequatur ac imitetur. Nec enim propterea quòd antiquiores aliquid effecerunt, sibi quoque idem licere arbitretur, uerum totius reliqui insuper ædificij consensus atque harmonia diligenter est perpendenda. Huic illud etiam accedit, quòd antiquorū opificū nonnullorū licentiam ac arrogantiam nequaquam profectò imitari debemus: qui, nisi ratione fortasse aliud dictante ac suggerente, Vitruuij placita atque decreta tanquam sanctissimas quasdam leges studiosissimè sectabimur & amplectemur. Ab omni etenim antiquitate ad hæc usque tempora neminem eo doctius aut accuratius de Architectura conscripsisse reperimus. Quòd si in cæteris sigillatim elegantioribus & ingenuis disciplinis præclarum aliquem uirum primas semper obtinuisse uidemus, cuius uerbis tanquam oraculi cuiusdam responsis omnes certissimam minimeque dubiam fidem præstare consueverunt: quis obsecrò, nisi indoctus fortasse quispiam menteque captus, Vitruuium in Architectonica facultate cæteris anteponendum esse negabit? quis uel eius scripta, nisi ratio aliud quandoque suaferit, tanquam sacrosancta minimeque transgredienda non perpetuò colat ac ueneretur? eisque non multò maiorem, quam ullis Romanorum operibus tribuat auctoritatem? Qui etsi è Græcorum fontibus ueram ædificandi rationem principio hauserint atque deduxerint; Græcorum uiribus tamen deinde perfractis, imperioque penitus abrogato, Romanorum fortasse nonnullos uictoriæ nomine insolentiores iam redditos, & fastu superbiæque intumescens, Græcorum quoque in ædificando leges contempsisse, à uero haud alienum uidetur. Quòd si mirificas eorum moles atque extruções, quæ temporis uetustate partim consumptæ, partim immanissimorum hostium feritate destructæ olim euerstæque fuerunt, nunc intueri possemus; Græcorum opera ædificiaque Romanis fabricis atque structuris longè profectò superiora esse fateamur. Quapropter quicunque Vitruuiana dogmata impugnabunt, & à Vitruuianis institutionibus descendent, ijsque præsertim, quarum sensus atque intelligentia clarior perspicuaque admodum esse conspicitur, quale id utique, de quo nunc disceptamus, Doricum genus existit: cum authorem tot seculis à sapientum cunctorum ordine receptum probatumque calumnientur, tanquam impuri & nequam homines ex Architectorum familia & contubernio mox separandi segregandique uidebuntur. Verum cum studiosorum utilitati consulentes extra rem satis iam euagati fuerimus, modò pristinum argumentum repetamus. Theatri igitur aream pede Romanorum antiquo sumus dimensi: Partemque medianam primùm A litera inscriptam, quam scilicet Orchestram appellant, pedum cxciii diametrum obtinuisse, & hemicycli ambitu circumductam fuisse reperimus: Extremitate cornuum, quæ H litera notantur, anguli pedes cccxvii medios intercipiunt: B, quod Proscenium nuncupatur, inane & spatiosum undique existit: C, Scenæ ipsius porticum, quæ pulpitum medium complectebatur, designat: D, uestibulum quoddam, scalis ex utraque parte compositis, & ad loca nonnulla per E literam significata, quæ Hospitalia uocantur, nos perducentibus, representat: Porticus uerò G ex utroque latere constitutæ, quæ Versuræ dicuntur, deambulationibus inseruiébant. At hæc cum ædificiorum aliorum superincumbentium molibus obruantur, supra tellurem nunc minimè extare conspiciuntur. De singulis autem tum Scenæ tum etiam Theatri gradationumque modulis, nihil est quòd in præsentia differamus: in celeberrimi nanque illius Amphitheatri, quod Colosseum uulgo appellat, explicatione cuncta hæc diligenter


diligentissimè persequemur; indeque Theatri huiusce dispositio satis commodè deducetur. Partem uerò Theatrum extrinsecus ambientem sequenti pagina mox ostendemus. Eiusque dimensiones brachialibus modulis ipsique communioribus ab authore explicantur: Singula autem brachia in duodecim, quæ uncia nuncupantur, ab eodem utique distinguuntur; unciaque singulæ in quinque distribuuntur minuta: Lineaque subiecta brachij quadrantem designat. At nos, consuetudine nostra nequaquam immutata, brachiales hosce modulos in pedales duplicatos conuertemus; pedes singulos in uncias duodecim, & in quinque minuta singulas uncias diuidentes; aded ut singulæ brachiales uncia in binas uncias pedales, minutaque singula brachialia in duo pedalia minuta deinceps permutabuntur: lineamque productam semipedalem quantitatem præferre dicemus.



Subsequens figura, Theatri ipsius Marcelli partem exteriorem demonstrat, & à pedaliibus, quos iamiam explicuimus, modulis suos petit commensus. Primi quidem infimi que ordinis columnæ tripedali, minuto rumque xxvj crassitudine finiuntur: parsque superior mox sub capitulo constituta bipedalem, minorumque xxxij crassitudinem obtinet: Capituli altitudo mediam imæ columnæ crassitudinem adæquare uidetur; capitu-ique huiusce descriptionem sequenti uolumine in Dorici ordinis B littera inscripti explicatione longè uberiorem profectò & accuratiorem offendet: Arcus autem inferioris incumbæ B littera significatæ, capitu- ibidem collocati altitudinem æquant: Parastatæ, quæ uulgo Pilastratæ dicuntur, ex utroque colum- næ ipsius latere constitutæ xxxviii sibi uendicant minuta: Singulorum arcuum apertiones in pedes xiiij fe- rè, decem & octo tantummodo minutis detractis, extenduntur; ijdemque in pedes xxiij minuta que xxxij su- blimes eriguntur. Epistylum pedis unius minorumque xxxviii altitudinem petit: Zophorus bipedali mi-



nutorumque sexdecim altitudine definitur: Coronique uniuersa tripedalem minorumque uiginti insuper altitudinem occupat. Superioris postmodum arcus latitudo à latitudine inferioris ne minimum quidem dissentit, at in pedum xxj minorumque xxxvj altitudinem scandit: Stylobatae, quos Pedestala uulgo appellat, ab inferiori primaque coronice ad columnarum superiorum scapos attollendos, in bipedalem & minorum octo altitudinem educuntur: Secundi ordinis columnae bipedali & minorum xlvij crassitudine terminantur; & pedum xxij minorumque liij, spiris capitulisque detractis, altitudinem assequuntur: Spira seu Bases in pedem unum & minuta xxvij sublimes eriguntur: Capitulorum altitudines, à regulis uidelicet astragalorum super columnas existentibus usque ad eorundem astragalorum uertices, in pedis unius minorumque duodenum spatium attolluntur: At Volutae ex astragalibus minuta xlv infra dependent, itaque




ab ima uoluta ad summum usque cymatium minuta xciiij intercedunt: Capituli ipsius abaco, tripedalis latitudo contingit: Volutæ autem quadrupedalem latitudinem explent: Epistylum in pedem unum minutaque lviiij, Zophorus in pedem unum minutaque lvj, Coronix in pedes ternos & minuta xxxvj sublimes ascendunt. Id uerò in primis studiosos commonefaciendos censemus, coronicem hanc, si cum Vitruuianis modulis ac symmetrijs conferatur, duplo maiorem, quàm par esset, altitudinem consecutam fuisse. Nec tamen arrogantia atque temeritatis idcirco infamiam subire, nec antiquorum operum, quorum præclarissima exempla recentioribus Architectis sectanda imitandaque proponuntur, acerrimi iudices aut delatores haberi quandoque uelimus. Ad eum nanque finem potissimum nostræ referuntur cogitationes, ut opera ex arte elaborata à uitiosis & inconsultis operibus secernamus: Nec tamen id proprijs uiribus freti, sed Vitruuij autoritate suffulti assequi contendemus, elegantium recteque constructarum antiquitatum, quæ scilicet ad sapientissimi Architecti illius instituta atque præceptiones quamproximè accedunt, testimonio insuper concurrente, Columnarum autem secundi huiusce ordinis, quem Ionicum appellant, bases, stylobatasque subiectos, & arcuum incumbas, necnon epistylia insuper, zophoros, & coronices: cuncta quidem eiusmodi membra sequenti uolumine, mox Ionici ordinis examine incipiente, designata & T litera inscripta comperies. Haud secus etiam Ionicorum capitalorum genera, in eiusdem ordinis pertractatione M litera offendes notata.

Polæ, uetustissima quidem & mari proxima Dalmatiæ urbe, theatrum maxima ex parte adhuc superesse uidetur, ex eoq; artificis acumen nimirum atque subtilitatem perspicere licet; qui, montis desuper incumbentis opportunitate conspecta, ad nonnullas theatri gradationes comparandas eo eleganter admodum usus fuit: Orchestram autem, Scenam, cæteraque membra ad Scenicorum ædificiorum compactiones requisita in plano ipso disposuit atque construxit. Et mehercle fragmenta reliquæue, quæ per ea loca passim inueniuntur, ædificium hoc & artis operumque subtilitate, & lapidum materiæq; decore egregium utique & præstantissimum olim fuisse testantur. Id autem summam in primis contemplantibus affert admirationem, quòd ingens ibidem columnarum & separatarum & coniunctarum multitudo aliquando extitisse perspicitur; angulique nonnulli quadratarum & semiteretum columnarum in unum congregientium, Corinthioque opere perfectarum ornatu insignes admodum ibi spectantur: Theatrique totius tam extimæ quàm intimæ partes Corinthio genere extractæ elaboratæque fuerunt. Præsens uerò ædificium nouo recentiorum pedum genere suos absoluit commensus, singulique pedes in partes æquales duodecim, quæ uncia uocantur, distribui solent: Et en tibi tertia pedis unius portio inferius designata. Sequens autem figura Theatri huiusce Ichnographiam & Orthographiam quoque in medium proponit, nosque eius modulos sigillatim nunc exponemus. Orchestræ ambitus semicirculi peripheria comprehensus, diametro pedum cxxx circiter definitur: Gradationum circinationes, binis quoque latioribus præcinctioibus connumeratis, in pedes septuaginta circiter porriguntur: Præcinctio T consonante inscripta, si cum Scenici pulpiti planicie conferatur, in decimaquarta gradatione consistit: Porticus Theatrum ambientis latitudo, quindenos complectitur pedes: Pilarum quidem ad hospitalia spectantium frontes, in pedes septenos ac semis; reliquarum uerò pilarum, quæ porticum circuncludunt, frontes, necnon columnarum etiam scapi in pedes quinos circiter extenduntur: Spatiaque singula binis pilis interiecta, pedibus denis propemodum terminantur. Et hæc de Theatri Ichnographia satis superque uidentur. Bina ampliora quadrata, O litera ea demonstrante, hospitalia designant; quæ ad T uestibulum commodos olim præstabant ingressus, unde ad medium postea gradationum laxamentum aditus suppetebat: quemadmodum in Theatri eiusdem Orthographia ex T literæ appositione perspicere licet, ubi pars inferior uestibuli portionem quandam demonstrat. Hospitalia pedes xlv fortiuntur: Scenæ pauimentum in pedes xxj dilatatur: Porticus latitudinem pedes xxvij metiuntur, eiusque longitudo ædificij totius magnitudinem æquat. Structura supra Theatri aream designata, Theatri eiusdem refert Orthographiam. Arcus quidem A, porticum repræsentat: Bini autem arcus, C, B, gradationibus substant: D coronix, arcuum incumbas, quas uulgus Impostas appellat, ostendit. Ad Theatrum hoc conscendendum nullus utique scalarum usus postulabatur; montis enim iugum ad ipsum ad eundem maximam profectò commoditatem atque opportunitatem præstabat: Quinetiam Theatri eiusdem ascensionem Scenæ ipsius latera exhibebant, ideoque graduum nonnullorum opera ad hoc efflagitari uidebatur.




## THEATRI ORTHOGRAPHIA.



Theatrum hoc, ut iam admonuimus, miro quidem varioque ornamentorum genere copiosum & locuples erat, uiuoque saxo constabat, Corinthioque opere egregie admodum magnificeque extructum atque elaboratum olim fuisse apparet: Quinimo, sicut dissipate ibidem testantur reliquie, Scena, columnis supra columnas erectis & comparatis,isque tum simplicibus tum duplicibus quoque tam in interioribus quam in exterioribus partibus dispositis & constitutis, ualuarumque insuper & fenestrarum apparatu magifico concurrente,


currente, prædiues & sumptuosa quammaximè existerat. Intimæ quidem ædificij partes, propterea quòd collapsæ iam sunt ac dissolutæ, propriorum modulorum exigua admodum nobis suppeditabunt cognitio nem: At partium exteriorum symmetriæ cum in propatulo magis esse conspiciantur, accuratius à nobis quoque in præsentia referentur. Primus ordo, quem rusticum appellant, simplex ille quidem, columnarumq; ornatu ac elegantiã penitus destitutus, è solo, uniuersa quoque, quæ per E literam significatur, coronice simul accepta, pedes sexdecim circiter in altum attollitur: Primorum stylobatarum altitudo quinquepedalis ferè existit: Columnæ, basibus capitulisq; simul adiunctis, ad pedum duorum & uiginti circiter altitudinem eriguntur: Pilarum columnarumq; unà coniunctarum acceptæ crassitudines, quinque pedum intervallo postmodum finiuntur: Columnarum uerò simplicium crassitudines, bipedales ac semis ferè esse uidentur: Arcuum apertiones decempedales, eorumq; altitudines pedum uiginti esse existimantur: Epi-








stylium, Zophorus, coronixque quinquepedalem, ni fallor, altitudinem obtinent: Stylobatæ secundi deinceps X consonante notati, quadrupedalem ac semis propemodum altitudinem assequuntur: Mox columnarum in pedes sexdecim circiter sublimes assurgunt: Epistylis demum, zophoro, coronicique quadrupedalis altitudo contingit. Singulorum uero membrorum symmetrias nunc minimè persequemur: at ex subiectis, quæ ueris exemplaribus quamsimillimæ utique existunt, deformationibus facillimè perspicientur. Scenarum autem, cæterarumque partium modulos nequaquam hic apposuimus: uerum in præsentis designatione, P consonante, Scenici porticus partem quandam solum ostendimus; itemque consonante F coronicem, zophorum, epistyliumque in summo Scenæ ipsius collocata demonstrauimus. Capitula, quæ per S literam innuuntur, in interioribus partibus semiteretibus quibusdam columnis, quæ è quadratis pilis nonnullis egrediebantur, eleganter admodum superinducta fuerunt: quibus in rebus summum nempe artificium, operumque complurium miram profectò uarietatem contemplari fas erat. Quinimo cuncta, quemadmodum iam antea admonuimus, tum marmoris candore ac elegantiâ, tum artis præstantia ac dignitate aded enitebant; ut cum Romanis antiquitatibus meritò possint conferri. Coronix, Zophorus, ac Epistylium, quæ A litera designantur, summas theatri partes concludebant. Coronix B litera inscripta, secundorum arcuum incumbas significat: Epistylium, Zophorus, Coronixque, C litera ea demonstrante, Coronicem primis arcibus desuper impendentem ostendunt: Coronix deinceps, D litera eam indicante, arcuum primorum repræsentat incumbas: Coronix demum E nota signata, supra rusticum stereobaten ædificium ipsum circumcurrit: Lineaque mox subiecta pedis, unde præsens ædificium suos habet commensus, tertiam partem ostendit. Nec te ullam, Candidissime Lector, ex eo capere uolumus admirationem, si modulos omnes certa constantique ratione sigillatim hic profecti fuisse nequaquam uidemur: Theatralis enim ædificij huiusce symmetriæ à uiro in Graphica potius facultate, quàm in metiendi ratiocinandiue arte instructo aut erudito obseruatæ animaduersæque fuerunt.

Ferentæ, uetustissima nimirum & Vetulonio proxima ciuitate, theatri cuiusdam collapsi dirutiq; quod nec operum multitudine nec ornamentorum uarietate admodum affluxisse uidetur, nonnulla supersunt uestigia; nec enim ullæ ibi spectantur reliquie, unde theatrum hoc superbum aut magnificentum olim extitisse conijci possit: quinimo & quadratæ pilæ in porticu, & scalæ insuper simplicissima quadam ratione constitutæ ibi quondam fuisse intelliguntur, etsi propter ruinarum oppressiones scalarum situs atque dispositiones uix utique cognoscantur. Scenæ quidem ratio à cæteris Scenarum generibus, quemadmodum ex subiecta habetur Ichnographia, longè dissidet atque dissentit: nec ab imo solo tanta pars excitata aut in altitudinem educta adhuc superesse conspicitur, ut de Scenæ Pulpitiue forma atque collocatione certum iudicium possit afferri. Aræ spatia antiquiorum pedum genere sumus olim dimensi: Primumque ab A Orchestra in hemicycli morem circumducta exordientes, eius diametrum pedes cxlj & semis obtinuisse dicemus: Integrum theatri ipsius corpus, cuneis uidelicet, uniuersaque porticu, angularique pila simul acceptis, in pedes xxxv extenditur atque percurrit: Angularis pila quinquepedalis quoquouersus existit: Porticus ipsius ingressio ad Scenam perducens, pedibus continetur octonis: Cuneus pedum duorum uiginti que spatium terminatur: Parietis Orchestram ambientis crassitudo tripedalis & semis esse uidetur: Hospitalia X duplici consonante inscripta, in pedum xl semisque longitudinem, & in pedum xxx latitudinem peruagantur: Porticus theatrum obstruentis septentis que latitudo undenis pedibus definitur, Pilæque tripedalem undique ac semis latitudinem obtinent: Singulorum arcuum hiatus, pedes nouem assequuntur: B Orchestra inanis spatiosa que latitudo, uicenis pedibus absoluitur: Locus Pulpito C designatus, pedum xl semisque longitudinem, pedumque xij latitudinem explet: Pulpiti que ostium pedibus ix comprehenditur: Spatium D consonante notatum, post Scenam constitutam collocatamque porticum significare profectò deberet; cum tamen nulla prorsus columnarum ibi uestigia appareant, parietem potius ripæ insidentem ibidem extitisse suspicamur: Spatii que huiusce latitudo, in pedes xix ac semis expanditur atque discurret. Iuxta Theatrum hoc ad læuam duorum ædificiorum nonnulla extant uestigia, uerum diminuta aded contractaque illa iacent, ut eorum fines atque terminationes discerni minimè possint. At ædificium F ab alijs proximis & conterminis ædibus circumseptum undique fuisse uidetur, eiusdemque F latitudinem pedes xxxj metiuntur: Cellarum ambarum maiores intercapedines decempedales & semis, minores autem octopedales semisque existunt: Peristylia quaternis columnis distincta, pedum xxvij quadrantis que longitudine, pedumque denum ac semis latitudine concluduntur. Alterum autem ædificium E litera inscriptum, uicenorum pedum circiter latitudinem est assecutum: Scaphæ seu Conchæ ad utrumque latus appositæ, in pedes septendecim dilatantur. Totius uero ædificij huiusce longitudo, ad pedes lxxv usque producitur: à theatro autem pedum cxlj, & ab altero ædificio pedum lxxvj ac semis interuallo abesse uidetur.




Figuram A, quam hic subscriptam intueris, theatri Scenam quandam olim extitisse arbitramur, eaq; inter Fundos Tarracinamque media collocatur. Verum Theatri obscura adeo exiguaque uestigia supersunt, ut nec ipsum, nec Scenae partem hanc dimetiri nobis libuerit; quam dirutam ac demolitam longe magis, quam ex praesenti schemate quisquam conijcere possit, offendimus: sed eius speciem raptim & prope crasse, ut aiunt, Minerua perscripsimus. Ostium B litera inscriptum, Spoletio reperitur, & Dorico opere iandiu elaboratum ac peruetustum esse conspicitur: Nec in eius modulis accipiendis nos quicquam laborauimus, sed confestim atque extemplo inuentionis formaeque typum arripuimus, Veruntamen eius latitudinem, quindenum pedum maiorum circiter esse iudicauimus. Ostium C denique inter Forum Flaminij & Romam medio loco constitutum, ab itineris rectitudine nonnihil desectit. Quauis autem eius structura, arcu epistylj Zophorijque perpetuitatem abscindente, licentior & liberior paululum uideatur, inuentionem attamen haud omnino improbamus; nec eius, praeter longitudinem latitudinemque, aliud quicquam sumus dimensi: quarum haec denis octonis pedibus, illaque pedibus uicenis, altero dimidioque insuper addito, continetur: facellumque aut monumentum aliquod hoc antiquitus forsitan extitisse putamus. Verum quicquid illud fuisse dicatur, speciem aspectui blandam admodum iucundamque esse constat.






Præfens hoc ædificium nonnulli Pompeianam porticum, alij uerò Marij domicilium quondam fuisse arbitrantur, at hominum uulgus Cacabarium nunc ipsum appellat: quod cum nullam prorsus habitatio-  
 num opportunitatem commoditatem u'e præftet, negotiantium tantummodo usibus olim in seruisse uide-  
 tur. Amplissimum autem & longè lateq; discurrens hoc ædificium quondam fuisse existimatur: & quanuis  
 dirutum ac deformatum uniuersum ferè nunc esse conspicitur, loca tamen quamplurima nunc quoq; ambi-  
 tu suo complectitur; structuræque huiusce notæ adhuc atque uestigia in ædium complurium humilioribus  
 terrenisque partibus offenduntur. Lineaque illa in primis uiam à Floræ ipsius campo ad Iudaicam plateam  
 nunc tendentem designat: Crux, Sanctæ Crucis honestissimæ quidem familiæ ædes ostendit: D,  
 Iudaicum forum demonstrat: M, Macelli ipsius locum figurat: C, bustuarium ad Seruatoris ædem con-  
 stitutum proponit: C media linea intercisum, nobilissimæ Cæsiorum familiæ anteriorem domum respe-  
 ctat. Ex quibus expositi nunc ædificij magnitudo amplitudoque mox iudicari & colligi potest. Tres illæ  
 delineatæ rotunditates tanquam scalæ quædam ad supra loca petenda conscendendaque homines perdu-  
 cebant: Duas autem uacuas inanesque rotunditates, quia nulla prorsus scalarum ibi apparent uestigia, ad  
 locij expulsionem atque ad mingentium necessitatem sub diuo constructas olim fuisse credendum uidetur.  
 Aedificij huiusce aream brachialibus iisdem modulis, quibus Marcelli theatrum superius adductum, Serlius  
 noster metatur atq; definit, tertiamque brachialis mensuræ quantitatem, ex minutis scilicet uiginti constan-  
 tem,

tem, inter obeliscos postmodum descriptam designatamque reperies. At nos brachialibus modulis, ut saepius iam admonuimus, in pedales conductis, singulisque pedibus in sexaginta minuta distinctis, adeo ut brachiale minutum unumquodque in duo minuta pedalia discindatur; & tertia brachialis mensuræ quantitate in duas pedis unius tertias permutata, negotium nostrum expeditissime transigemus. Nec enim, ut aliàs diximus, persuaderi nobis ulla potest ratione, brachiales eiusmodi modulos à recentioribus introductos ad cubitales citra maximum errorem redigi posse; cum, si ueram & exactam dimetiendi rationem persequi uoluerimus, brachiū cubitum integrum, & tertiam amplius eius partem comprehendat, adeo ut brachialis ad cubitalem mensuram haud aliter quàm quatuor ad tria, sesquiterciam obtineat proportionem. Pilæ igitur septempedali, columnæque quadrupedali crassitudine finiuntur: Intercolumnia cuncta, pedum undeuginti intervallo distinguuntur: Angulares pilæ ceteris tantò maiores existunt, quantum angulus ille ad uersuram constitutus efflagitare uidetur: quod optimo nimirum consilio summoque iudicio factum esse constat, hoc enim ad anguli educationem operum soliditate & elegancia muniendam atque condecorandam quamplurimum certè conducit. Hincque Architecti quam ratione angulorum, pilis & columnis simul agglutinatis, constructio sit facienda, ut anguli scilicet ad seriem columnarum cæterarum respondeant, addiscent; ita namque angulorum soliditati longè melius, quàm si ipsi ad medianarum pilarum seriem directi deductique fuissent, consultum atque prospectum apparet: Anguli etenim, qui ad intinas partes secedunt, si latus illud per diagonalem postmodum lineam aspexerimus, rotundiore columna angulum ipsum occupante, huic prospectus rationi atque collocationi imperfectiores certè uidebuntur. Merito igitur, quemadmodum iam antea admonuimus, anguli huiusce dispositionem, cum ad omnes Opticos situs, aspectuumque diuersitates egregiè inprimis ea respondere comperiat, quammaximè probandam & commendandam iudicamus.



De huiusce quidem ædificij area satis superque locuti iam sumus, modò ad partium in sublime sese attollentium formam atque dispositionem explicandam accedamus, etsi rei huiusce uestigia pauca admodum nunc superesse conspiciuntur: Attamen ex parte ea, que etsi recondita, incolumis tamen adhuc seruatur, exterioris cruste saltem notitiam assequemur. Ingeniosum enim mehercle, si operis soliditatem perpenderit, commentum hoc esse intelliges, primo ordine presertim, quem etsi epistylis, triglyphis, coroniceque destitutum, Doricum tamen appellare licebit, perspecto: Doricum enim genus, Doricamque formam subtiliter admodum elaboratam, & operum soliditate ac firmitate prestantem, compluribus insuper tum naturalium saxorum tum lateritij operis quoque artificiosis compactionibus atque connexionibus adiunctis, ut ex subiecta patet designatione, ibi adesse cognouimus. Pilarum quidem columnarumque simul crassitudines, & arcuum præterea latitudines iam declaratae expeditæque fuerunt, nunc ad altitudines explicandas dimetiendasque transeamus. Columnarum scapi, basibus capitulisque simul adiectis, in pedes xxxiiij eriguntur: Arcus deinde in pedes xxx attolluntur: Cunei ipsi arcui desuper incumbentis altitudo quadru-








pedalis existit: Compactiones illæ superiores epistylj rationem habentes, in quaternos ferè pedes assurgunt: totidemq; pedes fasciæ eis superpositæ obtigerunt. Verùm alter ordo deinceps, propterea quòd antè pilæ ue mediæ superioris pondus, subiecti arcus innititur apertioni, res quidè ab ædificandi ratione quammaximè abhorrens, uix profectò ferendus aut tolerandus uidetur. Atta men cùm & propter cuneum arcui mox imminentem, & propter anticuneum cuneo desuper impendèté, & propter fasciæ summas partes obtinentis uires atq; soliditatè, & propter laterum arcus ipsius robur ac firmitatem, primus ordo quamfirmissimus ac solidissimus existat: hinc pilas superiores structuræ huic subiectæ ualidissimèq; innitentes, arcum inferiorem haud tam grauitè depressisse contingit; uelut si arcus, epistyljo, zophoro, coronicèq; tantummodo superadditis, simpliciiori quadam ratione extructus fuisset. Quapropter his rationibus persuasi, & eiusmodi substructionis genere animaduerso, inuèctum hoc improbandum nequaquam existimamus. Superiores arcus in pedes octonos dilatantur, & in pedes duodeviginti conscendunt: Pilæ quadrupedali duarumq; tertiarum, Columnæ uerò bipedali tertieq; partis insuper crassitudine finiuntur: Eademq;ue, basium unà & capitulorum adiectione, in pedes xxij, quadrante superaddito, mox eriguntur, Corinthioq;ue opere constant: Epistylum, zophorus, coronicq; in pedes quinos ac semis assurgunt; etsi coronicis, zophori, epistylj; huiusce membra sigillatim dimetiri nequaquam potuimus: nec enim hæc distincta aut ex-

pressa reperiuntur, sed tantum utiq; parietis ibi eminere conspicitur, ut trium prædictorum altitudinem definire ualeamus.

Inter cæteras præclaras & illustres, quæ Romæ adhuc extant, antiquitates duæ marmoreæ historiarum sculpturarum arte ac elegantia insignes, quarum alteram Antonianam, Traianam alteram appellant, spectantur columnæ: uerùm nos Traianæ, utpote quæ altera integrior & magis incolumis nunc esse uidetur, explicatio nè afferre tentabimus. Columnam hanc à Traiano Imperatore aiunt olim institutam fuisse, quæ tota ex marmore constat, & ex plurib. partib. tam arctè coniunctis atq; compactis formatur, ut ex uno perpetuoq; lapide omnino conflata absolutaq; iudicetur. Vt autè modulos omnes sigillatim recenseamus, ab imo stereobate, quod Bassamentum uulgo appellat, exordiemur. Primæ igitur gradationis è terra mox surgentis altitudo tripalmaris existit: Basis ipsius Plinthus in palmum unum minutamq; octo excitatur: necnon tantundè sculptæ calatæq; basi assignatur: Purum simplexq; stereobatæ ipsius interuallum, palmorum duodecim minorumq; sex altitudinè petit: Insculpta eiusdem corona in palmum unum minutamq; decem ac semis erigitur: Fasciculus, quæ ex Vitruuij more Encarpum forsitan appellare possemus, in palmos duos minutamq; decem attollitur: Tota columnæ basis palmorum sex & minorum uigintiocto altitudine terminatur, & hac utiq; distribuitur ratione. Plinthus, quo loci Aquilæ simulachrum consistit (quaternæ etenim Aquilarum effigies ad quaternos angulos ibi sitæ appositæq; fuerunt) in palmorum trium minorumq; decem educitur altitudinè: Torus plintho superior in palmos tres minutamq; octo effertur: Regula minorum denum altitudine definitur: Columnæ scapus in palmos cxiij minutamq; nouem sublimis

sublimis assurgit: Atragalus sub ouiclo constitutus, regulis insuper simul acceptis, ad dena pertingit minuta: Oueclum, quod Vitruuius Echinum appellat, bipalmarem & minorum duorum adhuc altitudinem obtinet: Plinthus Echino superior, palmorum duorum & minorum undenum altitudinem æquat. Columnę huic stylobata rotundiori forma insignitus desuper incumbit imminetq̄; ad quem cochlidis scalę exitus tandem pertingit, eundemq̄; pedibus quam commodissimè circuncirca possumus peragrarè: planicies nanq̄; in palmos duos semiq̄; extenditur ac dilatatur. Stylobatę quidem huiusce altitudo, ad palmos undenos omnino conscendit: uerum infimę basi palmi duo, superioriq̄; coronę palmus unus, summęq̄; demum testudini palmi tres ac semi pro rata altitudinis parte obtigerunt. Stylobatę uerò eiusdem crassitudo, duodenum palmorum denumq̄; minorum existit. Columnę summa deinde crassitudo palmis xiiij, imaque palmis xvj terminatur. Circinatio quidem A, superiorem crassitudinem; circinatio uerò B, crassitudinem inferiorem des-





gnat. Cochleæ tripalmaris:medij; orbiculi,quem masculum appellant,quadripalmaris latitudo esse uide-  
tur. Stereobata de mum, palmorum xxiiij minorumque sex latitudinem occupat: quo nempe in loco  
binæ uictoriæ scriptum titulum quendam gestantes cælatæ conspiciuntur: ipsæ trophæa complura scal-  
pturis perquam elegantibus expressa infra succedunt. Titulo autem hæ literarum notæ impressæ inuestig-  
taerunt.

S P Q R

IMP. CAESARI DIVI NERVAE. F. NERVAE  
TRAIANO AVG. GERMANIC. DACICO  
PONT. MAX. TRIB. POT. XVII. COS. VI.  
PP. AD DECLARANDVM QVANTAE AL-  
TITVDINIS MONS ET LOCVS SIT  
EGESTVS.


Columna hæc, ut iam diximus, egregijs historiarum signis atque sculpturis tota est deformata; & torti-  
li atque clauiculata spirataq; , quasi in flexuosæ uitis morem composita, constat structura; Doricaque ra-  
tione striata conspicitur. In ipsius autem sulcis seu canaliculis signa tam aptè reponuntur, ut eorum promi-  
nentia columnæ formâ ne minimū quidē impediunt immutent ue. Inter signa uerò fenestræ nonnullæ inter-  
positæ cochlidem interiorem lumine complent, nec tamen historiarum, quæ sibi deinceps ordine succeden-  
tes xliij numero existunt, seriem quicquam exturbant. Columnæ autem uniuersæ formam sequenti pa-  
gina postmodum designatam reperies, cuiusque membrorum separatim hanc antea delineationem descri-  
ptionemque subiecimus. Membra quidem hæc omnia è palmo Romanorum antiquo, qui ex duodenum  
digitorum constat interuallis, suos capiunt commensus: Digitique singuli in quatuor diuiduntur minuta,  
adco ut palmum unumquenq; minuta quadraginta octo metiantur.

Satis copiosè, ni fallor, Traianæ columnæ, membrorumque singulorum commensus in superioribus iam  
explicuisse uidetur: modò totius integræque columnæ formam ueræ persimilem atque dispositionem af-  
ferre tentabimus, nec in eius modulis iterum recensendis temporis aut laboris quicquam infumemus,  
uerùm typo subsequente T litera inscripto Traianæ columnæ imaginem duntaxat referemus. Obeli-  
scorum autem originem, quibus ue rationibus Romam translati olim fuisse dicuntur, Plinio argumentum  
hoc uberrimè pertractante, nos in præsentia commemorare exponere ue minimè oportet: at ipsorum pro-  
sequi symmetrias, nonnullorumque, quos Romæ conspeximus, dimensi que sumus, collocationes formasque;  
conscribere haud omittemus. Primus quidem Obeliscus O litera designatus, extra portam Capenam  
in Circo offenditur, Aegyptijsque monstris insculptus ferè totus conspicitur; imamque crassitudinem de-  
cem palmorum ac semis obtinet, eius altitudine palmorum octoginta existente: ipseque è palmo Romano-  
rum antiquo, cuius magnitudinem in superiori Panthei explicatione definiuimus, proprios modulos accepit  
se uidetur. Cæteri deinceps Obelisci recentiori quodam brachialium modulorum genere, quorum singu-  
li sexaginta constant minutis, apud Serlium suos expediunt absoluuntque commensus: Tertiam autem  
brachialis mensuræ quantitatem media linea inter Obeliscos constituta, & in partes uiginti distributa pro-  
ponit. At nos, ne barbarè, sed latinè candideque loquamur, brachiales eiusmodi modulos in pedales du-  
pla auctos proportionem permutabimus: & pedi unicuique sexaginta itè assignantes minuta, minuto unicuique  
brachiali duo pedalia minuta æquè pollere dicemus, lineamque inter Obeliscos extensam duas pedis unius  
tertias præferre contendemus. Obeliscus igitur P consonantis signo figuratus, in Vaticano iuxta Petri  
Basilicam assistit, Aegyptioque lapide constat: & in uertice Caij Cæsaris cineres in urna compositè conditeq;  
nunc quoque extare creduntur. Ima quidem Obelisci huiusce crassitudo pedibus ix minutisque xxiiij,  
altitudo uerò pedibus lxxxv, summaque demum crassitudo pedibus vj & minutis octo comprehen-  
ditur ac definitur: ad imamque ipsius radicem hæ literæ in epitaphij ordinem digestæ ac distributæ le-  
guntur.

DIVO CAESARI DIVI IULII. F. AVGVSTO. TI.  
CAESARI DIVI AVGVSTI. F. AVGVSTO SACRVM.

Obeliscus Q consonante distinctus, ad Rocchi fanum media uia atque in terna segmenta diuisus  
reperitur: alterque ei persimilis haud longè propè Augustam terra undequaque obrutus & contactus esse  
putatur. Ima eius crassitudo pedibus quaternis minutisque xlvij definitur, altitudo in pedes  
lij minutaque xlvij ascendit, summaque demum crassitudo tripedali decemque minorum  
spatio


spatio continetur. Stereobata, quod Bassamentum uulgo nuncupatur, integer perpetuusque absq; ulla partium conglutinatione existerat. Postremus Obeliscus R consonantis inscriptione donatus, in Antonini Caracallę circo statuitur; &, quemadmodum ex eius designatione perspicitur, fractus ac diminutus compluribus locis esse uidetur: Ima quidem crassitudo quinario pedum denarioq; minorum numero comprehenditur, altitudo uerò in pedes lvi minutaq; xxxij contendit, crassitudoq; summa tandem tripedali minorumque senum magnitudine terminatur. Cunctiq; stylobatę hic à nobis descripti, cum ueris exemplaribus maximam utique similitudinem gerunt. Quauis autem præter hos alij complures nobis incogniti forsitan Romę habeantur Obelisci: eorum tamen duntaxat, quorum contemplandorum dignoscendorumq; facultas nobis exhibita fuit, formas in præsentia modulosque tradidimus.






Romanum illud Amphitheatrum, quod vulgus Colosseum appellat, à Vespasiano Imperatore in media urbe, quemadmodum Augustus antea designarat, fuit constitutum: nosque ipsius Ichnographiam, aræ uidelicet descriptionem, ut mirum ædificij huiusce artificij probè intelligatur, pro quatuor ordinum, qui ibidem spectantur, uarietatibus in quatuor membra item distinximus. Area hæc palmo Romanorum antiquo in superiori Panthei ipsius pertractatione à nobis iam exposito & declarato suos absoluit expletque commensus. Verumenimvero à parte exteriori primùm exordientes, pilarum frontes decempalmares, sex insuper minorum adiectione, esse dicemus: Columnarum crassitudines quadripalmares existunt: Pilæq; utrinque ad latera positæ, palmos tres minutaq; duo sibi uendicant: Medij inter duas quasq; pilas hiatus media uel laxamenta, palmos uiginti requirunt: Quaterni autè primarij aditus & illustriores accessus, in palmorum duorum supra uiginti latitudinè expãduntur: Lateraria pilarum crassitudo duodenum palmorum esse conspicitur: Primaq; porticus duorum atq; uiginti, Altera uerò, quæ interior existit, uiginti palmorum tantummodo latitudinem occupat, ambæq; fornicatis inflexionib. constant. Reliquarum partium deinceps ad centrũ contè dentiũ modulos, propter cõfusionè euitandã,

hic minimè persequemur: ex partibus nanque exterioribus modò dimensis interiorum quoque symmetriæ, quæ, proportionis spectata ratione, sibi inuicem semper succedunt, descriptionum præsertim auxilio concurrente, facillimè cognoscuntur. Secundæ aræ postmodum exterior species primæ ordinem atq; dispositionem imitatur, eo tantum discrimine ambas seingente, quòd hic propter minorem laterum pilarum ipsarum crassitudinè porticus maiorem quàm ibi, palmi unius adiectione, latitudinem assequuntur; itemq; interiores porticus hic haud fornicatæ quidem, sicut ibi, uerum concameratæ potius existunt: in intimaq; porticu exiguæ nonnullæ testudines X consonante descriptæ aperiuntur, in quibus medijs quadrata spiramenta ad loca illa fortasse, utpote obscuriora, luce perfundenda conuestiendaq; excogitata, excauataq; fuerunt. Tertiæ aræ deinde exterior species, secundæ iamiam declaratæ formam & exemplum sectatur: uerum porticus tantò utique latiore, quantò tenuiorem pilæ crassitudinem habent, intercapedinè sortiuntur. Exterior autem porticus cõcamerata, at interior fornicata potius esse uidetur. Ostiaq; deinceps V littera inscripta ad gradationes primos aditus primos uel ingressus aperiencia, spectantium cætus ad certa destinataq; loca pro singulorum dignitate mox perducebant. Quartæ aræ postmodum exterior facies à superiorum dispositione nequaquã dissentit, præterquam quòd in ea nec arcuum ullè circumductiones adesse, columnæq; planæ in antarum morè deformatæ, medijsq; spatijs fenestras, quemadmodum in Orthographia clarius postmodum ostendetur, interpositæ olim fuisse conspiciuntur.




Aræ huiusce quartæ & nouissimæ constitutio suspensos quammaximè & ambiguos profectò nos reddere solet, utrum totum spatium inter porticus utriusque latitudinem interiectum contactum aliquando, an cælo undique expositum acrique peruium semper extiterit: Aded enim consumpta hæc pars ac dissoluta esse uidetur, ut introrsus nullæ pilarum notæ aut uestigia profus appareant; etsi è partibus exterioribus, quæ parieti incumbunt, camerarum nonnullarum tum maiorum tum minorum, quemadmodum ex præsentî perspicitur Ichnographia, indicia quædam colliguntur. Scalæ autem, quæ parieti innituntur, quantum conijcere fas est, ad exteriores luminum apertiones conclauius quibusdam subiectis imminentes, expeditos idoneosque præstabant ascensus: quod sequenti pagina ex scalarum Orthographia clarius adhuc elucebit. Ambitus ille uniuersus duarum sagittarum extensionibus definitus, gradationibus ad assidentium commoditatem extructis compositisque refertus ac stipatus undique erat: quæ aded latè existebant, ut, singulis otiosè laxèque sedentibus, per easdem gradationes absque aliorum impedimento aliquis deambulare perquam comodè expediteque potuisset. His gradibus scalæ passim interpositæ, ad certas destinatasque sedes homines transmittabant, quemadmodû G & H figurationes affatim demonstrât. Quinetiam iisdem gradibus canaliculi nonnulli è superioribus partibus ad inferiores, propter aquarum & lotij defluxiones, patefacti ad aperiendos fuerunt: Humores enim, cum ad ima loca faciles decliuesque cursus haberent, nemini molesti aut infensi profectò existebant. Rei autem huiusce exemplum, in schemate H perscripsimus. Gradus hi ad seismonium comparati, ne pluuiarum aquarum collectiones eis insiderent, digitalem habebant declinationem, & quæ optimè connexi compactique, sicut ex I perspicitur designatione, inter sese uidebantur.

ambulare perquam comodè expediteque potuisset. His gradibus scalæ passim interpositæ, ad certas destinatasque sedes homines transmittabant, quemadmodû G & H figurationes affatim demonstrât. Quinetiam iisdem gradibus canaliculi nonnulli è superioribus partibus ad inferiores, propter aquarum & lotij defluxiones, patefacti ad aperiendos fuerunt: Humores enim, cum ad ima loca faciles decliuesque cursus haberent, nemini molesti aut infensi profectò existebant. Rei autem huiusce exemplum, in schemate H perscripsimus. Gradus hi ad seismonium comparati, ne pluuiarum aquarum collectiones eis insiderent, digitalem habebant declinationem, & quæ optimè connexi compactique, sicut ex I perspicitur designatione, inter sese uidebantur.



hoc inter binas sagittas medium, gradus spectantium commoditati ac seismonio olim comparatos designat.  
Lumi: Lumina.  
Gradi così incaltrati: Gradus ita compacti atque coagmentati.  
Scale fra li Gradi: Scale gradibus interiectæ.

haberent, nemini molesti aut infensi profectò existebant. Rei autem huiusce exemplum, in schemate H perscripsimus. Gradus hi ad seismonium comparati, ne pluuiarum aquarum collectiones eis insiderent, digitalem habebant declinationem, & quæ optimè connexi compactique, sicut ex I perspicitur designatione, inter sese uidebantur.






Romani Amphitheatri, quod Colosseum uulgo nunc appellatur, arcam, propter quadruplicem ædificij huiusce structuram, quadrifariam quoque; diuisissimum atque descriptissimum: modò ad eius Orthographiam explicandam exponendamque iam accedemus, hincque; interioris dispositionis maxima pars quoque innotescet. Sequens igitur figura totius ædificij partes ab imo solo in sublime excitatas ea utique ratione proponit, ac si media eius forma dissecta diuisaque; fuisset. Cunctaque; primùm gradationes ad sedes spectatoribus distribuendas instruuntur, secretarum quinetiam ambulationum situs atque collocationes subiunguntur, scalarumque insuper ascendendarum complures uia multiplicesque rationes designantur: quæ scalæ nimirum cum & expeditos præstarent ascensus, & commodissimos quoque; descensus exhiberent, ad id potissimum conducere uidebantur; ut Amphitheatrum ingenti hominum multitudine & compleri, & exinaniri absque; ullo profus occurfantium impedimento celerrimè posset. Exterior quinetiam ædificij structura, quaque; ratione parietum crassitudines ad interiora sese contrahentes paulatim diminuiebantur, hinc utique cognoscitur: cuiusmodi quidem extenuationes atque contractus maiorem ædificio præstant firmitatem atque stabilitatem. Idque; ita esse, eo confirmatur argumento, quod in exteriori facie partes nonnullæ ab imo ad summum hodiernis quoque temporibus integræ & incolumes superesse conspiciuntur, quanuis partes ad interiora spectantes collapsæ iam fuerint atque conciderint. Hoc autem, ut iam admonuimus, idcirco euenisse uidetur, quoniam ædificium opere subtiliori & leuiori ad centrum pedetentim cogitur atque contrahitur, & in pyramidis formam denique terminatur. At hanc ædificandi consuetudinem Venetijs neuiquam obseruari uidemus, quin oppositum potius ordinem in fabricando ibi homines sectari passim animaduertimus: parietes etenim exteriores ad perpendicularum quidem diriguntur, at interiores deinde magis utique diminuuntur: Idque propterea ab ijs effici opinor, ut superis partibus maiora amplioraque spatia contingant. Verùm quod ad huiusmodi ædificiorum conseruationes quamplurimum opitulatur, id esse reor, quod nec arcus nec testudines ullæ, quæ parietes propellant, ibi extruuntur: quinimo maxima tignorum, quæ parietibus inferuntur, multitudo eos cum materia quam arctissimè copulat atque coniungit: ipsaque; ædes tandiu conseruantur atque perdurant, quandiu materia à labe carieque incolumem sese tuetur, quæ statis deinde temporibus reficitur ac renouatur. Haud tamen Veneta hæc ædificiorum genera, uelut antiqua, eaque; præfertim, quæ Romani Amphitheatri rationem modumque imitantur, diuturnitati consulunt unquam aut immortalitati. Verùm inceptum iam argumentum persequamur. Quoniam igitur, ut diximus, Amphitheatri intimæ partes dirutæ sunt adeò ac deformatæ, ut spatij interioris, quod à linea in extremitatibus sagittis instructa medium secatur atque diuiditur, nulla uestigia profus appareant; nec insuper, an suprema illa pars, à graduum uidelicet terminationibus usque ad exteriorem circumferentiam pertingens, duplici porticu tota erat connecta, an unica tantummodo simplici que porticu ibi existente, reliqua pars sub dio erat exposita & collocata, ulla nunc extant indicia: idcirco duplicem eius designationem subiecimus, alteram quidem ex propria ipsius Orthographia, quæ reliquo operi simul annectitur, deductam; alteram uerò seorsum à reliquo opere gradibus desuper incumbentem: hæcque cum illa, quæ ad opus traducta conspicitur, duorum litorum utrobique ad stylobatas constitutorum responsu id indicante, optimè nimirum conuenire uidetur. Verùm si ex camerarum, quæ cum interiori pariete coniunctæ adhuc copulatæque supersunt, quemadmodum ex arce quartæ superiori patet descriptione, uestigijs iudicium aliquod est afferendum; singularem porticum ibi extitisse, reliqua parte ad plebem excipiendam Cælo exposita ac peruia remanente, censemus: & hac utique ratione longè affluentiore hominum multitudinem, quam si porticus geminata duplicatæque fuissent, collocari ibi potuisse concludimus. Verumenimvero ad gradationum infima exordia redeundo, ne quippiam pro uiribus nostris intactum inexploratum uel relinquamus, propter ædificij casus lapidumque; fragmenta mediam plateam ruinis adeò oppletam esse pronuntiamus, ut primorum graduum è planicie sese attollentium forma ac dispositio nullo pacto dignosci secerni uel queat. At, quemadmodum ab ijs, qui rem curiosius persecuti medullitus eam cognoscere uoluerunt, relatum nobis iam fuit, prima imaque gradatio è planicie tantum affurgebat, ut fera seuaque animantia in spectantium confessum irruere minimè possent: Ex podium quoddam, quod pluteum quoque; appellare consueuimus, ibidem aderat, itioque satis lata & ad ipsum circumobeundum percommoda adiungebatur, C litera hæc omnia affatim demonstrante. Bini arcus, maior scilicet minorque, supernam apertionem illam gestantes, tanquam spiramenta nonnulla ad lucem effundendam aptissima esse uidebantur. Loca demum eleuatiore ac subdualia gradationes ipsas exuperantia, quæ A litera inscripta conspiciuntur, apertiones quasdam, quæ à scalis exterius appositis ad intimas Theatri sedes homines perducebant, referunt ostenduntque;.



ROMANI AMPHITHEATRI, QVOD  
Colosseum appellatur, Orthographia.




Membrum hoc Amphitheatri cum ea, quæ suprâ è regio  
ne opponitur, designatione continuatur atque cohæret, si-  
cut ex mutuo duorum asteriscorum responso clarè perci-  
pitur.

Exterior



Exterior Romani Amphitheatri forma speciesq; quadruplici ordine constat, quorum primus è terra mox sese attollens Doricum genus imitatur: quanuis enim zophorus ipse triglyphis, metopis, guttis, epistylisq; sit destitutus, nec sub corona fulminea guttæ ue ullæ conspiciantur; Doricum tamen opus hoc nuncupare licebit. Huic Ionicus ordo deinde succedit: etsi enim nec striatæ nec canaliculis ullis distinctæ hic adsint columnæ, Ionici tamen appellationem merito ei tribuemus. Hunc Corinthius ordo deinceps consequitur, solido quidem opere absque ullo sculpturarum constans ornatu, capitulis tantum exceptis: quæ tamen cum ad immodicam altitudinem efferantur, nec uenustè nec eleganter admodum perfecta elaborata ue fuerunt. Quartus postremusq; ordo Compositi appellationem fortitur, etsi eundem Latinum nonnulli tanquam proprium Romanorum inuentum, alijque Italicum nuncuparunt. At nos Compositi nomen propter mutulos saltem, qui in zophoro hic collocantur, uerè proprieq; ei conuenire arbitramur: nec enim aliorum ordinum quempiam præter hunc zophoro mutulos apposuisse uidemus. Nonnulli rationem, qua Romani ad præfens ædificium quadruplici ordine distinguendum adducti fuerunt; nec illud unico genere potius perpetuoq; ritu, quemadmodum cætera, tum Veronæ scilicet è rustico opere, tum etiam Polæ ex opere Corinthio, theatra, construxerunt, sciscitantur. His id utique respondendum existimamus, quòd Romani cum in totum orbem terrarum, easque nationes præfertim, unde tres ædificandi rationes emanarunt, imperij sui terminos protulissent; hæc quoque tria ædificandi genera sibi gradatim succedentia consociare, Compositumq; ordinem ab eis postremo excogitatum in summo quasi cæterorum Principem statuere & collocare uoluerunt: id nempe significantes, quòd uictoribus, cum uniuersam Græciam subactam in triumphum iam abduxissent, de Græcorum quoque operibus ex propria sententia instruendis componendisq; triumphare licebat. Verùm his omisis ad Amphitheatri partem exteriorem dimetiendam modò accedamus. Aedificium hoc è planicie in duorum graduum altitudinem assurgebat, secunda quidem gradatione palmorum quinque, prima uerò palmorum duorum latitudinem obtinente: eius autem altitudo minor quam palmaris utique existebat: Columnæ ipsius basis ad duorum palmorum altitudinem uix certè pertingit, Doricæq; basis formam nequaquam imitatur: Columna palmorum quatuor minorumque duorum crassicie intumescit; palmorumq; triginta octo insuper & minorum quinque, basi capituloq; simul adiunctis, altitudine definitur: Capitulum palmorum duorum circiter altitudinem petit: Parastatæ ex utroque columnæ ipsius latere constitutæ tripalmares, trium minorum insuper additione, esse uidentur: Arcus palmorum uiginti latitudine, & palmorum trigintatium altitudine continetur: Ab imo arcu ad imum usque epistylum palmi quinque minutaq; sex intercedunt: Epistylum in palmorum duorum minorumq; octo, zophorus in palmorum trium minorumq; duorum, itemq; Coronix in tripalmarem duorumque minorum altitudinem educuntur. Stylobata deinde ad alterum ordinem, Ionicum scilicet spectans, in palmos octo minutaque undecim sublimis ascendit: Columna basi capituloq; simul consociata, in palmorum xxxv erigitur altitudinem, & palmorum iij crassitudine inflatur: Parastatæ & arcus, ordinis inferioris iam iam expositi modulos imitantur, eo tantum excepto, quòd arcus huiusce altitudo in palmos xxx duntaxat effertur: Ab imo arcu ad imum usque epistylum palmi v minutaque vj intercurrent: Epistylum in palmorum trium, zophorus in palmorum duorum minorumq; ix, Coronix in palmorum trium minorumque ix altitudinem scandit. De tertio ordine, Corinthio scilicet, tum propter eius simplicitatem, tum quia Ionici ordinis nuperrimè expositi modulos ad unguem ferè sectatur, nihil est quòd in præsentia loquamur. Quapropter quarti ordinis postremo, quem Compositum appellamus, declarationem aggredientes, stylobatam in palmos xij mox attolli dicemus: Regula ipsi quamprimùm succedens, palmos iij obtinet: Columna, basi capituloque simul adiectis, palmorum xxxvii minorumque vj altitudinem æquat: Epistylis, zophori, coronicisque altitudo decempalmaris ferè esse conspicitur; & in tres partes scinditur ac distribuitur: una coronici, zophoro, cui mutuli adiunguntur, altera, postremaq; epistylis tradita ac assignata. Verùm qua de causa Architectus ille mutulos zophoro apponendos esse iudicauit, nouum quidem inuentum, nec antea ab ullo fortasse excogitatum; quarto uolumine capite viij Compositi ordinis pertractationem auspicantes, sententiam nostram proferemus. Quarti ordinis huiusce columnæ planæ utique & quadratæ, quæ Ancæ proprio uocabulo nuncupantur, existunt, parumque eminentibus constant expressionibus. Reliquæ autem omnes, quotquot extant, columnæ teretes esse uidentur; duasque tertias integræ perfectæq; rotunditatis, extra pilas ipsas egrediuntur. Mutuli fenestris desuper incumbentes nonnullos sustinebant rudentes, qui per coronicum foramina quædam traiectioni demittebantur; ijsque uela super uniuersum Amphitheatrum ad Solis æstus declinandos, & repentinas tempestates cohibendas extensa religari solebant. Cur autem columnæ ad unam eandemque crassitudinem omnes formatæ fuerunt, neque superiores inferioribus, quemadmodum ratio efflagitare uidetur, graciliores existunt, Vitruuio præsertim secundum ordinem à primo quartæ partis imminutione contrahente: quarto uolumine de columnis agentes, sententiam nostram proferemus. Verùm ut præclari huiusce ædificij membra singula rectius intelligantur, ante Amphitheatri Orthographiam ea proprijs characteribus distincta, & cum ueris maximam profectò similitudinem gerentia hic designauimus.




Is polo, uetusta quidem ciuitate Romanæ ditioni subiecta, ostium antiquum utiq; , & Dorico opere, quamuis nec triglyphi, nec metopæ, nec guttæ epistylio insculptæ ibi adsint, elaboratum conspicitur: ueruntamen columnis, basibus, capitulisq; diligenter consideratis, ædificij insuper uetustate concurrente, antiquum opus id esse arbitramur. Licet enim turres in lateribus constitutz, superis earum partibus recentiores imitentur structuras: reliquæ tamen partes ipsarum, uerticibus tantum exceptis, antiquitatem quandam potius redolere uidentur. Quoquomodo tamen res esse dicatur, ostium opus antiquum sanè esse constat: cuius Ichnographiam primùm subiecimus, moxq; eiusdem succedit Orthographia. Aream hanc ueteri Romanorum pede, cuius tertiam partem hic designauimus, sumus olim dimensî. Inter ambas turres pedes lxx intercedunt: Medianum ostium pedum xx latitudinem occupat: Minoraq; ostia ex utroq; latere constituta, in denos pedes dilatantur: Pilarum, quæ inter bina ostia mediæ collocantur, frontes pedibus denis terminantur.


Altitudinum



Altitudinum modulos nunquam hæcenus explorauimus, sed inuentionis speciem admirati eam duntaxat perscripsimus. Quin turres, tum propter murorum firmitatem tum etiam propter interiores cochlides summo quidem artificio constructas uetustissimasque, antiquissimæ, prout iam admonuimus, existant, minimè dubitamus; earumque diametri in pedes xxx producuntur: Interior quinetiam cochlea ibidem septempedali latitudine extat. Iuxta turrium partes interiores ciuitatem spectantes binæ ad latera cellæ consistunt, pedum xxv. longitudinem, pedumque xij latitudinem obtinentes; quæ cæteris ædificij partibus adhærent, iustaque parietum crassitudine circumseptæ fuerunt: earumque alteram uulgus Orlandi carcerem passim appellat.




Coronices, Stereobatæ, & Bases hic designatæ antiquitatum fragmenta nonnulla à nobis olim inspecta referunt ac imitantur. Prima hæc designatio, A litera eam demonstrante, columnæ partem quandam ostendit: Epistylum, zophorus, coronixque, summo quinetiam stereobate adiuncto, ex perpetuo continuoq; lapide constabant; & ad pedum undenum antiquiorum altitudinem, singulis partibus iustissima ratione distributis, conscendebant. Fragmentum hoc extra urbem ad flumen Anienem, quem nunc vulgus Tuberonem appellat, ponte Nomentano fuit olim repertum. Altera deinde coronix B signo inscripta, in fundamentis Basilicæ Petri constituendis est adinuenta, & Bramantis iussu ibidem reposita fuit ac restituta. Membra cuncta ex uno perpetuoque lapide constabant, ipsaq; ad sex pedum antiquiorum altitudinem pertingebat: Subiectumq; à nobis exemplar ueros modulos propriasque symmetrias ad unguem profectò imitatur. Basis C ad Diui Marci ædem egregiè quidem elaborata, Corinthioq; opere efficta conspicitur; nec in insignem extollitur altitudinem, uerùm sesquipedalis tantùm existit: præfensque designatio ad ueram eius formam quamproximè accedit. D stereobata in platea, quam Capranicam uocant, fuit adinuentus; & quanuis maximo artificio insculptus, dissolutus tamen dissipatusq; fuit: Basis ipsa, si plinthum detraxeris,





bipalmarem ferme altitudinem obtinet, cunctaque eius membra miram utique retinent proportionem ac symmetriam. Postremò basis E, quam ruinis compluribus inuolutam atque sepultam inuenerunt, haud excellenti quidem magnitudine prædita uidebatur: nosque, astragali toro superiori desuper incumbentis ratione animaduersa, Compositam eam extitisse iudicamus. Quauis autem membrorum cunctorum formas ac symmetrias sigillatim hic minimè persequamur, è maioribus tamen in minora spatia ad proportionis regulam huc à nobis translata traductaque illa fuisse firmissimè asseueramus.

Pola Istriæ ciuitate, Amphitheatrum hoc in medio oppido constituitur, quod incolume adhuc ac integrum conseruatur. Nihil autem ædificij huiusce præter ambitum seu alam exterioram quatuor illis adminiculis, quorum singula pilarum trium serie instruuntur, suffultam apparet. Ipsaque adminicula, quæ contrafortia nostrates appellant, propter parietis alam tanquam laxiorem & infirmam fortasse stabiliendam & constringendam quasi munimenta quædam extrinsecus adhibita fuisse arbitramur: ea tamen aspectui perbellè uenusteque admodum respondere planè constat. Quapropter ædificij parietes tantum, quos A litera inscripsimus, extructi olim fuerunt: Verùm ex foraminibus, quæ in interioribus partibus conspiciuntur, priscos, siquando ludi celebrandi spectaculaque peragenda statuebantur, ligneas tunc gradationes comparare solitos esse coniectamus. At nos propter figuram perficiendam exornandamque partem interioram quoque,




prout eam rectè construi potuisse iudicamus, exteriori iam astructæ copulauimus. Amphitheatrum hoc pedis recentioris cuiusdam genere in duodecim uncias distributo, cuius tertiam partem sub præfenti designauimus Ichnographia, fuit olim à nobis definitum. Arcus quidem minoris existimationis, pedum ix & sextantis latitudinem assequuntur: At quaterni arcus insigniores atque primarij, pedum xv & trientalem insuper latitudinem obtinent: Pilarum frontes deinde quadrupedales & sextantes statuuntur: Columnæ bipedales & sextantes esse uidentur: Parastatæ utrinque constitutæ, pedales existunt: Pilæq; ad latera appositæ, quinquepedales & quadrantales esse dicuntur: Inter pilas demum, quæ pro munimento & adminiculo exterius adhibentur, & pilarum in gyrum sese conuoluentium aciem, tripedale & trientale spatium insuper intercedit.

Polensis Amphitheatri Ichnographiam iam expediuimus, modò ad eiusdem Orthographiam explorandam explicandamque accedemus. Quapropter ab infimis partibus exordientes, stereobatæ primùm nullos commensuum terminos assignabimus aut statuemus; nec enim montis accliuitate impediente, propriam planiciem æqualitatem uel ille obtinet: quinimo propter montis eiusdem cliuum haud stylobatæ tantùm, uerùm totus insuper primorum arcuum ordo, coronixque eorum superior deperduntur, & montis ipsius iugum ad planicie secundi ordinis altitudinem coarctatur. Infimi igitur stereobatæ altitudine prætermittenda minimeque dimensa, & ad partes superiores oratione traducta, stylobatæ columnæ fulciendæ suppositi altitudinem bipedalem & semis esse dicemus: Columna, capitulo simul adiecto, pedum xvj circiter altitudinem petit: Arcus in pedes xvij & semis attollitur: Epistylum in pedem unum ac dodrantem assurgit: Zophori altitudo dodrantalis existit: Coronix in pedem unum & dextrantem ascendit: Plutei supra coronicem mox collocati altitudo, coronicis eiusdem altitudinem æquat: Columnaque superior, si caputulum simul addideris, in pedes xxj & dodrantem erigitur: Arcus pedum xvij unciaque unius, & arcuata conuersio pedis unius & dodrantis altitudine terminatur: Epistylum, zophorus, coronixque, membrorum eorundem inferiorum sibi similibus & æqualibus omnino modò dimensas altitudines consequuntur. Stereobatæ, quem X consonante inscriptum intueris, altitudo quadrupedalis & trientalis insuper esse uidetur: à quo ad coronicis usque ipsius initium pedes xix intercedunt: Coronixque deinde pedalem ac semis altitudinem habet. Et hæc de Amphitheatri propositi Orthographia dicta sufficiunt, quam sequenti pagina P consonante designatam statim offendet. Verùm quoniam, ut in areæ descriptione iam habitum fuit, præfens Amphitheatrum quatuor circum circa lateribus triplicium pilarum aciebus, tanquam uacui & omni introrsus auxilio destituti parietis armamentis & munitionibus quibusdam firmatur: earum situm atque collocationem intuentium oculis hic subiiciendam curauimus. Quapropter figura Q, muniminum & anteridum eiusmodi latera; H, pilarum speciem; & I demum, parietis Amphitheatri Orthographiam designat: Et inter pilam H & I parietem tripedale ac trientale spatium insuper intercurrit, ad eò ut uiri duo iuxta pariterque deambulantes commodissimè illac transire possent. Prædictorum autem anteridum atque adminiculorum, quæ Contrafortia nostrates appellant, singuli ordines proprium utique solum ad spectantium aliquot comitatum excipiendum quammaximè opportunum habere comperiuntur: uerùm nec scalæ ibi adsunt, nec scalarum ulla prorsus extant uestigia. At solum huiuscemodi usus, quemadmodum lapides ante fenestrarum nonnullarum apertiones constituti atque peterebrati testantur, ingenuis tantùm & nobilioribus uiris peruius existebat. Ut autem ædificij huiusce coronices facilius dilucidiusque intelligantur, eas iuxta anteriden forma aliquantulum ampliore, ut membra scilicet tum aptius dimetiri tum commodius quoque intelligere homines ualeant, separatim designauimus: cum ueris etenim formis exempla hæc à nobis descripta perbellè quidem conuenire & concordare uidentur. Præfentes autem coronices, quemadmodum planè constat, à Romani Amphitheatri supra iam designatis coronicibus quamplurimum utique dissident. Nosque, si animi nostri sensum depromere licet, in coronicibus extruendis nunquam mehercle Romani Amphitheatri, sed Polensis potius exempla uestigiaque sequeremur: harum etenim coronicum genera & maiorem operi uenustatem adijciunt, & maiorem quoque artificis industriam atque solertiam præferunt. Quinimo id firmissimè nobis persuademus, bina hæc Amphitheatra nequaquam ex uno eodemque artifice, uerùm è diuersis potius & dissimillimis ingenijs protulisse; Romanique Amphitheatri conditorem Germanum forsitan quempiam extitisse suspicamur: coronices enim ibi appositæ, Germanorum ædificiorum mores & ritus nonnihil profectò sapere ac redolere uidentur.









Sub Quirinali, quem Caballinum nunc montem appellant, ubi scilicet equi illi Praxitelis Phidiæq; manu tam egregiè elaborati consistunt, præclaræ ædis regi;que domicilij nonnulla hodiernis quoq; temporibus vestigia supersunt: cuius pars altera quidem montis iugo insidebat, reliqua autem scalis subnixâ montis eiusdem uertici recumbebat, quemadmodum ex Orthographia à nobis apposita clarissimè constat. Aedificij huiusce area à Serlio brachiali mensura, cuius quartam partem hic subscriptam intueris, fuit perlustrata: At nos latini sermonis candorem & puritatem affectantes, brachialem hanc mensuram in ueterum scriptis ac monumentis nequaquam repertam ad pedalem elegantissimè redigemus, brachijs singulis in pedes binos permutatis, & brachij unius quadrante infrà notato ad semipedalem quantitatem significandam assumpto. Nec enim brachialem hanc recentiorum mensuram cum cubito omnino cõuenire, sæpe iam antea admonuimus, cum brachium ad cubitum eandemmet rationem, quam quatuor ad tria, obtinere luce clarius constet. Idq; lectorem

sectorem in primis admonendum existimamus, in scaphis seu conchis T & N, Tyberis Nilique præstantissimorum fluminum simulachra olim reperta, ad Vaticanum Pontificum hortum exornandum atq; condecorandum fuisse deinde translata. A, semitam seu itionem quandam pedum xx latitudinem obtinentem designat: B, singulis quadratorum lateribus pedes xxiiij distribuit: C, in pedum lxxij longitudinem, & in pedum xxxvj latitudinem porrigitur: Peristylum D in quadrati formam compositum, lateribus singulis pedum lxxij extensionem largitur: Porticus ex utraq; parte collocata, pedum viij latitudinem habent: Spatia, quæ ipsis C & B ex aduerso respondent, æquales profus cum ijs modulos sortiuntur: Quatuor scalarum hinc inde coniectarum latitudines, octopedaes existunt: E, sinus duos, quorum uterq; in pedum cxxvij longitudinem, & in pedum cxxv latitudinem excurrit, designat: Porticus F, in pedum xxvj latitudinem porrigitur: Scalæ primariæ ad palatii solum pavementum ue ascendentes, pedum xxij latitudinem assequuntur: Spatium iuxta angulos K situm & collocatum, pedum xxv latitudine, & pedum xxxij longitudine definitur: Partes ambæ H litera inscriptæ, tanquam anterides & adminicula quædam ad scalarum sustentationem excogitata fuerunt: G, xystrum seu aream, unde lumen ad interiora loca penetrabat, ostendit: Ambæ apertiones, I litera demonstrante, ad scalarum radices ima; exordia consistunt; ipsaq; ædificij structura, ex summa scalarum gradatione atque terminatione initium capiebat: Fastigiumq; in medio constitutum & magnificentum quid ac splendidum præferens, in tantam utique latitudinem patebat, quanta medianæ parti, xystris porticibusque sublatis, obtigisse uideretur: Duæ figuræ postremò K litera connotatæ, & crucis imago, quam infra seorsum descriptam intueris; illæ quidem angulum ædificij diligentissimè conscriptum demonstrant, hæc autem angulum xystrum mediani formatum clarissimè patefacit.






Tres subscriptæ figuræ superbi huiusce ædificij membra sigillatim proponit. Infima quidem, anterioris partis ædij Orthographiâ forma angustiore imitatur; scalasq; , per quas ad ædificij solû in montis iugo constitutum ascendentes ferebantur, perbellè designat: magnificæq; nimirum & scandentibus quammaximè commodæ scalæ hæc olim fuisse existimantur. Pars montis dorso incumbens, quo loci columnæ F litera inscriptæ statuuntur, mediani ædificij latus, porticus uidelicet extra solidam ædificij ipsius structuram procurrentes, demonstrat. Columna autem hæc ampliori forma designata, & E literæ indicio à reliquis seiuncta, ad fastigij anterioris angulum constituitur; ipsaq; una quadratam sibi formam assumpsit, cæteris omnibus tereti figura circumscriptis definitisque: & iurè quidem, nec enim angularis columna, cum epistylum membraq; cætera, quorum anguli columnæ ipsius solido nequaquam innituntur, supra se receptura uideatur, teres rotunda uè esse debet. Quadrata igitur hæc columna ima quidem parte sexpedali, summa autem quadrupedali q̄c semi circiter crassitudine terminatur; & , basi insuper capituloq; simul adiectis, in pedes lvij erigitur atque conscendit; ab imoque ad summum canaliculis distincta, striataque uniuersa ferè esse conspicitur: Epistylj itemque zophori altitudo quinquepedalis existit, ipseque zophorus egregia eminet sculptura;




totiusque coronis obliquè circumambientis altitudo in pedes senos & quartam assurgit, membraque omnia propriè quamoptimè respondent coronici, cuius zophorus in c c pedum extenditur longitudinem: Coronix, fastigio quoque simul adiecto, pro trium mutulorum spatio, ex uno perpetuoque marmore constat; fastigijque pars mediana sexta reliquæ altitudinis parte eminebat.

Admiranda quidem opera & cōplurium formarum uarietate insignia à Romanis olim extructa fuerunt, quorum usus propter ruinas & excidia dignosci aut percipi minimè potest: idq; uerum esse presentis ædificij, quod Seueri Septizonium appellant, argumento potissimum confirmatur. Eius autem unus adhuc angulus incolumis superesse spectatur, ipsamq; structuram triplici ordine distinctam, Corinthioq; opere elaboratam fuisse constat, eamq; ex aliorum ædificiorum partibus dissolutis compositam & coagmentatam prodijisse arbitramur: tum enim simplices tum striatæ quoq; columnæ, necnon capitula, aliaq; membra diuersorum generum in unum confusa & congesta huc esse uidentur. Aedificij huiusce altitudines nequaquam accepimus; sed aræ modulos duntaxat, & domiciliorum crassitudines obseruauimus. Quantum autem conijcere licuit, ordinum sibi gradatim succedentium superiorem ab inferiore quarta parte deficere, prout Vitruuius de Theatris sermonem instituens scriptum reliquit, comperimus. Subscripta figura ædificij aræ, & lacunarium columnis desuper incumbentium conuexa repræsentat: & eodem pedis genere, quo Polense Theatrum superius à nobis descriptum, suos expedit absoluitq; commensus. Parietis crassitudo tripedalis ac semis primùm existit: Spatium inter ambos parietes deinde interiectum, quadrupedale semiq; esse uidetur: Inter parietem atque columnas pedes quini, tribus quartis adiunctis, medij intercedunt: Idemq; profus intercolumniorum interuallum habetur: Singulæq; columnæ bipedalem & quadrantalem insuper crassitudinem obtinent. In hoc autem ædificio nec ullæ adsunt habitationes, nec ascendentium scalarum ulla profus extât uestigia, at longè maiorem eius amplitudinem quandoq; extitisse perspicitur; adeoq; alijs locis & cubicula, & triclinia, & scalas forsitan extructas fuisse arbitramur: ipsumq; integrum ædificium, tum propter columnarum multitudinem, tum etiam propter insignes ornamentorum apparatus, magnificum inprimis & superbum contemplantibus aspectum olim exhibuisse censemus.






E' compluribus & præclaris, quæ Veronæ ad hæc usque tempora perdurant, antiquitatibus Amphitheatrum quoddam, quod nunc Arenæ sortitur appellationem, rustico opere perfectum elaboratumque habetur: eiusque en tibi area hic designata, ex qua laterum quoque erectiones aliqua saltem ex parte innotescunt. Apertiones illæ gradibus eminentiores ostiola quædam, quæ scalis extrinsecus apposis succedentia ad eodem gradus aditum patefaciebant, ostendunt: unde mox homines descendentes certas sedes singulorum conditionibus ac dignitatibus conuenientes petebant. Figura quidem A, qua ratione ostiola proprijs gradationibus respondebant, perbellè demonstrat. At figura B, quomodo scalæ gradibus interpositæ descendentes atque ascendentes ad propria loca transmittent, eleganter designat; necnon graduum præterea firmas compactiones atque connexiones in tueri ibidem licet: angustique illi canales ad cælestes aquas depellendas, foetidisque mingentium humores absque ullo spectantium incommodo deuehendos excogitati fuerunt. Gradus quinque, ut imbris faciliores præstarent decursus, proni aliquantulum inclinabant. Interius ædificiū complurium ostiolorum duobus, quæ infrà delineauimus, consimiliū apertionibus, & aliorum quoque generum, rustico tamen opere constantium, copia & multitudine abundat.



Ad eius autem arcam dimetiendam pedem eundem, quo Polense Theatrum Supra dimensi iam sumus, rursus accipiemus. Ab extremis igitur partibus initio sumpto, pilarum crassitudinem pedibus octonis tertiaque definiemus: Columnæque præterea, quæ planæ esse videntur, tripedali crassitudine tertiaque parte insuper terminantur: Parastatæ arcum erigentes sustinentesque, bipedales ac semis existunt: Arcuum latitudo pedibus xj & semi continetur: at quaterni arcus primarij, cæteris magnitudine & amplitudine præstant: Pilæ ad latera constitutæ, sexpedales esse dicuntur: Porticus circumambiens pedum xij latitudinem obtinet, fornicatæque constat conuersione: Mediana porticus deinde fornicea item testudine tecta, in pedes ix ac semis expanditur & dilatatur: Porticus adhuc interior in fornicis quo-


que sicut antecedentes, morem inflexa, pedum viij & semi latitudinẽ habet. Verum ad duo uestibula mox quinque porticus patulæ ac spatiosæ consistunt, quarum summæ sphericæque conuersiones pilis suppositis securè innituntur, quem admodum ex præsentis Ichnographia clarissimè perspicitur: earumque media cæteras dextra sinistraque constitutas latitudine vincit. Reliqui moduli deinceps à peritioribus uiris, & perspicacibus ingenijs facillimè percipientur.





Areæ Amphitheatri propositi modulos insigniores iam absoluiffe, necnon laterum insuper crectiones aliqua ex parte saltem attigisse uidemur: modò partem exteriorem, quæ rustico nimirum opere constat, aggressi eius symmetrias nunc persequemur. Crassitudinibus autem & latitudinibus iam expeditis, altitudinum quoque communis atq; rationes in præsentia afferre tentabimus. Primi quidem & infimi arcus altitudo, pedibus xxiiij definitur: Columnæ in pedes xxvij excitantur: Epistylum, zophorus, coronixq; in pedes senos asurgunt: Pluteus desuper incumbens, bipedalis & semis existit. Secundus deinde atq; superior arcus pedum xxiiij altitudinem petit, & pedum xij latitudine terminatur: Columnæq; scapus, in pedes xxvii ac semis educitur: Coronix, zophorus, & epistylum pedum quinq; ac semis altitudinem obtinet. Pluteus deinceps ad tertium supremumq; ordinem spectans, quadrupedalis & semis esse conspicitur: Arcus ipse in summo constitutus in pedes ix tertiamq; partem insuper dilatatur, & in pedes septendecim ac semis ascendit: Pilæ superiores, quæ cæteris latitudine præstant, in pedes uicenos ac semis attolluntur, eisq; statuas iusta magnitudine præditas olim incubuisse arbitramur. Tertia nouissimaq; coronix, pedum quinque altitudinem explet. Proprias autem coronicum symmetrias modò recensere haud utique oportet: ut nanq; eas è ueris ac maioribus formis ad pusilla hæc exemplaria illis, quantum fieri potuit, simillima traduceremus, summum nempe studium & maximam diligentiam adhibuimus: & sequenti pagina statim eas descriptas designatasq; reperies, quibus exterioris Amphitheatri Orthographia deinde succedit; ipsiq; Orthographiæ, frontis exterioris Amphitheatri pars quædam adiacet adhæretq;. Vniuersum autem hoc ædificium rustico opere perfectum, Veronensique saxo præduro constructum esse perspicitur. At coronices lautius aliquantulum & elegantius elaboratæ fuerunt; earumq; forma à coronicibus, quæ Romæ comperiuntur, longè disidet atq; dissentit: quin ex Polensi Amphitheatro potius eæ deductæ fuisse uidentur. Quod autem ad Amphitheatri huiusce plateam attinet, quæ Arena uulgo nuncupatur, ab arena uidelicet, quæ propter ludorum & spectaculorum complures formas uariaque genera ibi peragenda diffundebatur, nomine indito; imum solum nunquam me hercle conspeximus. Verùm, quemadmodum ab incolis nonnullis natu grandioribus accepimus, ludis campestribus iam absolutis, spectatoribus nequaquam abeuntibus, per aquæductus occultos fluuiales latices immittebantur, & breui plateam uniuersam lacunæ instar humores effusi inundabant: & lintribus nauiculisque inuectis, Neptunij ludi naualiaq; certamina maximo spectantium applausu agebantur. Quibus tandem perfectis, lintribusq; reuersis, per nares quasdam apertas aquæ defluentes breui temporis curriculo discedebant; adeò ut loci alueum, sicut antea, sicco pede postmodum transire unicuiq; liceret. Quæ quidem etsi admiranda & incredibilia propemodum uideantur: attamen si Romanæ potentis atque magnificentis meminimus, & hæc, & his longè maiora uera extitisse facillè concedemus. Verùm postquam de præclaris Romanorum operibus sermonem instituimus, id superioribus etiam adiungere libet, quòd Veronæ super Athesim celeberrimum nempe fluuium, quem Adicem nostrates appellant, duo uetustissimi pontes extructi reperiuntur, inter quos perpulchrum & mirum certè spectaculum aderat: quò ingens hominum multitudo ad naualia certamina, quæ in flumine exercebantur, intuenda contemplandaq; confluebat. Spectaculum hoc ad ripam fluminis constitutum, montis à tergo impendentis latere nitebatur; & ad montis superiora deinceps theatrum quoddam accedebat, cuius Scena cum spectaculo, eo tamen inferior aliquantulum, coire uidebatur: At cum theatrum, ut modò diximus, in montis accliuitate summa nempe arte extructum elaboratumq; resideret, in summo iugo tandem amplum ædificium cæteris omnibus præponendum tanquam in specula quadam eminebat. Verùm hæc opera uetustate ac temporum iniuria ita diruta nunc consumptaq; iacent, ut ad fragmenta omnia perquirenda colligendaq; & temporis iactura maxima opus esset, & sumptus immo dici necessariò essent adhibendi: At nos cum membra nonnulla sparsim in monte conspexerimus, reliqua deinde animo complectentes summa quidem afficimur admiratione, attonitiq; tandem obstupescimus. Nec tamen Romani præclara hæc opera temere aut inconsultò Veronæ extruxisse uidentur: nec enim toto Italiæ ambitu, seu uallium amœnitates, seu ridentes collium aspectus, seu ardua montium iuga, seu aquarum uitreos sinus & argenteos latices contempleris, locum ullum hoc iucundiorum inueniri posse censemus. Et quod magni in primis ubique æstimatur, ciues, qui urbem hanc incolunt, & animi magnitudine, & morum suauitate quam maximè præstant,






Romani quidem ob animi magnitudinem atq; præstantiam semper ea conati aggressiq; fuerunt, quæ & terrestrem & naualem eorum potentiam declarare, Romanorumq; ingeniorum vim atq; solertiam patefacere possent. Quapropter urbis securitati inprimis & commodo consulentes, mirificum illum Ostiæ portum condiderunt: qui & propter summam loci opportunitatem, & propter superbas ædificiorum moles, & propter tutam præsertim & inexpugnabilem operis rationem, nis pro meritis laudari unquam commendari ue poterit. Exagona igitur forma, sex uidelicet lateribus circumscripta, Ostiensis huic portui fuit attributa, latera singula MCLX palmorum longitudine finiuntur: ex quo constructionis huiusce amplitudo, satis, ni fallor, percipi iudicariq; potest. Latera autem singula per amplum spatiosumq; Xystum




stum porticibus undequaque circumseptum, & quaternas horreorum, quæ porticum eorundem complexu constringuntur, diuisiones, ambulatione media quadam intercedente, comprehendunt. Secundum litus deinde ad mare, columnarum trunci miro quodam ordine instructi dispositique iacebant, quibus nauium retinacula alligari solebant. In portus denique faucibus turres complures, tum ad hostes propulsandos ac reprimendos, tum ad portum ipsum defendendum atque tuendum, tanquam propugnacula mira arte composita residebant. Quoniam autem in pusillis exemplaribus rerum diuisiones uix percipi queunt, idcirco formis aliquantò maioribus eas figillatim hic designauimus.

## PORTO DE OSTIA: PORTVS OSTIENSIS.




Romanarum antiquitatum complures extant, quæ etsi uel temporis uetustate collapsæ, uel hostium immanitate quondam eueris fuerunt, aded ut nec certum nec firmum de ipsis iudicium possit afferri; tamen ex nonnullis earum fragmentis, Romanorum magnificentiam & magnanimitatem contemplari admirariq; licet: in cuius nempe rei confirmationem uetustum hoc, quod sub sequitur, ædificium à solerti nimirum & sapiente aliquo Architecto, prout uestigia satis superq; indicare uidentur, compositum proferemus. Fori autem transitorij Basilica, ædes hæc appellari consuevit; eiusque amplitudo atque maiestas è columnarum altitudinibus, quarum tamen, superiori deficiente corona, summæ terminationes nequaquam apparent, conijci potest: quinimo nec ullæ profus circumcirca ibi adsunt coronæ, ut quodnam structuræ genus superis ædificij huiusce partibus incumberet, dignoscere ualeamus. Antiquum hoc opus brachiali mensura à recentioribus inuenta, & in sexaginta minuta diuisa, cuius tertiam partem inter Obeliscos supra iam designatam reperiens, à Serlio fuit olim perlustratum: At nos Latini sermonis nequaquam immemores, brachialium ho-






ram modulorum numerum geminantes eos in pedales rectissimè conuertemus, singulis pedibus in sexaginta minuta nunc distributis, adèd ut brachiale unumquodq; minutum binis minutis pedalibus æquale prorsus existat. Præsens autem ædificij columnæ, septem mediocris altitudinis gradationibus à planicie distabant: Columnæ C litera inscriptæ crassitudo ima quidem eius parte sexpedalis, parte uerò superiori sub capitulo constituta quinquepedalis, minutis uiginti superadiectis, esse uidetur: Eademq; columna, basi capituloq; sublatis, pedum xlix minorumq; quinquaginta altitudinem petit: Basis autem in pedes ternos, capitulumq; in pedes senos minutaq; liij sublimia assurgunt: Epistylum in pedes quaternos & minuta xlvj ascendit: Corona inter columnam & pilam columnæ oppositam collocata, & D signo à cæteris seiuncta, tripedalem minorumq; xxxvj altitudinem obtinet: Superior quidem corona, ut iam admonuimus, nulla extare perspicitur: Pila columnæ obiecta, plana nimirum quadrataq; existit, & eandem omnino teretis columnæ proportionem consequitur, parsq; eius superior hic quoque haud aliter quàm ibi contrahitur: Capitulum, Panthei ipsius capitulorum formam atq; rationem sectatur: Basis C, ampliori forma separatim à nobis designata conspicitur, & ueros exemplaris sui modulos ad unguem profectò imitatur: Itemq; coronicem D, maiori forma descriptam à nobis hic esse constat. Verumènimuero maioris columnæ symmetrijs iam expressis declaratisq; B columnæ minoris quoq; commensus nunc persequamur: quæ quidem elegantissimo stereobate ei subiecto, ad pedum duodenum circiter altitudinem pertingente, fulcitur ac sustentatur. Columna igitur hæc bipedali primùm, duabus tertijs adiectis, crassitudine terminatur; & in superioribus partibus contrahendis, columnæ maioris iam habitam consequitur proportionem: eademq; basi capituloque simul assumptis, pedum xxvij tertiæque partis insuper altitudinem petit: Basis seorsum altitudo dimidiam columnæ crassitudinem æquat; & ex iisdem membris, ex quibus superior columna iam declarata, & cum membris illius maximam utique proportionem gerentibus constituta esse uidetur: Capitulum in pedes ternos ascendit, egregiè quidem elaboratum, eiusq; ampliorem atq; patientiorem designationem mox sub Compositi generis exordijs quarto uolumine habebis: Eademq; columna rursus ex duriore constat mixtura, necnon striata insuper, proxima hoc innuente figura, esse perspicitur; pilamq; com præsis signis modicè prominentem, & formæ eiusdem omnino sibi habet obiectam: Membra denique, quæ summæ incumbunt columnæ, epistylum uidelicet, zophorus, atq; coronix, in pedes octonos circiter attolluntur: Coronaque mutulos, absque denticulis tamen, gestat insculptos, & ad Panthei coronicem quamproximè accedit. Quantum autem conijcere potuimus, minores generis huiusce columnæ ad Basilicæ fores quædam exornandas atque condecorandas quamplurimum conducebant.


Pontem hunc Senatorium, nonnullique Palatinum olim dicebant: At nunc Sanctæ Mariæ Pontem, & Pontem Xystum quoque cum uulgus appellat.




Pons hic Milvius nuncupatur: at vulgus Mollem Pontem eum appellare consuevit.



Pontes complures tum in urbe, tum extra urbem, sparsimq; diuersis Italiz regionibus à Romanis olim constructi reperiuntur: Verùm, cæteris omisis, quatuor duntaxat propter solertem eorum inuentionem in medium nunc proposuimus: unde antiquorum in pontibus extruendis modus ratioq; facillimè deducetur. Pontem subscriptum Sancti Angeli pontem uocitare nunc omnes consueuerunt, & meritò quidem; cùm, Tyberinis aquis subterfluentibus, propè munitissimum illud castrum Angelo custodi ac præfidi sacrum superior ipse immineat: ibi nanque Adriani monumentum antea extitisse memoratur, quod à posteris dein de in arcis inexpugnabilis formam speciemq; redactum permutatumq; fuit. Pontem autem, ab Aelio Adriano cognomine indito, Aelium quoque antiquiores nuncupare solebant.




Pontem infrà designatum Tarpeium nonnulli, alijque Fabritium olim uocarunt: at nunc Quadriceptem eum vulgus appellat.







E' Thermarum complurium, quæ Romæ extant, copia & multitudine Antonianæ, mea quidem sententia, cæteris præferendæ esse videntur: Et quavis Diocletianæ majori ambitu atque amplitudine continentur; Antonianas tamen hic designatas, tum propter membrorum aptiorem collocationem elegantiorémque distributionem, tum propter miram singularum partium convenientiam atque consensum, cæteris omnibus anteponendas esse minimè dubitamus. In platea namque B C quæcunque ludorum genera, & spectaculorum insignes magnificique apparatus, absque ulla prorsus impeditioe, commodissimè instrui exerceri que poterant. Verùm cum Thermarum usus, quavis ludorum complurium celeberrimis obsequiis inferuissent, ad balnea tamen potissimum referrentur: idcirco in A parte ædificij huiusce posteriore aquarum receptacula seruabantur, quæ aquæductu ministerio perpetuis humoribus affluentia, lauantium usibus commodisque maximas nimirum præstabant opportunitates.




Præsentis aræ symmetriæ brachiali quadam mensura à recentioribus excogitata, cuius tertiam partem ad latus ædificij positam intueris, commensa definitæque fuerunt; lineaq; illa in media platea constituta centenos brachialium horum modulorum designat, eaque duce cuncta ferè aræ propositæ spatia dimetiri licebit. Nos tamen, ne prolixiores quandoque uideamur, hæud omnium quidem, sed primorum duntaxat atq; insigniorum commensuum nunc sermonem habebimus: illud antea præfati, quòd cum brachialis mensuræ huiusce generis, ut sæpe iam diximus, à probatis scriptoribus reiiciatur, nos Latinitatis splendorem atque ele-

gantiam quammaximè diligentes, brachiales hosce modulos in pedales duplo tantummodo auctos commutabimus; adeoque linea ad latus appositæ duas pedis unius tertias æquabit, lineaq; altera in media residens platea pedes ducentos significabit. Primum igitur singula aquarum castella seu conceptacula, pedum lx longitudine, pedumque xxxij latitudine terminantur: Pars deinde X consonante notata, in pedum clxij longitudinem, & in pedum lxxvij latitudinem excurret: Rotunditas D, diametrum pedum cxxxvj medium ambit atq; cõplectitur: Platea B C, in pedes mcccc continuatur atq; producitur: Pars media G signo demonstrata, pedum ccx longitudine, & pedum cxx latitudine terminatur.






Cum in superiori Ichnographia, propter partium omnium in unum congestarum obscuritatem exilitatemque, singula membra agrè cognoscantur ac discernantur; idcirco in subsequentibus ambabus designationibus, membrorum nonnullorum expressiores imagines uberioraque exempla seorsum constituemus: quemadmodum perspicacissimus Architectus, characterum notis animadvertis, iisque cum Ichnographia iam habita collatis, facillimè nimirum percipiet.




Et si subiectæ figuræ confusæ implicitæque, & ex pluribus partibus conflatæ uideantur, eas tamen Ther-  
marum superiorum membra significare industrius mox intelliget Architectus: literarum præsertim, quæ  
sparsim signatæ fuerunt, indicijs quamprimum eius mentem excutientib. & ad superiorem Ichnographiam  
statim reuocantibus. Id unum tamen admonendum eum esse iudicamus, nempe duo illa membra, H &  
X, à reliqua designationis parte F litera inscripta, esse abiungenda: figurasque insuper hic collocatas,  
quanuis angustis excudentium formarum finibus interclusæ sese propemodum contingere uideantur, tamen  
tamen membrorum separatorum abiunctorumque imagines præferre: eorumque segregatio ad structuræ  
totius pleniorum cognitionem, & faciliorem intelligentiam nos profectò conduxet. Proprios autem modu-  
los nequaquam hic duximus recensendos, propterea quòd Architecto inuentionis potius quàm modulo-  
rum rationem usui futuram existimamus.






Titi Romanorum Imperatoris thermæ cæteris quidem minores existunt, unde haud immeritò minorum Thermarum uulgo appellationem obtinuerunt: eas tamen propter laudabilem ordinem rectamque distributionem quammaximè commendamus. Aream autem palmo Romanorum antiquo, quem in Antonianarum thermarum modulis recensendis sub tertiz brachialis mensuræ partis, siue sub duarum pedis unius tertiarum nomine suprâ iam designauimus, sumus olim commensi. Rotundæ igitur orbicularisq; formæ, quam A uocali inscriptam intueris, diameter palmorum cl circiter magnitudine terminatur: B, palmorum lxxx longitudine, & palmorum lj latitudine definitur: C, palmos lxxx in longitudinem, & palmos lx in latitudinem peruagatur: D, si diametrum eius spectes, in palmos centum excurrit: Itemq; uestibulum E, diametro eius sumpto, in palmos quinquaginta circiter extenditur: F, palmorum cxx longitudinem, & palmorum lxx latitudinem propemodum obtinet: G figura octo lateribus circumscripita, ad palmos ferè centum conscendit: Rotunditatis H diameter, ad palmos cl pertingit: I figura, ad centenos pedes confurgit, & ex duobus quadratis ferè constituta uidetur: Bina spatia K, undequaque palmos fortiuntur xxx: L, palmorum cxxv longitudinem, & palmorum xxx latitudinem petit: Orbicularis figuræ M diameter, palmos cxx fortiuntur: N & item O, palmorum cxlvij longitudine, & palmorum lvij latitudine constringuntur. Aquarum autem castella & receptacula mox describemus.



Castella & receptacula aquarum in Titi ipsius Thermis constituta, propter maximum eorum artificium, summa nempe admiratione prosequenda videntur: arcus enim huiuscemodi receptacula operientes eo sibi inuicem ordine succedunt, ut si medius aliquis in eorum quocunque constiterit, mox continenti oculorum obtutu ceteros omnes percurrere possit. Hunc locum nempe vulgus Septem Atriorum cognomine appellat, & iurè quidem, cum & spatia media numero septenario contineantur, & ostiorum insuper directi conuersique aspectus undequaque septenarij existant. Parietum crassitudines, quadrupedales ac semis esse conspiciuntur: Arcus in sex pedum latitudinem porriguntur, ab unoque eorum ad alterum pedum vigintiseptem intervallum habetur: Itemque ab uno pariete ad alterum pedes quindenarij circiter intercedunt: Tecta que in fornicis morem inflexa, iustam & conuenientem altitudinem assequuntur. Parietum autem & fornicum incrustationes siue tectoria, ex duriore quippe constant materia.




Septem millibus passuum circiter à Memphytica urbe distantem Pyramidem quandam reperiri autumant, cuius & formam & modulos simul exponemus, quemadmodum à Marco Grimano Patrio Veneto tunc summo Aquileiæ Antistite, nunc uerò in sacrum Cardinalium ordinem cooptato olim accepimus: Vir etenim amplissimus & antiquitatum apprime studiosus, ipsemet sese eam & metatum fuisse, & conscendisse, & ad interiora quoque penetrasse, nobis perhumaniter narrare solebat. Pyramidis huiusce commensus iustis passuum intervallis à celeberrimo uiro tunc perlustrati explorati que fuerunt, singulorumque passuum magnitudo trium palmorum antiquiorum modulos aliquantulum excessisse putatur. Singula quadratæ basis latera passus cclxx circiter complectuntur, uniuersaque






uniuersaque Pyramis ex rediuuo & præduro lapide constat, eiusque præcinctiones in satis conuenientem longitudinem extenduntur; itaque toto opere aptantur ac disponuntur, ut ad summum uerticem usque, etsi quammaximè difficilem incommodumque, præstent ascensum: Singula etenim tripalmarem ac semis circiter altitudinem petunt, nec tantum utique prominentis planiciæ nactæ fuerunt, ut scandentium uestigia ijs tutò commodèue possint inniti. A basi autem usque ad uerticem ducentæ circiter ac decem præcinctiones habentur, singulaque eandem prorsus altitudinem obtinent, adeò ut structuræ totius altitudo basis suppositæ latitudini æqualis omnino uideatur. Pyramidem hanc monumenti usum olim habuisse inde potissimum conijcitur, quòd in interioribus partibus quoddam reperitur conclaue, prægrandeque saxum in medio ibi consistit: unde egregium aliquod sepulchrum ibidem extitisse haud immeritò homines suspicantur. Verùm ad conclaue ipsum aditus atque accessio difficilis nimirum periculosaque extat: nanque mox in ingressu ad læuam lapidea scala Pyramidem interiorem circumambiens offenditur, in eaque media tam immanis patet hiatus, adeoque præceps fertur uorago, ut eius spectaculum intuentibus summum profectò terrorem incutiat; & per icalarum huiuscemodi horribiles fatalesque gradationes ad ipsum conclaue tandem homines perducuntur. In media autem Pyramidis eiusdem præcinctione uestibulum aliud interius extat, uerùm obstructum adeò obstipatumque, ut penetrari minimè queat. Postremò in uertice planum quatuor lateribus, quibus singulis octo passuum assignatur interuallum, terminatum conclusumque residet: planumque hoc, pyramide iam extructa absolutaque, ultimo loco tandem confectum & impositum fuit, summasque eius partes nequaquam in mucronis seu cuspidis formam acuminatam prodijisse hac ratione clarissimè apparet. Tota autem exactam perfectamque integritatem suam adhuc seruare retinereque conspicitur, nisi quòd propter operis diuturnitatem lapides nonnulli è proprijs sedibus aliquantulum exturbati diuulsique fuerunt. Haud procul à Pyramide humani capitis simulachrum summo reliqui corporis trunco adhærens spectatur, quod ex uiuo lapide eoque perpetuo constat; faciesque tantummodo octo passuum sibi uendicat interuallum, & truem nimirum atque deformem retinet aspectum: ibique specus nonnulli atque hiatus interiores Aegyptijs literis inscripti cernuntur, qui antiquissimam sepulchralium monumentorum speciem formamque præferunt.




Hierosolymis in lapideo ac solidissimo monte ferramentorum ui & manuum opera olim perterebrato, satis amplum extat ædificium, cuius situm atque rationem subiecta expressimus figuratione. Ne autem propter medianæ cellæ amplitudinem ædificium quandoq; corrueret, duæ pilæ medium locum sortitæ cæteris maiores crassioresq; , duæ uerò ad latera appositæ mediocres, duæq; demum anteriores cæteris minores atque graciliores constitutæ fuerunt: quæ pilæ, ut iam admonuimus, testudinem superiorem scalpelli plagis iētibusq; excisam fulciunt atque sustentant. Primo quidem ingressu quatuor pusilla habentur delubra; quibus in medio capaciōriq; sinu decem & octo deinde succedunt: parsq; postrema tandem & in intimis re fidens penetralibus, duo tantum sacella & clausum insuper ostium complectitur, quod sacrorum ministros ulterius olim progredi potuisse significat ostenditq;. Et in his nempe sacellis atque delubris Regum Hierosolymitanorum iam defunctorum corpora condi solebant, prout summus ille Aquileiæ quondam Antistes, nunc uerò Cardinalis amplissimi munere fungens, qui & uerbis rei huiusce scientiam, & pictura insuper sacris manibus composita eiusdem typum nobis aperuit atq; subiecit, animi quandoque gratia exponere & narrare consueuerat. Commensus quidem è memoria exciderant, at delubri omnium angustissimi latitudinem humani corporis longitudinem saltem adæquasse arbitramur, unde totius ædificij amplitudo mox perspici potest. Delubrorum autem in montis uisceribus excuatorum modus ratioq; ex subiectis A & B designationibus optimè constat. Præsensq; ædificium cum sub monte iustam magnitudinem nacto resideat, nec lucem ullam modò habere conspicitur, nec superioribus temporibus cœlesti sydere unquam affulsisse existimatur.





Thermæ Diocletianæ, prout reliquæ supra terram extantes adhuc confirmant, lautum profectò ac splendidissimum opus præferunt: præter enim ingentes ac uarias locorum distributiones, necnon immodicos & insignes ornamentorum apparatus, maxima columnarum ibi quondam existentium copia & multitudo, admirandaq; earundem crassitudo ædificij amplitudinem & maiestatem affatim demonstrant. Quinimo artificiosa aræ ipsius distributio, propter formarum inde prouenientium uarietatem, solerti industrioq; Architecto usui quamplurimum futura uidetur. Id tamen à nemine sanæ mentis negari posse arbitramur, quin in hoc ædificij genere asymmetriæ & discrepantiæ complures, quæ æuo præsentis tanquam mendosæ & uitiosæ tolerari minimè possent, conspiciantur. Nec tamen, ut tanto Imperatori, totq; Architectorum, qui ea tempestate floruerunt, cæui ac multitudinij detrahamus, hanc in reprehendis illorum operib. licentiam atque authoritatem nobis uindicamus (etsi id temporis Architecti, si cum superioribus conferantur, rudiores & ineptiores aliquantulum extitisse uidentur) sed summa ueneratione antiquitatem excolentes, ad communem studiosorum cunctorum utilitatem, qui scripta monumenta que hæc nostra sibi legenda proponunt, modestè & humaniter animi nostri sensus duntaxat aperiemus. Singulorum ædificiorum elegantiam & uenustatem in eo potissimum sitam esse constat, ut partibus omnibus in unum conspirantibus, & rectum ordinem atque laudabilem symmetriam retinentibus, nihil sit prorsus, quod contemplantium oculos expeditissimè peruagantes præpedire aut offendere possit. Hoc iacto fundamento, si iter. A B itineris C D spatium atque distantiam, nullo prorsus obiecto impedimento, adæquaret; quis obsecrò medianam structuram in exteriori & ambiente ædificio constitutam aptiorem collocationem habituram fuisse negabit?


adeoque omnes uiz tunc, nullo penitus obstaculo impediante, liberiores expeditioresque forent. Parsq; insuper mediani ædificij A littera inscripta, quæ è cæterarum partium perpendiculari rectitudine egressa ad theatrum inclinatur atque pro pendet, perpetuum uiz curriculum nequaquam proscinderet aut obrueret: quinimo inter medianam ipsam structuram atq; theatrum spatium illud intercurrentis, quod in Theatrorum coagmentationibus Proscenij sibi uendicat appellationem, eleganter admodum patuisset; & hac ratione uiz omnes, cunctaq; itinera circumcirca ambientia patula, per ampla, spatiosaque nimirum extitissent; uniuersumq; postremò ædificium partium omnium mutuum consensum, equabilem proportionem, aspectuiq; iucundissimam symmetriam obtinuisset, nec in ullum notæ aut reprehensionis genus profectò incurrisset. De capitulo uerò tum A & C,



tum B & D, quorum partes exteriores disidentibus ac dissimillimis formis instructæ conspiciuntur, mendosa incompositaq; ratione nos loqui minimè oportet: nec enim tā graua manifesta q; errata Architecti perspicacissimi iudicium unquam effugient. Attamen, quemadmodum iam admonuimus, tot adeoq; elegantes distributionum rationes hic extant, ut solerti Architecto haud mediocrem quidem utilitatem ex allaturæ uideantur. A uobis autem, quicumque antiquitatum defendendarum curam & patrocinium susceperitis, si liberiori paululum oratione in antiquorum opera inuecti, uobis fortasse non nihil iniurij molestiq; fuimus, supplices ueniam precamur: peritorum enim censuræ atque iudicio sententias nostras expendendas denique examinandasque libentissimè reseruamus.


Aræ quidem huiusce commensus palmorum antiquorum modulis explorati indagatiq; fuerunt. At cùm in præsentī Ichnographia ad inuentionis potius quàm ad rei cuiuscunq; alterius rationem animum adiecerimus, idcirco à modulis sigillatim recensendis, quibus diutius nimirum insistendum fuisset, nunc abstinebimus hoc uno contenti, quod aræ formam atque dispositionem, ea diligentia imprimis adhibita, eaq; proportione ad unguem obseruata, in pusillum hoc exemplar collegimus atque contraximus; ut industrius Architectus minoribus palmis, quos in hemicyclo linea illa in decem partes distributa expressos figuratosq; intueris, singulis partibus uidelicet palmos decem significantibus, totaq; linea palmos centum designante, singulorum membrorum symmetrias atque commensus propemodum ualeat adinuenire; moxq; , circini opera adiuuante, plerosque ædificij huiusce modulos assequetur. Frontium autem & laterum designationem tribus rationibus

potissimum adducti hic prætermittimus: tum scilicet propter ruinarū undiq; circumstantium, ut parum admodū ædificij integrum incolumeq; supersit, deformitates: tum etiam propter dimensionum capiendarum incommoda atque difficultates: tum postremò, quoniam opus hoc, prout conijcere licet, nequaquā prisca illa aureaq; præstantissimorum Architectorum ætate extructum compositumq; fuisse uideatur; quinimo, etsi ornamentorum sumptuosus & magnificis constet apparatus, discrepantiæ tamen, asymmetriæ, & errores complures ibi adesse perspiciuntur. Quoniam autem in exili adeo angustaq; Ichnographia singulorū membrorum rationes formæq; uix dignoscuntur, idcirco sequenti pagina medianæ structuræ partes clariori & euidentiore pictura mox distinguentur.






Cum, ut modò admonuimus, Diocletianarum Thermarum Ichnographia angustis adèd spatijs finibusque conclusa, propriæ singulorum membrorum dispositiones uix innotescant: ideo partem medianam A litera notâ indicioque à reliquis seiunctam, ampliori hie forma subiecimus ac designauimus. Quapropter linea illa media palmos centum significante, mox diligens Architectus ea duce, circiniq; opera insuper adiuvante, cunctos ferè modulos ex sese inueniet atque comperiet.




Thermæ Diocletianæ, quemadmodum supra quoque dictum iam fuit, varijs profectò ludorum atque spectaculorum usibus inferuiebant, at balneis præsertim & ablutionibus perennes humorum copias subministrabant: quæ per occultos aquæductuum canales è longinquis partibus petitz ac derivatz, in specubus nonnullis & amplioribus sinibus denique servabantur. Diocletianarum autem thermarum castella iam collectos conglobatosque humores continentia, subiecta hic expressimus figuratone. Ibi nanque pilæ nonnullæ crassiores extabant, quibus concameratz testudines desuper incumbebant, parietesque circumcirca optimis crustationum generibus superinductis in alarum similitudinem extendebantur: nec laterales parietes tantummodo, sed cameræ quoque superiores, inferioraque pavimenta materia ad vetustatem adeò composita constant, ut in hodiernum diem usque perdurent. Pilarum crassitudines lateribus singulis quadrupedales existunt: Et inter binas qualque pilas pedum duodenum spatium intercurrit (de pedibus autem Romanorum antiquioribus nunc sermone habemus.) Quauis enim Thermæ palmaribus modulis à nobis superius terminatz definitaque fuerunt, hæc tamen aquarum castella seu receptacula pedales fortiuntur commensus. Subiecta autem linea pedis antiquioris tertiam partem demonstrat.






Quauis Græci, tum Vitruuij tum aliorum etiam grauisimorum authorum testimonio, primi Architecturam inuenisse, fundasse, atque excoluisse memorentur: tamen tum propter ingentes bellorum tumultus, tum etiam propter nationum exterarum complurium diuersis temporibus in Græcos sœuissimam acerbissimamque tyrannidem, Græcorum regiones adeò uexatæ, destructæ, profligatæque remanserunt, ut perquam paucorum ædificiorum uestigia è tellure paululum sese ibi attollere conspiciantur. At nonnullis id nobis renunciantibus, signa adhuc & notæ ædificij cuiusdam apparent: quod, prout iudicari fas est, centum in sublimi columnis ad tantam utique altitudinem eductis extollebatur, ut cum earum nonnullæ ad hæc usque tempora incolumes supersint, fortis quispian & robustissimus uir pusillum aliquod saxum in altum adeò, ut columnæ apicem attingeret, emittere, propellereque nunquam potuerit, nec totam eius crassitudinem duo uiri apertis & expansis manibus complecti simul ualuerint. Quoniam uerò in angulis solida nonnulla quaternis præcincta columnis, sed propter ruinarum nastitates è terra parum admodum emergentia conspiciuntur: ea scalarum usus ad summas ædificij partes conscendendas, atque opportunitates olim præstitisse censentur, ibique porticum antiquitus extitisse homines arbitrantur; in eiusque partibus eminentioribus sacrificia fortasse alia'ue consimilia ad cultum diuinum attinentia, ut ab uniuerso populo spectari commodius possent, peragi à sacerdotibus olim consueuisse opinantur. Aedificij autem aream infra subscriptam designatamque contemplare.








Quamvis præsentis ædificij, quemadmodum iam diximus, præter columnas nonnullas nihil reliqui supra terram extare uideatur; nec modulos eius certos aut definitos ab alijs acceperimus, quinimo nec eius formam speciemue oculis unquam contemplati fuerimus: exemplum tamen ipsius etfi haud uerum fortasse, uerisimile tamen nobisque probabile hic conscribere placuit. Etsi autem nulum huic simile ab Architecto formatum hucusque aut extractum opus fuisset: siquis tamen in patentiore aliqua planicie ædificium in sublime excitatum hac ratione perduceret, magnificum illud nimirum atque superbum, quatuor præsertim angularium Obeliscorum magnitudine concurrente, futurum esse iudicarem. Columnarum inferiorum crassitudines, quinquepalmares saltem fore pronunciamus; earumque crassitudines, basibus capitulisque simul adiunctis, palmis liij circiter definimus: Epistylio, zophoro, coronique, palmorum denum circiter altitudinem tribuimus. Ne autem superioris ordinis columnarum bases à coronæ substantis proiectura ullum acciperent impedimentum, quin ex infimo loco spectantes eas discernere possent: gradationum aliquot ad eam utiq; altitudinem, quæ optice rationi consentanea foret, scandentium ascensio columnarum secundarum basibus necessariò esset subiicienda: & secundum hunc ordinem quartæ partis subductione, quemadmodum quarto uolumine sæpèpius admonuimus, primo humiliorem atque graciliorem esse debere existimamus. Siqui autem nostrum hoc ædificij genus tanquam uerum minimè admittent (nec enim id alicubi nos unquam uidisse meminimus) ipsum tanquam fictum & commentitium quiddam saltem accipient. Illud tamen pro comperto firmissimè asseueramus, in Græcia porticum centum columnis insignem olim extitisse. Quinetiam hoc nonnulli addidisse uidentur, nempe columnas, quæ in Panthei ipsius porticu consistunt, inde Romam traductas & exportatas fuisse.






Romæ triumphales quidem complures & ueteres arcus habentur, quibus præfens quoque ædificiũ tanquam arcuatum quoddam opus à plerisque solet annumerari; ueruntamen acutiores porticum ad negotiantium conuentus peragendos hanc potius extitisse arbitrantur; nec alienam fortitan erit, si ab eadem gente separatim porticum hanc olim extructam fuisse crediderimus, quemadmodum nunc quoque in opulentissimis urbibus mercatores loca nonnulla sibi propria, etsi à cæteris nequaquam seiuncta habere consueuerunt. In foro autem Boario porticus hæc constituta uidebatur, eamque ueteres quasi Iano sacram addixerant, & palmis antiquioribus suos absoluit commentus. Quaternæ uerò, subiecta Ichnographia hoc indicante, eius patent apertiones, interque binas quasque pilas palmi x xij medijs interiacent: Scaphæ autem seu conchæ, quocunq; nomine eas nuncupare tibi libuerit, xlviij circumcirca instructæ dispositæque conspiciuntur, quarum sexdecim tantum statuarum collocationibus aptæ accommodatæque censentur, cæteris, quæ parietum interiora leuiter admodum penetrarunt, fictis & simulatis existentibus. Scaphæque omnes, prout è uestigijs superextantibus conijciendum uidetur, columellis modica prominentibus sculptura instructæ exornatæque olim fuisse cognoscuntur, Ionicique generis symmetrias utique imitabantur: At temporum iniuria eiusmodi ornamenta subducta detractaque fuerunt.

SEQUENTIS AEDIFICII ICHNOGRAPHIA.




Arcus quidem in palmos *xliiij* eriguntur: Infima basis *E*, palmi unius tertiæque partis insuper altitudinem obtinet: Fascia *D*, cuius anguli coronicibus appositis eminent, eandemmet basis consequitur altitudinem. Architecti autem iudicium, qui ne incertas negotiantium ambulationes, eorumque uagos errantesque motus exturbaret, coronicum proiecturas in partibus inferioribus nullas constituendas putauit, uehementer commendamus. Ceterarum deinceps coronicum altitudines dimensi minimè sumus, sed formas tantummodo, maxima cura nimirum diligentiaque adhibita, explorauimus: quarum typos sequenti pagina iamiam subijciemus.





Quinque coronicum hic subiectarum species tanquam ornamenta quædam porticui nuperrimè designatæ adiunguntur. Basis E, Fasciaque D, modulis earum, ut uisum fuit, acceptis, è maioribus formis ad hæc minores, proportionis spectata ratione, à nobis traductæ redactæque fuerunt. Verùm ad cæteras coronices deinde designandas, propter immodicas earum altitudines, dioptram adhibuimus: ipsæq; & altitudinum eductionibus & membrorum insuper appositionibus parum admodum inter sese differre conspiciuntur. Zophori, quemadmodum ex A & B figurationibus perspicitur, puluinati ex istebant: C demum fasceola sub primis scapharum concharum'ue ordinibus extendebatur.




Arcuata subsequens figura, Titi arcus uulgò nuncupatur: areamq; primùm hic designatam subiecimus, quæ pedalibus antiquorum modulis utique definitur. Pedalem autem eiusmodi mensuram in minuta lxxij distingui, prout suprà iam admonuimus, memento. Arcus igitur latitudo pedibus xvij minutisque xvij continetur: Columnæque pedalem, minorum xxvj ac semis insuper adiectione, crassitudinem habent.








Maximum nempe & nobis scribentibus & alijs legentibus fastidium satietatemque afferremus, necnon uehemens inde exoriretur confusio, si coronicum membra cuncta partesque sigillatim exponere, & modulos omnes ad unguem recensere uellemus: in membris nanque dimetiendis haud pedales tantum moduli, sed pedum quoque minuta, & minorum etiam particulae necessariò essent adhibendae. Quapropter, his omisis, ei potissimum studuisse uidemur, ut in membris omnibus ex amplioribus eorum formis ad minima haec exemplaria traducendis ea ratione imprimis atque proportione uteremur, ut studioforum quilibet, circino opitulante, symmetrias omnes expeditissimè assequi posset. Id tamen negandum minimè existimamus, quin plerique Romanorum arcuum ornatus à Vitruuianis quamplurimum institutis recedant: quod inde euenisse arbitramur, quòd huiusmodi arcus ex aliorum aedificiorum manubijs compacti constituti que fuerunt. Quinetiam Architecti forsitan illi, cum generis huiusce extructiones superbis triumphantium usibus inseruirent, & manuum fortunata celeritatem efflagitarent, antiquorum praecipis obseruationibusque neglectis, liberiores in operando & audaciores extiterunt. Sequentium autem designationum A quidem, sicut iam admonuimus, basim titulo inscripto subiectam ostendit: B, nouissimam coronicem, zophorum, epistylumque proponit. Coronice autem pluribus certè rationibus persuasi licentiozem esse iudicamus: Primò nanque, si cum epistylis conferatur, ad nimiam utique altitudinem conscendit: Praeterea membrorum numerosior, quam par sit, multitudo ibidem extat; & mutuli denticuli que praesertim, quorum in eadem coronice exornanda coniunctio & copulatio à Vitruuio tanquam uitiosa reprehenditur atque improbat. Attamen cum egregiè admodum insculpta elaborataque ea esse conspiciatur, cymatium praesertim superius, iurè mehercle laudanda commendandaque uidetur. Quòd si nos coronicem huic perlimilem conficiendam aggredieremur, talem ordinem utique nobis obseruandum proponeremus. Cymatium minus, coronamque maiorem constitueremus, mutulos ne minimum quidem permutandos existimamus, denticulos insculptos nequaquam apponeremus, sed insculpto cymatio contenti duntaxat essemus: Praesens epistylum satis quidem nobis probatur. Duo membra C litera inscripta, mutuli arcui desuper incumbentis frontem & Orthographiam ostendit: Duo item membra E uocali à ceteris seiuncta, alterum arcus incumbam, alterum fasciam inter binas arcus eiusdem columnas discurrentem demonstrat: Arcus incumbam E nota signata, membris locuples admodum & praepotens esse uidetur, quinimo ex eorum multitudine confusio quaedam magis exoritur. Quòd si membra ipsa commodiore & magis accurata distributione inter sese composita ordinataque fuissent, altero quidem insculpto elaboratoque, reliquo autem puro atque simpliciori existente; tunc opus probatiorem ordinem nimirum, & iucundiorum partium omnium distributionem consecutum fuisset. Qua quidem in re Architecti, qui Pantheum olim instaurauit, iudicium admirari suspicereque debemus: nec enim praestantissimus uir in ornamentis appingendis ullam prorsus eorum confusionem induxit. Opera demum, quae sub arcu in inferioribus partibus collocantur, egregiè admodum elaborata, & rectissimè distributa fuisse conspiciuntur: nec enim perturbatas aut confusas obtinent collocationes, quinimo & miros distributionum ordines, & operum copiosos atque insignes ornatus intueri ibidem licet. Verùm ij forsitan, qui Romanis antiquitatibus addicuntur, nos tanquam in praclaris artificum operibus condemnandis liberiores & modestiae fines transgredientes accusabunt: quos, ut orationis nostrae sensum benignè excipiant, & in meliorem partem interpretentur, supplices obsecramus. Ad id enim potissimum omnes ingenij nostri cogitationes referuntur, ut Architecturae ignaros, qui scripta haec monumentaque nostra æquis animis acceperint, eaque attentè ac studiosè perlegerint, scientiae huius principia primordiaque doceamus. Permagni enim interest, utrum antiquorum opera, sicut extant, ad unguem imitati fuerimus, an Vitruuij autoritate suffulti pulchrum à turpi seiungere, & rectum à prauo in ratione aedificatoria seligere ualeamus. Et mehercle Architecti perfectio absolutioque in eo potissimum sita esse uidetur, ne ipse in iudicando fallatur quandoque uel erret; quemadmodum compluribus frequenter euenire uidemus, qui proprijs sententijs pertinaciter insistentes, opera sua ad Romanarum antiquitatum exempla ab eis conspecta dirigerè & conformare tantummodo student: nec de operum rationibus perscrutandis aut cognoscendis quicquam solliciti, id unum sciscitantibus responsum afferre consueverunt, Antiquos ita fecisse, & sic stulti errorum suorum ueniam assequi sperant. Quinetiam (hominum demeritiam obsecro & arrogantiam audite) in ea imprudentes nonnunquam uerba prorumpunt, Vitruuium scilicet humanam conditionem nequaquam exuperasse, & se quoque homines esse ad noua excogitanda inueniendaque insitam ingenitamque proprietatem gerentes: Nec illud miseri attendunt, Vitruuium sese & à doctissimis uiris, qui ea tempestate floruerunt, quamplurima didicisse; & ex studiosa authorum accurataque lectione, necnon ex praestantium artificum operibus frequenter conspectis, & diligenter animo retractatis, innumera propemodum collegisse, subinde testari.




In Velabro prope ædem Diuo Georgio sacram præsens spectatur ædificium, ab argentarijs nempe & boum conductoribus, Lucio Septimio Seuro & Marco Aurelio Antonino Romæ imperantibus, olim extructum: quod ex opere Composito sculpturarum uarietate undique excultum elaboratumque constat. Nec propterea quod zophori epistylijque spatium tabellæ ipsius obfcuratur & præpeditur adiectione, admirari quicquam debemus: Cùm enim multa opus esset conscriptione, zophorus profectò ad eam excipiendam continendamque; sufficere nequaquam uidebatur; ideoque perspicacissimus opifex hac ratione ipsum disposuit construxitque. Nec tamen, cùm perfectam zophori formam in angulis saltem reliquerit, legum Architectonicarum eum oblitum fuisse, operis'ue seriem aut ordinem funditus sustulisse dicemus.






Præsentis ædificij modulos omnes nequaquam hic persequemur : eius nanque acceptę iam à nobis dimensiones itinerum , ut nonnunquam accidere solet, difficultatibus imprudenter amissæ fuerunt . Id tamen è memoria adhuc minimè excidit , spatium uidelicet inter duas pilas medium duodenis antiquioribus pedibus circiter definiri , necnon apertionis altitudinem pedibus uiginti propemodum terminari : Pilarum & Antarum omnium crassitudines simul acceptæ , quadrupedales ac semis circiter esse dicuntur : Epistylio, zophoro , coroniciq̃ue tantundem assignatur . En autem tibi superioris ædificij Ichnographia , in cuius cælo supremoq̃ue ambitu quadrata quindecim numero egregiè admodum insculpta elaborataq̃ue resident.





Subiectæ hæ designationes membrorum ædificij propoliti uenustates ac elegantias sigillatim demonstrant; quæ quidem structura ornamentorum copia & multitudine nulli prorsus Romanarum antiquitatum posthabenda uidentur. Nec enim spatium aliquod signis aut sculpturis uacuum ibi senties adesse, nec operis quippe rationem improbandam existimamus; quinimo singula membra concinnè admodum inter sese respondent, superiori coronice tantùm excepta: quæ propter immodicas excisionum seu sculpturarum profusiones confusa nonnihil perturbataque existit, & infra Ouicium errata duo summa nempe animaduersione digna intueri ibidem licet. Primò quidem inter denticulum & ouiculum nulla prorsus regulæ diuisio interiaret, res ad opera distinguenda ac seiungenda apprime necessaria, præsertim cùm membra omnia excisa insculptaq; fuerint. Deinde (& hoc quammaximè uitiosum censetur) sub denticulo bina opera & forma & sculpturis quamsimillima extant: quod quidem erratum haud tantùm nos in propriorum operum extructionibus summopere effugeremus, uerùm id insuper asseueramus, uitium hoc in ædificando nulla ratione profectò admittendum ferendum'ue esse; quinimo huiuscemodi monstra ab hominum conspectu arceda omnino secludendaque uidentur.

PARTE INTERIORE CHE  
SOSTIENE IL CIELO



DEL CIELO SONO QVADRIXXVII




Triumphalis



Triumphalis hic arcus sub Capitolio iacet atque statuitur, eumque Lucio Septimio Seuero Romæ olim Imperante, eiusque nomine extructum fuisse, ex ipsamet perspicitur inscriptione: quin etiam eundem ex aliorum ædificiorum manubijs constat prodijisse; necnon & totum opus egregijs sculpturis insuper honestatum, & eius latera, frontes, ac terga magnificè admodum instructa elaborataque fuisse conspiciuntur. Arcus hic nempe Romanorum palmorum modulis suos explet commensus, palmis singulis in duodecim digitos, singulisque digitis in quatuor minuta distributis; unde palmus integer in xlvij digitales particulas distinguetur. Arcus quidem mediani latitudo, palmorum xxij & minorum xv ac semis spatio definitur: Arcuum uerò ad latera constitutorum laxamenta, palmorum ix minorumque xxx intercapedine absoluntur: Transuersa autem arcus eiusdem crassitudo, palmos xxij & minuta xxv sibi requirit: Ostiola intra arcus ipsius ambitum collocata, palmorum vij & minorum xxx latitudinem petunt: Pilæ, columnis simul adiunctis, palmorum viij minorumque vij crassitudinem sortiuntur: Teretum columnarum crassitudines bipalmes, minutis xxx superadditis, esse uidentur: Planæque demum columnæ, quæ Antæ dicuntur, minorum xxj crassitudinem obtinent. Arcus hic ad summos usque stylobatas obrutus demersusque latet: Quauis autem nonnullæ partes modulorum explorandorum gratia resectæ à nobis, & ad lucem perductæ fuerunt; stylobatæ tamen ipsius basim, quæ ruinis compluribus difficilioribus, quàm ut amoueri exportarique possint, occultatur, dimetiri nunquam ualimus. Subiecta autem lineæ, Romani palmi dimidiam partem ostendit.



## SEPTIMIANI ARCVS ICHNOGRAPHIA.




Aræ præsentis arcus modulos omnes, tam latitudinum scilicet quàm crassitudinum, iam expediuimus: nunc ad altitudinum symmetrias persequendas accedamus. Medianus quidem arcus in palmorum xlv minorumque trium, arcus uerò ad latera utrinque consistentes in palmorum xxv altitudinem educuntur: Stylobatæ in palmos denos circiter attolluntur: Columnæ bipalmes & minorum xxxj insuper

insuper, quemadmodum diximus, crassitudinem partibus inferioribus obtinent, at superæ partes bipalmarum & minorum xvj tantummodo crassitudinem fortiuntur; earumque altitudines ad palmos xxiij & minuta xxv conscendant: Epistylum in palmum unum minutaque xxx, zophorus in palmum unum minutaque tria, coronix denique in palmos duos minutaque xiiij eriguntur: Plinchi superioris crucis imagine designati altitudo, ad minuta xxix pertingit: Basis ei mox succedentis altitudo, semipalmaris existit: Suprema demum coronix, in palmum unum minutaque duo sursum contendit. Singula membra deinceps sequenti pagina & uberius explicata, & ampliori quoque exactiori que forma descripta designataque comperies.

IMP. CAES. LVCIO SEPTIMIO, M. FIL. SEVERO PIO.  
PERTINACI AVG. PATRI PATRIAE PARTHICO ARABICO,  
ET PARTHICO ADIABENICO PONTIF. MAX. TRIBVNIC.  
POTEST. XL. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET IMP. CAES.  
M. AVRELIO. L. FIL. ANTONINO AVG. PIO FELICI  
TRIBVNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS. P. P.


OPTIMIS, FORTISSIMISQUE PRINCIPIBUS  
OB REMPVBLICAM RESITVTAM IMPERIVMQ. POPVLI  
ROMANI PROPAGATVM INSIGNIBVS VIRTVTIBVS  
EORVM DOMI FORISQUE S. P. Q. R.



Triumphalis



Triumphalis arcus in Lucij Septimij gratiam olim extructi tum latitudines, tum altitudines etiam fatis superque expositæ declarataque fuerunt: modò singulorum membrorum explicationem aggrediemur. Verùm, quemadmodum iam diximus, stylobatæ ipsius basim nequaquam profectò dimetiri potuimus; at eam stylobatæ, cuius altitudinem decempalmarem circiter esse determinauimus, superiorem coronicem adæquare coniectamus: quapropter cum summa coronix in palmum unum attollatur, parem basi quoque altitudinem tribuamus. Membrorum autem prædictorum typos in subsequentijs designationibus G littera inscriptos expressimus: Columnæque ipsius basim proximè ibidem F littera notatam offendet: cui quidem basi præter eius plinthum alium adhuc inferiorem laterculum subiecerunt, ea forsitan ratione compulsi, ut columnæ ad tantam per sese altitudinem conscendendam nequaquam sufficientes, plinthorum duorum substratorum adminiculo opitulante, ad eam commodius tutiusque peruenirent. Capitulum autem minimè hic apposuimus: quarto enim uolumine mox sub Compositi ordinis incipiente pertractatione, capitulum huic omnino persimile descriptum, & C littera à reliquis designationibus seiunctum reperies; nanque præsentis quoque arcus constructio Compositi operis speciem redolere uidetur. Epistylum palmi unius minorumque xxx altitudinem scandit: Zophorus in palmum unum minutaque tria sublimis ascendit, qui cum sculpturarum multitudine præstet, humiliorem certè, quàm par esset, altitudinem est affecutus. Zophorus enim (si Vitruuij authoritatem sequamur) quartæ partis adiectione epistylis ipso altior constitui debet, hic autem humilior quàm ipsummet epistylum esse conspicitur. Coronix bipalmarem & minorum xiiij insuper altitudinem petit, quæ, si cum membris cæteris conferatur, altior præter æquum & bonum esse uidetur; eiusque magnitudo, proiectura altitudinem exuperante, longè amplior utique apparet. Quapropter ex membrorum asymmetrijs atque inconcinnitatibus arcum ex uarijs aliorum ædificiorum exuuijs compactum olim fuisse iudicamus. Epistylis autem coronicisque typum, littera B indicante, subiunximus. Basis supra coronicem mox constituta, semipalmarem altitudinem obtinet: Supremæ demum coronicæ, palmi unius duorumque minorum altitudo contingit: quæ etsi longius extra reliquarum operis partium fines metasque procurrit, tantum abest ut eam improbemus, ut & ipsam summopere laudandam, & Architecti iudicium quammaximè commendandum potius existimemus. Vehementior etenim proiectura, coronicis speciem è loco inferiori eam contemplantibus longè maiorem & ampliorem ostendit: cumque materiæ parum in eius confectionem infumatur, proiectura deinde supplente, ædificio & minor operisio & maior dignitas simul accedit. Hincque Architecti iudicium elucescit: si ei nanque coronix aliqua in altum extruenda committatur, nec ipse ædificium opprimere aut uè ponderis labefactare uoluerit, uel si fortè lapidum operi congruens magnitudo ipsi defuerit; coronicis proiectura longius educta, mox perbellè sibi ipse prospiciet. Huiusmodi autem coronicis dispositionem ex A designatione intelligere licet. Coronix deinde maiorem arcum excipiens, C nota indicatur, cuius proiecturam hoc loco minimè comprobamus: quinimo nos coronicis huiusce proiecturam quadrato ipsius minorem constituissemus, ne ea arcus prospectum nobis quandoque contenderet aut præpediret. D, fasciam à columna ad columnam perductam, & minorum arcuum utriusque desuper imminentem ostendit, quæ C coronicæ iam dictæ perbellè quidem respondet. Coronix E demum minoribus arcubus sustinendis inseruit, quæ sima pressaque admodum esse uidetur, nec eam nos talem utique effecissemus. Coronices nanque, quarum coronæ iustam & conuenientem proiecturam haud affecutæ fuerunt, inuenustæ quammaximè & inconcinnæ esse conspiciuntur: quinimo coronicis elegantia atque uenustas in eo potissimum sita esse censetur, ut corona iustam altitudinem iustamque proiecturam sit affecuta. Quapropter illud tanquam communissimum præceptum statuimus, coronis scilicet maiorem altitudinem quàm simis, quas rectas gulas passim nostrates appellant, esse tribuendam, coronarumque insuper proiecturas earum saltem altitudinibus esse adæquandas: Idque pro comperto habeas uelim, ita dispositas atque instructas coronices peritioribus Architectis uehementer placituras. Et hoc nempe tanquam rem maximi certè momenti, ut iuniores artifices tum in operando tum etiam in iudicando cautiore atque prudentiores existant, haud iniuria hic admonuisse uidemur.





In agro Neapolitano, Romæ scilicet ac Neapoli medio existente, complures extant antiquitates: præcipue nanque Romani regionibus illis, propter earum amœnitates atque delicias, mirificè quidem delectabantur. Quapropter cum præfens arcus & illustris & integer quoque, necnon in propatulo ac celeberrimo loco constitutus resideat, cæteris arcibus à Romanorum gente olim extructis hunc etiam annumerandum esse iudicamus. Benevento autem citra Neapolis ipsius urbem arcus hic, de quo in præsentia sermonem habemus, constructus reperitur: eiusque dimensiones brachiali quadam mensura à recentioribus excogitata, cuius quintam partem infra apposuimus, ab authore iandiu definitè exploratæque fuerunt. At nos Latinæ orationi ac puritati inseruientes, modulos brachiales, dupla proportione tantùm ad pedales



dales expeditis imè redigemus; lineamque expositam tanquam duas pedis unius quintas significantem accipiemus. Subiecta igitur figura prædicti arcus refert Ichnographiam: qui quidem in cuius gratiam compositus olim fuisse dicatur, ex subscripto titulo clarissimè habetur. Verùm ad eum dimeciendum iam accedamus. Arcus pedum  $xvj$  latitudinem habet: Columnarum crassitudo bipedalis existit: Quæ ad arcus ipsius latera consistunt antepagmenta, tantundem aliud crassitudinis fortiuntur: Intercolumnia sexpedalia esse uidentur: Arcus apertionis suæ altitudinem latitudine duplo maiorem assequitur: Stylobatæ basis unà cum plintho accepta tripedalem, duabus tertijs minutisque duodecim superadiectis, altitudinem obtinet: Simplexque stylobata in quinquepedalem, duarum tertiarum minorumque; duodenum comitatu, altitudinem conscendit: Coronis deinceps altitudo pedalis ac semis existit: Columnæ ipsius basis pedalem, sexta parte insuper addita, altitudinem petit: Columnæ scapus, basi capituloque detractis, in pedes  $xviij$  duasque tertias præterea sublimis ascendit, imaque eius crassitudo bipedalis existit; summa uerò eiusdem crassitudo sexta parte circiter contrahitur: Capitulum tripedalem fermè altitudinem obtinet: Epistylum bipedalem ac semis, zophorus bipedalem & quincuncem, coronique demum bipedalem ac semis, media uncia superadiecta, altitudinem occupat: Plinthus coronici superincumbens tripedalem, uncia una dimidiaque superaddita, altitudinem explet: Basis plintho superior, in pedalem altitudinem & dextantem ascendit: Tituli inscriptio octopedali altitudine trienteque definitur: Suprema coronis bipedali altitudine tribusque minutis insuper continetur: Arcus denique incumbæ, pedali altitudine terminantur.

Brachialis mensuræ genus, quo Serlius propositum arcum perlustrauit, in uncias duodecim ab eo distribuitur, singulæque uncia in quinque minuta diuiduntur; adeò ut integra brachialis mensura uncias  $xij$ , &  $lx$  complectatur minuta: cuius quidem subiecta linea in  $xij$  minuta dissecta, quintam partem ostendit. At nos, ne barbarè, sed latinè & accuratè loquamur, singulos brachiales generis huiusce modulos in bipedales permutantes, pedi unicuique duodecim item uncias & sexaginta minuta pariter tribuemus, brachialem unciam unamquamque in binas uncias pedales, & singula brachialia minuta in duo minuta pedalia resoluentes, lineamque expositam duas pedis unius quintas referre asseremus.






Beneventani arcus, quem nuper iam designauimus, ornamenta ad uerorum propriorumque similitudinem quamproximè accedentia nunc conscribemus. Stylobatæ ipsius basis coronixque, F nota hic monstrantur: quæ quidem membra & artificiosè extructa, & ad coronices cohonestandas imprimis apta esse uidentur. Stylobatæ basis, plintho ei substante simul accepto, tripedalem, ut suprâ iam diximus, duarum tertiarum duodenumque minorum insuper adiectione, altitudinem obtinet; Coronixque pedalem ac semis altitudinem petit: Columnæ basis pedali, sexta parte superaddita, altitudine gaudet, & ex opere Corinthio simpliciter constat, columnæque ipsius rationi perbellè respondet, quemadmodum ex E designatione quiuis percipere potest. Capitulum autem, cum quarto uolumine sub Compositi ordinis exordio capituli genus quoddam huic omnino persimile descripsimus, hic nequaquam apposuimus: arcus  
 nanque



nanq; presentis constitutio ex Cōposito genere deriuatur. Epistylū, zophorus, coronixq; quæ columnæ superinducuntur, C litera separatim notantur, mēbraq; hæc reliquo ædificio quamoptimè certè respondent. Quauis enim coronix, cūm altior aliquātulū existat, à Vitruuiana regula atq; institutione desciscat, mēbro rū omniū tamē iustissimā seruat proportionē: nec prauā aliarū passim coronicū, quæ mutulos denticulosq; nefandā profectō atque in rōne ædificatoria detestabilē, ut aliās diximus, societate cōiungunt, cōsuetudinē imitatur. Prudens nanque Architectus etsi coronici huic denticuli formam apposuit, denticulos tamen, ut uitium prædictum effugeret; nequaquam insculpsit. Idem quoque Architectus ille, qui Pantheum olim instaurauit, in prima atque interiori delubrorum templum circumambientium coronice formanda ac statuenda, meditatus fuisse uidetur. Quapropter quicumque sese Architectum profiteretur, ne in adeo obscæna quandoque prolabatur errata, diligenter attendet: neque aliorum Architectorum exempla paulò liberiora secutus hanc erroribus suis excusationem adhibebit, antiquos uidelicet ita fecisse, & idcirco sibi quoq; idem licere. Quauis enim nonnulli hac ratione frequentius uti consueuerunt, cūm tot celeberrimos Architectos haud in Italia tantūm, uerūm in cæteris quoque regionibus compluribus coronices, mutulis denticulisque simul insculptis, construxisse uideamus, morem iam inualuisse, atq; in consuetudinem legemq; perpetuam haud immeritō defluxisse: Nos tamen hanc ædificandi rationem nec in proprijs operibus componendis unquam amplecteremur, nec alijs eam sectandam imitandamque suaderemus. Basis inscriptioni substantis plinthus, qui coronice superior existit, & B signo à cæteris separatur, tripedalem, quadrante superaddito, altitudinem obtinet: Basisque ipsa plintho mox succedens, pedalem & dextantis insuper altitudinem habet: Inscriptionis spatium octopedalem & trientalem præterea altitudinem petit: Coronix demum superior bipedali ac semis altitudine definitur. Verūm basis inferior cūm parum proiecturæ obtinuerit, infernè eam contemplantibus optimè respondere uidetur. At superior coronix, de qua nunc sermone habemus, si cum titulo inscripto conferatur, ad nimiam utique prouehitur altitudinem: quæ si esset humilior, ipsaq; corona maior insuper ac prominentior existeret, aspectui forsitan iucundior foret. Quòd si, sculpturis parcius distributis, membra eo ordine eaq; distinctione sibi mutuò succederent, ut alterum purum ac simplex, reliquum uerò sculptum atque elaboratum fuisset; opus maiori adhuc laude atque commendatione dignum profectō extitisset. Verumenimvero complures perspiciuntur Architecti, qui & populi gratiam aucupantes, & ineptijs suis fucos adhibere studentes, sculpturis omnia complent: nec illud mihi seri intelligunt, sese, sculpturarum multitudine apposita, & operibus suis confusionem atque errorem inducere, & formarum ipsarum decorem atque elegantiam polluere. Quòd si solidorum & simplicium operum constructiones hactenus unquam à summis uiris magni habitæ æstimateque fuerunt, hac tempestate id certè contingit. Postrema demum figura D litera inscripta, arcus incumbas ostendit; in quo quidem membro nihil est, quod iure reprehendere possis: è corona autem in fasciam arcum ipsum, ut ex propria habetur designatione, circumambientem permutatur, pedalemque altitudinem obtinet. Quauis autem præsens incumbarum designatio sculpturis omnino sit destituta, illas tamen insculptas fuisse meminimus: at in earum forma specieque conscribenda, sculpturarum exprimentarum obliuio nos utique cepit.






Haud procul à Romano Amphitheatro, quod vulgus Colosseum appellat, insignis nempe extat arcus, compluribus quidem ornamentorum generibus, statuarumque collocationibus, necnon historiarum uarietatibus excultus atque refertus; Constantinoq; Imperatori dedicatus olim fuisse memoratur, Traesiumq; arcum eum homines passim appellant. Quauis autem ipse tum ruinarum confectionibus, tum terræ quoq; accessionibus maxima quidem ex parte obrutus demersusque lateat: attamen aded sublimis ac arduus effertur, ut eius uacue transitiones, cæq; præsertim, quæ ad latera statuuntur, duorum quadratorum altitudines excedant. Arcus hic, ut iam diximus, aspectui quippe iucundus & præclarus existit, necnon ornamentorum & sculpturarum copia ac multitudine præstat: At coronices, de quibus sequenti pagina mox differemus,



differemus, etsi sculpturis sunt admodum copiosæ, nec formam tamen elegantiore, nec satis aptam dispositionem assecutæ fuisse uidentur. Palmis autem Romanorum antiquioribus, quorum modulos in Thermarum Antonianarum superiori designatione iam figurauimus, palmaribus insuper minutis concurrentibus, arcuatum hoc opus sumus olim dimensi. Et primum quidem Ichnographiam hic præmittemus. Maior arcus palmorum xxij & minorum xxiiij; Arcuum autem minorum uterque, palmorum xj minorumq; xj ac semis latitudinem obtinet: Pilæ palmorum ix & minorum iiij crassitudine finiuntur: Laterum arcus ipsius crassitudo palmorum xxij ac semis existit, adeo ut pars arcus eiusdem interior quadrati perfectioris intercapedinem propemodum sortiatur: Stylobatæ tripalmarem & minorum xxix insuper, Columnæque bipalmarem & minorum xxvj præterea crassitudinem complectuntur: Columnæque à summo ad imum strijs distinctæ insignitæque fuerunt; exactamq; suam rotunditatem, columnarum oppositarum obiectu interueniente, sunt assecutæ.


### ARCVS CONSTANTINI ICHNOGRAPHIA.



Propositi arcus latitudines crassitudinesque iam expositæ declaratæque fuerunt, modo eiusdem altitudines persequemur. Stylobatæ quidem basis, plintho simul adiuncto, palmi unius minorumque xxx altitudinem explet: Stylobata absque membrorum suorum adiectione seorsum acceptus, palmorum vij & minorum v altitudine terminatur: Eiusque coronix in minuta xlij sublimis assurgit: Plinthi basi columnæ ipsius substantis altitudo, minorum xxxij altitudinem æquat: Ipsaque basis in minuta lx educitur: Columna, basi capituloque deductis, palmorum xxvj & minorum xxv altitudinem petit: Capitulo bipalmaris & minorum xxxv altitudo contingit, eiusque forma ad Compositum genus spectare uidetur: Epistylidium palmi unius & minorum xj altitudinē habet: Zophorus epistylio ipso longè humilior quidē existit, at sculpturarum

sculpturarum uenustate & elegantiâ præstat: Coronix demum in palmi unius & minorum **xxi** extollitur altitudinem. Plinthe deinceps, qui secundo ordini superas partes agenti subternitur, altitudo tripalmaris, minutis **ix** superadditis, extat; ab eoque ad supremæ coronicis apicem pedes **xii** medii intercedunt: At coronicis ipsius altitudini metiendæ, minuta **xxiii** ascribuntur. Stylobatarum deinde summæ coronicis insistentium moduli, nequaquam à nobis explorati fuerunt; iisque simulachra nonnulla desuper imminebant. Quinetiam coronicis inferiori **B**, statuæ quædam superpositæ, quaternis pilis innitebantur: quarum imaginum uultus habitusque, captiuos, de quibus triumphus agebatur, exprimebant. Literæ tandem subiectæ, supra arcum in spatio **A** descriptæ comperiuntur, necnon complures aliz insuper diuersis arcus eiusdem spatii impressæ leguntur.

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAX. P. F. AVGVSTO. S. P. Q. R.  
 QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS MAGNITVDINE  
 CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO, QVAM DE OMNI  
 EIVS FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS REMPUBLICAM VL-  
 TVS EST ARMIS ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.






De arcus in Constantini gratiam olim extracti proportionibus ac symmetrijs abundè, ni fallor, peregrimus: modò ad coronices sigillatim explicandas dimetiendasque accingemur. Basis F litera inscripta, stylobatæ ipsius arcus fulciendo supponitur, quæ palmi unius minorumque xxx altitudine definitur: Plinthi basi substantis altitudo, ad minuta xxviii conscendit: Quod reliquum spatij deinceps habetur, membræ stylobatæ ipsius, ueri exemplaris formam secuti, iustissima ratione diuisimus ac distribuimus: Stylobatæ coronix sub basi, quæ E nota distinguitur, constituta minorum xlii altitudinem petit; & eadem prorsus, qua hic descripsimus, ratione distributa fuisse uidetur: Plinthus basi columnæ ipsius substratus, quem ad columnas extollendas potius quam ob usum aut necessitatem aliquam ibi appositum iudicamus, minorum xxxi altitudinem explet: Basisque uniuersa in minuta liii conscendit: Columnarum capitulorumque altitudines cum iandudum exposuerimus, haud est cur eas denuò repetamus: Capitulorum autem formas atque dispositiones, cum quarto uolumine in Compositi ordinis pertractatione capitula nonnulla his omnino consimilia habeantur, consultò nunc prætermittimus: Epistylj item, zophori, coronicisue altitudines iam declaratæ fuerunt. Ipsaq; coronix castigata admodum, nec adeò profusa soluta'ue, ut alia forsitan in arcu eodem conspectæ coronices, esse uidetur: quales arcus mediani incumbæ C litera inscriptæ utique existunt, quæ & formæ amplitudine, & membrorum insuper multitudine summam atq; primariam coronicem excedunt; membraque ipsius confusa implicitaque esse conspiciuntur; eaque præsertim, quæ simul aptari coniungi que minime possunt, quemadmodum denticuli mutuli que, perperam hic commixta & consociata fuerunt. Quinetiam si denticuli hic nulli extitissent, coronicis tamen modus ratioque ad arcum extollendum nequaquam apta idonea'ue fuisset. Qua quidem in re artificis, qui Marcelli theatrum olim construxit, industriam & solertiam quammaximè commendamus: arcuum nanque ibi circumductorum incumbas elegantiores & accuratius, quam aliàs unquam uiderimus, compactas esse, affirmamus; ex ijsque operum consimilium expediendorum rationes deduci & colligi optimè possunt. Minorum arcuum incumbæ D litera inscriptæ, ad palmi unius minorumque xxiij & semis altitudinem educuntur: quæ, si duo illa plana inter astragalum superiorem & ouicium seu echinum inferiorem constituta in unum tantummodo planum conuenissent, quod aptam sibi que congruam nactum proiecturam plinthi coronæ'ue locum obtinuisset, aspectui longè suauiores & iucundiores certè extitissent. Basis A secundo ordini substituta, in minuta xvj duntaxat attollitur: Supremaque tandem coronix in minuta xliij conscendit. Quæ quidem coronicis altitudo, si maximi interualli spectes rationem, humilior profectò uideretur, nisi uehementior proiectura maiorem ampliorem'ue eius speciem reddidisset: cum enim in sublimi loco editam homines ex inferiori parte contemplantur, proiectura uehementius deinde excurrente, longè maior, quam sit, ab intuentibus iudicatur. Et mehercle coronicis huiusce modus ac dispositio quammaximè nobis probatur: omnesque coronices insuper ea ratione extractæ, ut coronarum proiecturæ quadratis earum arcis maiores amplioresque existant, præterquam quòd aspectui uenustiores atque concinniores esse uidentur; cum ex leuiori quoque nec tam uasto crasso'ue lapide constituentur, substantibus ædificijs faciliore pondere incumbunt, eaque minori detrimento & incommodo afficiunt. Nec tamen Architectis in proiecturis educendis immodicam libertatem, & effusorem licentiam idcirco permittimus.

Verum quicumque rei huiusce plenam & exactam cognitionem assequi concupierit, Vitruuium de Ionicis Doricisque coronis uberrimè differentem audiat atq; percurrat.






Extra Anconæ ipsius urbem ampla quædam portuque superior moles in pontum excurrit, quæ immodicis sumptibus & maxima artificum manu ad naues ab Euri ac Subsolani flatibus uehementioribus defendendas, & incolumes conseruandas fuit olim perducta: In summaq; eius parte aquas despectante triumphalis arcus è marmore constans, Corinthium opus simpliciter, extat; nec præter capitula egregiè quidem elaborata aliæ uisuntur sculpturæ: eaque ibi adest uenustas ac symmetria, isque membrorum omnium cum integra ædificij structura habetur consensus & harmonia, ut etsi quis artem attingere nequaquam ualuerit, pulchritudine tamen mirificè delectetur: quicumque uerò artificium probè intellexerint, haud solùm, tanta cunctarum partium symmetria & conuenientia perspecta, contenti discedent; uerùm opifici insuper ipsi, qui tam eleganti & accurata ædificij distributione ab eo excogitata præclaram addiscendi proficiendiq; occasionem



occasionem posteritati reliquerit, quamplurimum sese debere fatebuntur. In operis autem huiusce ornamentorum generibus Corinthium ordinem tam diligenter obseruatum, & usq; adeò expressum comperies; ut, quem cæterorum arcuum cum hoc conferre possis, haud facillè inuenias. Quinetiam ipse ob partium solidissimam compactionem adhuc in integritate sua incolumis persistit, etsi complura certè in eo desiderantur ornamenta. Insignem hunc arcum, quantum iudicare fas est, Nerua Traianus instituit: cuius simulachrum truci ac terribili uultus specie, populos scilicet Marte ab eo superatos, ne quandoque ab ipsius imperio desciscerent, admonente, summo arcu equo memorant infedisse; & signum tum ex ære conflatum, tum egregiè insculptum elaboratumq; prædicant extitisse. Inter columnas autem supra coronicem E litera designatam, literarum ibi impressarum sensu hoc denotante, statuarum nonnullæ æneæ consistebant. Quædam etiam foraminum uestigia sparsim conspiciuntur, quæ æneos fasciculos aut alia huiusce generis ornamenta ex ære conflata olim ibi fuisse testantur: quæ quidem omnia à Gottis, Vandalis, alijsque feris & immanissimis gentibus direpta deinde exportataq; fuerunt. Præsens arcus pede Romanorū antiquo, cuius tertiâ partē in thermarū Diocletianarū pertractatione supra iâ designauimus, suos explet cōmensus: eiusq; Ichnographiam primū hic infrâ statuemus. Arcus quidem intercapedo, decempedalem latitudinem obtinet: Interior eius crassitudo, pedibus ix minutisque duobus continetur: Columnæ bipedali & minorum xj crassitudine finiuntur: Intercolumnia septempedalia, minutis v superadditis, extant: Columnæ pedem unum minutaque xj extra solidum ipsum procurrunt: Arcus eiusdem apertio pedum xxv tertiâque partis insuper altitudinem petit: Nec tanta utique altitudo, quanuis cum decempedali nuper exposita latitudine collata duorum quadratorum spatium excedit, si totam molem uno obtutu simul aspexerimus, uisui molestiæ aut incommodi quicquam affert: Stylobatæ, coronicibus simul adiunctis, quinquepedalem altitudinem sortiuntur; eorumq; latitudo tripedalis & minorum xv ac semis existit: Basis, si plinthum quoque substantem addideris, pedali & minorum xxxvj altitudine clauditur: Columnæ scapus ad capituli initium usque pertingens, in pedes xix minutaque xxij ac semis attollitur; eiusdemq; crassitudo sub capitulo constituta, pedis unius & minorum lvj spatio continetur: Capitulum, abaco simul accepto, bipedali & minorum xxiiij insuper altitudine terminatur; quorum abaco minuta x contingunt. Capituli autem designationem quarto uolumine sub Corinthij ordinis exordio explicatam offendes: Epistylum in pedem unum minutaque xii, zophorus in pedem unum minutaque xviii, coronix demum in pedem unum minutaque xxi sublimes ascendunt: Plinthus deinceps coronici superincumbens, pedis unius minorumq; sex ac semis altitudinem æquat: Basis plintho mox succedens, minorum xxx altitudinem explet: Inscriptionis spatium ad summæ coronicis initium conscendens, in pedes senos minutaque xxi effertur. Summam autem coronicem, ut uerum fateamur, dimensū minimè sumus.


## ANCONITANI ARCVS ICHNOGRAPHIA.



Angulares hæ literæ in intercolumniorum spatijs, alteræ nempe in dextero, cæteræq; in sinistro intercolumnio sunt reponendæ.

PLOTINAE  
AVG.  
CONIVGL. AVG.

DIVAE  
MARTIANAE  
AVG.  
SORORI AVG.





De Anconitani arcus symmetrijs satis iam locuti fuiffe uidemur. Nunc uerò, ut coronicum membra facilius expeditiusque intelligantur, eorum typos separatim conscribemus, ab infimis partibus, quæ primæ è latebris sese exerunt & attolluntur, exordium sumentes. Stylobatæ G litera inscripti, eius coronicibus quoque simul assumptis, altitudo quinquepedalis existit: Plinthus basi stylobatæ ipsius substratus, minorum xvij altitudine definitur: Basisque mox succedens minorum xix, tertia parte superaddita, altitudinem petit: Stylobatæ eiusdem coronix in minuta xx, tertiamque partem amplius ascendit: Tantundem arulæ, quæ basi F substernitur, etiam contingit; quam quidem arulam ob columnas excitandas adiectam putamus: nec indecora tamen uidetur, cum opusculo quodam circumambiente & satis eleganti, quod eam à basi ipsius plintho fecernit, eniteat. Basis autem cum ex Corinthio opere tota simpliciter constet, mirifice nobis probatur: eaque, limbo seu apophygi simul accepta, minorum xliij altitudinem explet: Eademque basis insuper minorum xvj ac semis obtinet proiecturam: Stylobatæ crassitudo tripedalis & minorum xj ac semis existit: Columna deinceps bipedalem & minorum xj crassitudinem habet: Eiusdemque canaliculi extra solidum procurrentes, tredecim numerantur, singulique minorum vij ac semis latitudinem assequuntur: Regulæque eos separantes ac distinguentes, minorum duorum ac semis spatio terminantur: Capituli, si Abacum dempseris, altitudo columnæ imam crassitudinem æquat; ipsumque pulcherrima nempe forma instructum conspicitur. Ex quo Vitruuium codicem perperam deprauateque legi suspicamur, & Vitruuium capitulum, abaco dempto, imam columnæ crassitudini adæquandum uoluisse existimamus: pleraque enim capitula à nobis conspecta atque dimensa sine abaco prædictam altitudinem assequi, columnæque crassitudinem nonnunquam excedere sensimus; quod in Panthei ipsius capitulis, quorum exemplum sub uoluminis huiusce initijs pagina 91 B inscriptum notauimus, clare admodum perspicitur. Epistylum columnæ superincumbens pedalem ac minorum xij, zophorus pedalem minorumque xvij, coronixque pedalem & minorum xxii altitudinem fortiuntur; ipseque zophorus A litera inscribitur: Plinthus coronice superior, in pedem unum minutaque sex ac semis attollitur: moxque Basis succedens minuta explet xxx: Spatium tituli monumentum excipiens, in pedes senos minutaque xxij conscendit, ibique crux figurata conspicitur: Arcus incumbens D consonante inscriptæ, pedis unius & minorum xv altitudine gaudent: Superioris autem coronicis modulus ignoramus: Mensuræ cuneiue, quomodocumque ipsum nuncupare libuerit, supra arcum extantis altitudo, tripedalis minorumque xxx esse uidetur; parsque eius superior pedem unum & minuta xiiii insuper, inferior uerò pedem unum tantummodo extra solidum ipsum egreditur atque procurrit, & signi

3 appositione à nobis notatur. Pusilla & oblongiora tetragona quaternario numero definita, quæ, desuper incumbentibus coronicibus, inter columnas media collocantur,

ad dimidiata signa imposita sustinenda excogitata fuisse putantur: eorumque ty-

pos, signo E indicante, expressimus, necnon Orthographiam & scal-

pturas eorundem subieciimus; egregiis etenim operibus ad centrum

usque propemodum referta atque elaborata fuerunt. Coroni-

cis superstructæ altitudo, minutis xxxii definitur. Nos

quidem altitudines omnes, singulasue proiecturas

nec membratim, nec exquisitè persecuti hic fu-

mus: ueruntamen, ut eas è propriis

exemplaribus ad minores huiusce

modi formas iustissima ratio

ne traduceremus, quam

plurimum certè

laborau-

mus.

Ad commensus autem accipiendos pedem

Romanum antiquiorem, cuius ter-

tiam partem in Thermis Dio-

cletianis explicandis pagi


na 161 iam designau-

mus, hic adhi-

buisse uide-

mur.





Pola, præclarum Dalmatiæ oppidum, compluribus nimirum antiquitatibus præstat: præter enim Theatrum atque Amphitheatrum, quorum utrunque supra declaratum iam fuit, alia quoque ibi passim conspiciuntur ædificia, quibus tamen hic supersedendum existimamus. Verùm triumphalis quidam arcus Corinthio opere perfectus, & varijs ornamentorum, tum signorum uidelicet, tum foliorum, tum nouitatum complurium generibus locuples & copiosus ibidem extat: cuius, si ab infimis stylobatis ad superas partes gradatim ascenderis, nullum opus nullum ue spatium, quin tam frontes quàm latera, itemq; crassitudines interiores gerat insculptas, uacuum prorsus offendes. Quinetiam sub ipsomet arcu tot adeoque uaria sculpturarum genera resident, ut, si omnium designationes essent nobis sigillatim constituendæ, immensum utiq; spatium,




spatium eæ sibi requirerent & postularent, Quapropter ne curiosi fortè prolixioresque uideamur, superuacaneis reiectis partes eas tantummodo, quarum inuentiones ac symmetriæ insignes Architecto præstabant utilitates, in præsentia attingemus, Arcus Ichnographiam primùm subiecimus, ad eumq; dimetiendum nouo quodam recentiorum pedum genere, cuius tertiam partem hic perscriptam intueris, usi fuimus. Arcus primùm apertio pedum xij ac semis latitudinem, pedumque xxj circiter altitudinem obtinet: Interior pilarum, quæ ad arcus latera constituuntur, crassitudo quaternis pedibus definitur: Columnæ singulæ pedalem & dodrantalem, semiuncia superaddita, crassitudinem assequuntur: Intercolumnia pedis unius & quadrantis, semiunciæq; insuper distantia terminantur: Arcus eiusdem antepagmenta, pedis unius & sextantis latitudinem æquant: Plinthi, qui basi stylobatæ ipsius substernitur, altitudo pedalis existit: Basis trientalem altitudinem habet: Stylobatæ quadratum, tripedalem; eiusque corona, trientalem altitudinem explet: Plinthus columnæ basi substratus trientalem, columnæque ipsius basis dextantis, unciæ unius quadrante superaddito, altitudinem petunt: Columnæ scapus in pedes xvj & unciam, quartæ partis adiectione, confurgit: Capitulum in pedes binos unciamq; unam effertur: Epistylum pedis unius unciæq; unius, zophorus pedis unius & sextantis, Coronæ pedis unius & dextantis altitudine finiuntur: Plinthus coronici superstans, in pedem unum & sextantem attollitur: Stylobatæ ipsius basis unà cum plintho basi superimposito, pedis unius & sextantis altitudinem sibi uendicat: At basis absque plinthi adiectione seorsum accepta, dextantis tantummodo altitudinem obtinet: Simplex autem stylobata bipedali & sextantis insuper altitudine continetur: Eiusque corona ad semipedis unius altitudinem duntaxat effertur: Superior tandem scotia, quam Vitruuius Litem coronam appellat, quincunce, ni fallor, altitudine clauditur. Et tot quidem de subsequenti arcus symmetrijs dicta sufficiant.

Linea exposita trientalem pedis quantitatem designat: Pedesque singuli in duodecim, quæ unciæ uocantur, partes distribuuntur: tertiæque pedis huiusce extensioni quatuor unciæ tantum contingunt.



POLENSIS ARCUS ICHNOGRAPHIA.



Subiecti quidem areus symmetriæ iam exploratæ fuerunt: At sequenti pagina singula membra tum ubi rursus pertractabuntur, tum proprijs designationibus clarius ostendentur. Grandiusculæ autem hæc literæ primùm in zophoro Y insculptæ conspiciuntur.


## SALVIA. POSTVMA. SERGI. DE SVA PECVNIA.

Subsequentes hæc literæ deinde, quæ maiusculæ item existunt, in tribus stylobatis, quos X, H, & A nominis inscriptos intueris, incisæ impressæque fuerunt.

L. SERGIVS. C. F.  
AED. II. VIR.


L. SERGIVS L. F. LEPIDVS  
AED. TRIB. MIL.  
LEG. XXIX.

C. SERGIVS. C. F. AED.  
AED. II. VIR. QVINQ.





Polensis quidem arcus communiore modulos iam absoluimus, eiusque formam unà exposuimus, necnon elegantissima sumptuosaque eiusdem ornamenta aliqua ex parte saltem attigimus: Nunc uerò proprios membrorum modulos aperire & patefacere contendemus, ab eoque primùm, quod supra tellurem priores obtinet collocationes, exordi emur. Plinthus stylobatæ ipsius basi substratus in pedem unum excitatur, quanuis alter longè excelsior, obrutus tamen atque depressus, subsideat: Cymatium autem plinthe superincumbens unà cum astragalo, ad trientalem altitudinem pertingit: Stylobatæ quadratum tripedale, superiusque eius cymatium trientalem altitudinem obtinet: Plinthus columnæ ipsius basi suppositus, trientalis item existit: Ipsa; columnæ basis dextantis altitudinem æquat, sculpturisque egregiè admodum elaborata esse uidetur; & quanuis Doricam formam præferat, sculpturarum tamen elegantia ad Corinthium opus magis declinat: Columnæ à summo ad imum usque striatæ conspiciuntur, & extra solidum ipsum procurrunt, quemadmodum ex apposito schemate apparet: Capitulum, abaco simul accepto, ad bipedalem, uncia; unius adiectione, altitudinem pertingit, eiusque separatim altitudo columnæ crassitudinem utique excedit; perelegans illud quidem, oculorumque sensui perbellè respondens, necnon sculpturarum pompa & fastu, quemadmodum ex propria constat designatione, magnificè instructum. Hanc autem Corinthiorum capitulorum ad columnas ratione & symmetriâ aspectui semper iucundiorè, quàm si eorum, abacis simul acceptis, altitudines columnarum crassitudines adæquarent, futuram existimamus. Et quanuis Vitruuius postremam hanc capitulorum formam atque dispositionem cæteris prætulisse uideatur: tamen, ut aliàs diximus, Vitruuiani codicis lectio deprauata forsitan esse posset, quod eo præsertim exemplo comprobatur. Si nanque capituli Corinthij constitutio, quemadmodum author idem testatur, ex uirginalis oris statu habituque profuxit, uirginalis quippe faciei rectè compositæ altitudinem latitudine ipsa maiorem existere omnibus constat: capitulumque ad hanc similitudinem excogitatum propter calathum monumento superimpositum, testa quinctiam, quæ abacum significat, in summo uertice collocata, ad maiorem adhuc altitudinem eò conscendet. Quapropter & hac ratione persuasi, & tot antiquitatum exemplis, quæ locis compluribus extant, passim inspectis, symmetriam atque proportionem iam assignatam quammaximè laudandam & commendandam iudicamus. Epistylum pedis unius uncia;que unius, zophorus pedis unius & sextantis, coronix denique pedis unius & dextantis altitudinem sortiuntur. Ipsa; coronix, quanuis sculpturarum multitudine insignis, liberior tamen perturbata;que apparet. Nanque præter confusionem ex immodico signorum apparatu prouenientem, Echini super ipsammet simam collocatio, cum aspectui incommoda certè & insuauis existat, haud immeritò quidem reprehendenda & detestanda uidetur: eo;que magis, quòd Echino, cum egregiè & artificiosè admodum sit insculptus, partes superiores, nullo membro prorsus superimposito, quòd illum ab imbrum iniurijs incolumem tueatur atque defendat, quammaximo certè eius incommodo ascriptæ assignatæque fuerunt. Verùm tunc etiam haud secus, quàm apud nos, licentiores atque audaciores complures extabant Architecti: qui, operum ordine & conditione nequaquam perspecta, sed uulgo tantummodo gratificari studentes, sculpturarum multitudinem citra ullum delectum in omnibus adhibere consueuerunt: & tam Doricas extruções, quæ operum grauitatem soliditatemque requirunt, quàm Corinthij generis ædificia, quæ propter eorum molliorem & teneriorem proprietatem ornamentorum complurium uarietatibus gaudent, sculpturis complent atque referciunt. At periti mehercle & solertes Architecti rerum in primis naturas distinguentes, propriasque earum condiciones mox separantes, si Dorica opera aggredientur, probata antiquorum exempla, quæ Vitruuianis constitutionibus firmiter adhærent, sibi sectanda imitandaque proponunt: sin Corinthijs manus admouerint, proprias ordinis huiusce symmetrias ac uenustates ad ea condecoranda exornanda;que adhibebunt. Hæc autem non ad doctiores, qui monitis nostris nequaquam indigere uidentur, sed ad ignaros potius, ne imprudentes quandoque errent, cautiore reddendos dixisse sufficiat. Verùm his in præsentia omisis, & inceptum iam argumentum persequentes crepidinem, quæ in tres stylobatas deinde excitatur, iam exposita coronice superiorem esse affirmamus: quæ quidem ne à substante coronice, cuius proiectura ex inferiori parte suspicientibus crepidinis basim contenderet & præpediret, occultetur obscureturue, plinthe pedalis magnitudinis supposito altior aliquantulum effertur. Huic basis superior deinde succedit, quæ in dextantem ascendit: Crepidinis purum simplexque interuallum, bipedalem uncia;que unius in super altitudinem obtinet: Coronixque eius superior semipedali altitudine definitur, quæ quidem coronix lepore & uenustate haud mediocriter circumfusa uidetur: membraque eius, cum inter duo sculpta solidum ac purum membrum constituatur, quamoptimè distinguuntur. Coronici huic membrum illud, quòd à Vitruuiio, si rectè mentem eius assequimur, Coronæ Lisis appellationem obtinuit, superstruitur; & quincuncem sibi uendicat altitudinem: Supra Lisim deinceps lapides nonnulli extant, imperfectiores minimeque absoluti, quibus alia quoque superiora adhuc extitisse creduntur: Prædicti autem lapides in dextantis altitudinem attolluntur: Eademque item dextantis altitudo, arcus ipsius assignatur incumbis, quæ liberius nimirum licentiusque extractæ fuerunt. Quanuis autem tria membra, altera alteris superstructa atque congesta, inter sese diuersa ac dissimilia esse conspiciuntur: cum tamen eorum proiecturæ omnino conueniant atque consentiant, de operis uenustate nonnihil detrahere & imminuere profectò uidentur. Sequentium membrorum denique ad superiorem arcus totius designationem responsus ac symmetriæ, characterum appositionibus animaduersis, quamprimùm innotescant.




Veronæ, præclara & antiquissima ciuitate, complures nimirum arcus spectantur: at ad ueteris castrî fores arcuata quædam constructio & ob formæ totius præstantiam, & ob symmetriæ partium consensum quæ maximè commendanda reperitur. Arcus huiusce, prout conijcere fas est, & frons & posticum sculpturarum delicijs & uenustatibus enitebat: duæq; item in lateribus adituum seu uestibulorum apertiones, ad eum olim homines transmittebant, quemadmodum è uestigijs superextantibus satis superque colligitur: Nos tamen lateris unius tantummodo subiecimus Ichnographiam. Ad hunc autem arcum dimetiendum idem prorsus pedalis mensuræ genus, quo Polensem arcum nuper descriptum sumus commensi, à nobis adhibitum fuit: Eiusq; primùm hiatus in pedum denum ac semis latitudinē patet: Columnarū crassitudines bipedales



& sextantes existunt: Intercolumnia quadrupedalia & quadrantalia insuper esse conspiciuntur: Arcus antepagmenta, quas uulgius pilastratas appellat, bipedalia, sextante superadieceto, esse uidentur: Arcus eiusdem latera interiora, quadrupedalem & semis crassitudinem habent: Tabernacula inter columnas constituta, in bipedalem dextantisque latitudinem extenduntur. Et hæc quidem de latitudinibus & crassitudinibus satis superque existimantur. Ad altitudines modò dimetiendas transeuntes, stylobatæ columnæ ipsius perpediculum fulcientis basim, plintho simul accepto, pedalem & quadrantalem præterea altitudinem obtinuisse affirmamus: Stylobata quadrupedalem & quadrantalem insuper, semiuncia adieceta, sibi uendicat altitudinem: Eiusque coronix dextante, & semiuncia addita terminatur: Columnæ basis in pedem unum excitatur: Columna, basi capituloque detractis, pedum xvij & quadrantis altitudinem petit: Capitulum in pedes binos & trientem ac semis assurgit: Epistylum pedalem ac semis, zophorus pedalem & septuncem ac semis, coronixque pedalem & dextantis altitudinem assequuntur. Quauis autem in subsequente figuratione fastigium apposuerimus, in fornice tamen id extare nequaquam perspicitur, quinimo primæ ipsi coronici nihil quicquam superius incumbit: Atqui paries etsi temporis uetustate consumptus iam uideatur, nonnulla tamen adhuc retinet seruatque uestigia, quæ ibi fastigiatam olim frontem extitisse testantur. Summa coronix nulla quidem apparet, ideoque nullos antiquiores eius modulos recensemus: eam tamen, symmetria formæque dispositione, quam aptiorem duximus, obseruata, hic designare & conscribere placuit; id memoriæ semper infixum animoque insculptum gerentes, nempe superiora ab inferioribus, quarta parte esse diminuenda. Quapropter suprema hæc quoque coronix ab altera inferius constituta quarta parte deficient, itaque diuidetur. Tota quidem altitudo in quatuor partes ac semis distribuetur: mediæque particula astragalo, regulæque ipsius assignabitur: pars una zophoro continget: altera membro sub corona existenti, quod uel in denticuli uel in echini, prout magis libuerit, formam componemus, ascribetur: tertiam partem ipsimet coronæ, regula eius simul accepta, tribuemus: quarta pars demum simæ, quam rectam gululam passim appellant, concedetur: Proiectura altitudinem adæquabit. Et hac ratione summa coronix ad Architectonicas leges affabrè sciteque constituetur. Inter columnas tabernacula nonnulla, quibus simulachra olim imponebantur, media consistunt: eaque bipedalem & dextantis latitudinem, septempedalemque altitudinem assequuntur; necnon parietis interiora pedis unius & dextantis interuallo perumpunt penetrantque: Substantium stereobatarum, basibus simisque simul acceptis, altitudo quadrupedalis existit: Columellæ undequaque semipedalem crassitudinem obtinent: Epistylum quincunce ac semi, zophorus semipedali, coronix demum absque simæ ipsius adiectione trientali altitudine definitur: Simplex fastigij intercapedo bessalem altitudinem petit. Tabernaculis deinceps tabellæ quædam, coronicibus in uertice collocatis, superincumbunt: Tabellæque singulæ latitudine bipedali, pedali que altitudine terminantur: Coronicesque demum in deuncem sublimes assurgunt, quibus, prout perspicitur, dimidiatæ olim nonnullæ infidebant figuræ. Arcuatæ apertionis altitudo, etsi pars quædam inferior obruta demersaque lateat, latitudinem maiori quàm dupla excedit proportionem: latitudo nanque decempedalis ac quadrantalis existit, at altitudo in pedes xxv & semis ascendit. Antepagmentorum arcus deinde latitudinem iam definiuimus: Capitulum autem eadem prorsus altitudines extant, ipsaque quadrata insuper forma undequaque comprehenduntur. Arcus hic nempe Composito opere constat: quemadmodum autem ex uacuis sedibus & inanibus locis conijcitur, æneorum signorum & ex marmore item constitutorum apparatu mirificè quidem olim emicuisse uidetur.

### SEQUENTIS ARCUS ICHNOGRAPHIA.



Arcus Veronæ ad ueteris castrî fores extructi formâ situmque subiecta hic expressimus designatione. Quauis autem, à zophoro ad superas partes ascendendo, nulla utique ornamentorum uestigia modò conspiciuntur: adiectionis tamen à nobis excogitatæ modus ratioque à uero haud prorsus abhorret. At cum membrorum in priori hoc schemate designatorum ea sit exilitas atque exiguitas, ut ægrè perspicere queant, sequenti mox pagina eadem clarius expressa & accuratius descripta comperientur. Triumphalis arcus huiusce nonnulli inscriptione permoti Vitruuium, qui de ratione ædificatoria præclara uolumina illa composuit ediditque, authorem extitisse arbitrantur: at nos duplici nomine horum sententiam minimè admittendam recipiendam uel censemus. Primò quidem inscriptionis titulus Vitruuium Pollionem haud nominatim appellat, sed

lat, sed alium fortasse Vitruvium quendam operis huiusce authorem fuisse suspicamus. Deinde (& hæc ratio eorum opinionem manifesto falsitatis crimine redarguit atque condemnat, Vitruvium Pollionem, qui Architecturam literarum monumentis consignavit, mutulorum denticulorumque in eadem coronice permutationem nequaquam admittentem, quin eam increpantem potius & insectantem reperimus. Quapropter cum in arcuato hoc opere coronix eiusmodi, quæ Vitruvianis præceptis aduersatur atque repugnat, spectanda proponatur; Vitruvium Architectorum principem arcum hunc aliquando instituisse, qua ratione asseremus? Vtuncque tamen fuerit, arcum ob formæ ibi conspectæ elegantiam ac uenustatem quammaximè certè commendamus.

Literarum hæ notæ sub tabernaculo inferiori ad dexteram constituto in stylobatæ ipsius spatio impressæ leguntur.


C. GAVIO. C. F.  
STRABONI.

Literarum harum formulæ in arcus ipsius latere interiori excisæ fuerunt.

L. VITRUVIVS L. L. CERCO  
ARCHITECTVS.

Literarum hæc signa sub inferiori tabernaculo ad læuam collocato in stylobatæ insculpta ostenduntur.


M. GAVIO. C. F.  
MACRO.





Cum nec proprias membrorum arcus propositi symmetrias hucusque absoluerimus, nec eorum typos amplioribus formis, ut clarius faciliusque intelligantur, conscripserimus: idcirco sequenti pagina commo-  
diores & accuratiores singulorum membrorum designationes apponemus, eaque è proprijs exemplaribus  
deducta ad conuenientes formas aptissimè transferemus. A stylobate igitur exordientes, eius plinthum  
G litera inscriptum, pedis unius & quadrantis insuper altitudine finiemus: Basis mox succedentis altitudo,  
semipedalis existit: Purum simplexque stylobatæ ipsius interuallum F litera à cæteris seiunctum, in pedes  
quaternos & quadrantem ac semiunciam ascendit: Superiorque eiusdem coronix, in dextantem ac semiun-  
ciam attollitur: Columnæ basis, pedalem altitudinem habet: eiusque plinthus in Litem coronam conuertitur  
& permutatur. Id autem commenti genus nobis, qui nonnullos Græcorum stylobatas hac eadem ra-  
tione compositos & constitutos aspeximus, mirificè quidem probatur. Columna striata, idest ab imo ad  
summum canaliculis quibusdam insignita distinctaque fuisse uidetur: Columnæ capitulum impositum, pe-  
dis unius ac trientis semiunciamque insuper altitudinem petit; eiusque formam, quam sequenti uolumine mox  
sub Compositi ordinis incipiente perractatione explicatam designatamque reperies, consultò hic præter-  
mittimus. Quauis enim arcus totius constructio Corinthium genus imitatur, capitulum tamen, de quo  
modò sermonem habemus, ad Compositum ordinem magis declinat: ipsumque ibi C nota à cæteris di-  
stinctum ac segregatum offendes. Quinetiam capitulorum, quæ arcus huiusce adsunt incumbis, forma  
speciesque D litera ibidem annotatur. At tabernaculorum deinde, quæ inter columnas media resident,  
capitula H litera hic subscripta apparent: Itemque coronix & basis simul, E litera demonstrante, mem-  
bra tabernaculis substantia referunt ostenduntque: C tabellas tabernaculis ipsè superpositas exhibet:  
D, epistylum, zophorum, coronicemque fastigij tabernaculorum eorundem delignat: B, opus arcum ip-  
sum circumambiens repræsentat. A, primariam coronicem arcui desuper incumbentem proponit: quæ  
aspectui quauis iucunda egregieque admodum elaborata uideatur, in communissimum tamen illud erra-  
tum, in quo coronices aliæ complures à nobis iam deprehensæ fuerunt, prolapsa conspicitur: mutu-  
los enim denticulosque simul, quæ quidem duo membra in eadem coronice consocianda neu-  
tquam esse fortissimis rationibus à Vitruuio demonstrantur, in unum composuit atque  
coniunxit. Verumenimvero clamores ingentes attolli nunc sentio: cum scilicet  
post Vitruuium tot celeberrimi deinceps præstantissimique Architecti, tum Ita-  
liæ tû alijs quoque passim regionibus in coronicibus exornandis mutulos den-  
tulosque pariter adhibuisse uideantur, hæsitandum profectò aut ti-  
mendum non esse: quinimo singulis in operibus suis extruen-  
dis antiquorum exempla & ritus palàm imitari licere. Qui-  
bus id unum modò responsum afferemus, nos scilicet il-  
lis principia denegantibus disputationis palmam co-  
ronamque facillè concessuros: At si, quod plerique fa-  
tentur, ipsi quoque Vitruuio in Architectonica  
facultate primas partes adiudicarint, Vi-  
truuiana dogmata sedulò studioseque le-  
ctitantes mox rationis iam exposi-  
tæ, quam roboris plurimum ha-  
bere arbitrantur, infirmi-  
tatem imbecillita-  
temque cogno-  
scent.






Veronæ haud procul à porta, quam à Leonibus appellant, antiquus arcus duabus apertionibus patet: quem quidem arcuum numerum duplicatum nusquam aliàs, sed triplicatum aliquando nos uidisse meminimus. Fornici huic nempe quanuis sex fenestræ superincumbunt, eæ tamen nec peruias seu patentes habebant apertiones, nec ad interiora parietis admodum penetrabant, adeò ut signa uehementer prominentia collocari ibi minimè potuisse uideantur. Mox super primæ coronicis ambitum media pars ad scaphæ seu conchæ similitudinem, leui tamen nec profunda admodum parietis excisione perfossa conspicitur: attamen coronicis ipsius proiectura ministris nonnullis ad seruitia quædam triumphantium agmine iam procedente




dente, obeunda peragendaque satis commodas opportunasque; sedes concedebat. Verum nos hæc tanquam Architecto parum conducentia prætermittentes, formæ exemplo infra hic primùm designato & circumscrip-  
 to, ad proprios modulos sigillatim explicandos nunc accedemus. Arcus apertio pedum undenum latitudi-  
 nem, pedumque xvij altitudinem obtinet: Plinthus stylobatæ substratus, pedalem sibi uendicat altitudi-  
 nem: Stylobatæque eiusdem basis, in quadrantem ascendit: Purus simplexque stylobata, bipedalem un-  
 ciæque unius altitudinem petit: Eiusque corona, in quadrantem assurgit: Basis columnæ supposita, bes-  
 sa ac semi altitudinæ definitur: Columnæ ipsius scapus, basi capituloque detractis, pedum duodenum trien-  
 tisque latitudine, & pedis unius trientaliq; crassitudine terminatur: Capitulum in pedalem & bessalem in-  
 super altitudinem excitatur: Epistylum pedis unius & quincuncis, zophorus pedis unius & bessis, Coro-  
 nix pari item altitudine continetur. A coronice deinde ad alterum ordinem tripedale ac semis spatium in-  
 tercedit. Coronici huic mutuli nonnulli, qui signa olim imposita sustinuisse creduntur, superiores incumb-  
 unt: moxque septem maiores pilæ, compressiores tamen atque retusæ, assurgebant; quibus prædicta uti-  
 que signa nitentur: necnon inter pilas senæ, quas diximus, fenestellæ retusis & castigatioribus colu-  
 nis condecoratæ distinctæque collocantur; quæ quidem bipedali & sextantis latitudine, quadrupedali ue-  
 rò & quadrantis altitudine terminantur. Maioresque columnæ, basibus capitulisque simul adiunctis, in  
 pedum quinum & trientis altitudinem extolluntur, & planæ ex sima constant scalptura. Secundi autem or-  
 dinis huiusce epistylum semipedalem ac semiunciæ, zophorus pedalem ac semis, coronixque demum dex-  
 tantis ac semiunciæ altitudinem assequuntur: Lisis corona supra coronicem constituta, in dextantem effer-  
 tur. Secundorum deinceps stylobatarum bases, pedales existunt: Moxque stylobatæ, in pedes ternos & se-  
 ptuncem ac semis ascendunt: Columnarum secundarum bases, bessalem altitudinem sortiuntur: Earumque  
 scapi, pedum octonum & quadrantis semiunciæque altitudinem petunt; & dextantis insuper ac semiunciæ  
 crassitudine finiuntur: Capitula in pedis unius & sesquiunciæ altitudinem porriguntur: Epistylum pedis  
 unius unciæque unius, zophorus pedis unius & sextantis, coronixque demum pedis unius altitudine conclu-  
 duntur: Ultra coronicem deinceps paries adhuc extendi uidebatur, at nihil distinctum explicitum ue mo-  
 dò conspicitur. Arcus hic nempe haud multa quidem crassitudine intumescit; nec frons eius posterior,  
 quanuis ornamentorum illecebris ac uenustatibus haud forsitan contemnenda, ulla apparet: Nanq;  
 post ipsum à tergo mox alter subsequitur arcus, ei que ita adiacet atque cohæret, ut inter utrun-  
 que difficilis admodum transitus ac ambulationis semita relinquatur; quemadmodum  
 uberius postmodum differemus, cum arcum alterum prioris huiusce obiectu abdi-  
 tum atque latentem aperiemus. Arcus autem hic designati fenestellæ haud ita  
 ordinatæ dispositæque; fuerunt, quinimo ordinis concinnitatem aliquantu-  
 lum inuertunt atque perturbant: nec enim ipsæ summo fastigio ad  
 perpendiculum respondere uidentur, uerum ad alterum latus  
 magis declinant, quod aspectui deforme nempe & inui-  
 cundum apparet. Nos uerò, qui asymmetriam hanc  
 æquo animo ferre nequaquam potuimus, ad  
 certum ordinem potius eas duximus re-  
 digendas. Præsentis arcus capitula  
 deniq; , Compositum genus  
 nonnulla, Corinthiumque;  
 ordinem alia cer-  
 tè imitan-  
 tur:  
 quemadmodum & in sequentibus  
 mox exponemus, & descri-  
 ptionibus adhibitis cla-  
 rissimè patefa-  
 ciemus.



In superiori arcus parte ad dexteram, subscriptæ literarum notæ in epistylio legendæ proponuntur.


T. FLAVIVS P. F. NORICVS. IIII. VIR. ID. V. F. BAVIA. Q. L.  
PRIMA SIBI, ET POLICLITO SIVE SERVO, SIVE LIBERTO  
MEO, ET L. CALPVRNIO VEGETO.






Hactenus de arcus propositi communioribus modulis sermonem habuimus, eiusque typum uero proprioque exemplari quamsimillimum certè expressimus ac figurauimus: at membrorum singulorum, propter formæ iam descriptæ angustias, distinctam exactam uel cognitionem afferre nequaquam potuimus. Nunc uerò, cum diuersa compluraque ibi extent ornamenta, ad ea separatim declaranda designandaque accingemur. Altitudinum quidem & crassitudinum symmetriæ iam expeditæ fuerant, quapropter noua earum commentatio superuacanea prorsus & inutilis foret: uerùm hic propria membrorum munera, propriæque sedes tantummodo explicabuntur. Figura G, primorum inferiorumque stylobatarum, eorum basibus superadiunctis, striatarumque columnarum iudicijs quoque nonnullis apposis, formas atque dispositiones ostendit: membraque uniuersa ueris quamsimillima profecto uidentur. E, capitula, epistylis superadditis, columnis inferioribus, quemadmodum striarum notæ satis superque demonstrant, superinducta designat. D, epistylum, zophorum, & coronicem, quæ primo columnarum inferiorum ordini superincumbunt, proponit. Coronicis autem huiusce dispositio utrum uidelicet laudanda improbanda uel uideatur, memori Lectori auctoritates exempla; sæpè sepius à nobis adducta meditati iudicandum relinquimus. F, quadratarum columnarum, quas Antas rectè nuncupabimus, capitula arcuatam conuersionem sustinentia patefacit. Duo autem hæc capitulorum genera E & F literis inscripta, ex opere Composito constant, & elegantem utique præferunt aspectum; necnon cum arcus superioris, qui ueteris castri foribus adiacet, capitulis maximam similitudinem gerunt. Moduli uerò cum à nobis iam iam expliciti declarati; fuerint, haud est quòd in præsentia de nudo repetantur. At illud pro comperto ut habeas uolumus,

subscriptas nempe figure-  
tiones cum ueris exem-  
plaribus quammaximè conuenire.






Triumphalis arcus, quem examinandum proposuimus, varijs quidem, ut dictum fuit, ornamentorum generibus affluit abundatque: quorum rectè nonnulla, perperam uerò alia apposita constitutaque fuerunt. Et mehercle, si uerum fateri uelimus, in eo nihil quicquam præter coronicem D ob rationes iam adductas reprehensione dignum uidetur: quinimo cætera membra à nobis hæcenus declarata, necnon sculpturæ & coronices quoque ex optimo genere deducuntur. Membra quidem, quæ hucusque exposuimus, ad primum atque inferiorem ordinem spectant: quæ uerò nunc subsequuntur, in secunda mox superiori que classe reponuntur. Mutuli, qui H literæ nota apposita designantur, statim in secundi ordinis exordio summis arcuum fastigijs superiores imminet: quibus signa, ut iam diximus, superposita pilis quibusdam deinde affurgentibus









Triumphalis hic arcus prior nimirum quàm alter iam iam expositus in lucem prodijſſe exiſtimatur, nec immerito quidem, cum ille huius aspectum impediatur & obſcuretque. Inter utrumque uerò eæ intercedunt anguſtiæ, ut egrè diligens quiſpiam modulorum, qui, ut præſenti patet designatione, incolumes adhuc extant, obſeruator eas ingredi poſſit. Hoc autem idcirco eueniſſe arbitramur, quòd cum arcus, quem nunc dimetiendum & exponendum ſuſcepimus, in præclaro & conſpicio urbis rotius loco ſit conſtitutus; cumque alteri deinceps Imperatori propter rerum geſtarum gloriam atque uirtutem triumphum pariter decreuiſſent; propter ſummam loci opportunitatem ſuperiorem arcum ibidem in eius gratiam ſtatuere: & ueteri è proprijs ſedibus nequaquam dimoto, arcui recentiori priorem locum duntaxat conceſſerunt. Modulorum uerò eadem prorsus ratio utriſque dimetiendis inſeruit. Quapropter nos, recentiori iam expedito, arcus huiusce antiquioris ſymmetrias nunc perſequemur. Arcuum igitur ſingulorum apertiones pedum undenum latitudinem, & pedum xvij altitudinem ſortiuntur: Arcus utriusque antepagmenta pedis unius & beſis latitudinem




titudinem habent : Interq; duas antepagmentorum classes pedes quini, triente superaddito, medij intercedunt : Angularia spatia utrobique tripedalia existunt : Cymatium C, quod epistylij usum atq; rationem obtinet, semipedali ac semiunciaz insuper altitudine definitur : Zophorus pedalem & septuncem ac semis altitudinem assequitur : Regula zophoro ipso superior, sextante terminatur : Cymatium sub denticulo constitutum, triente & quarta unciaz unius parte comprehenditur : Cymatium uero denticulo superpositum, in unciam unam ac semis attollitur : Astragalus in unciam unam effertur : Cymatium coronae subsidens, unciaz unius & trium quartarum altitudinem explet : Corona, quadrantis semiunciazq; altitudinem attingit : Superiusq; eius cymatium, in sextantem & quartam unciaz unius partem assurgit : Sima, quam rectam gululam nostrates appellant, in quadrantem ac semiunciam erigitur : Regula ei superadiuncta, sextante concluditur : Coronae totius proiectura, eiusdem altitudinem aequat : Stereobata coronae huic superincumbens, in pedem unum, unciamq; unam praeterea ac semis ascendit : Striatarum columnarum crassitudines, pedales & quadrantales existunt : Earumq; altitudines, si capitula dempseris, in pedes septenos unciamq; unam ac semis efferuntur : Capitulisque demum, dextantis altitudo contingit . Superiores haec quidem columnae, & basibus & inferioribus limbis seu praecinctionib. carent; uerum nudae absq; proprijs membris, quae infra substitui consueuerunt, plinthis quibusdam tantummodo suppositis innituntur . Inter fenestrarum autem infra sitarum apertiones, termini nonnulli humanos uultus gerentes, columnarum loco, medij consistunt . Summa demum coronae, propter obstructionis impedimentum, conspici minimè potest.



Præfens quidem figura B littera inscripta epistylum, zophorum, coronicemque arcus superioris designat: moduli que omnes exquisitissima certè ratione accepti deducti que fuerunt, Prior epistylj fascia befsis, & trium unciæ unius quartarum insuper altitudinem obtinet: Altera deinceps in dodrantem ac semiunciam attollitur: Tenia, quam quadram appellant, in quadrantem; & zophorus in pedem unum ac trientem assurgunt: Triglyphi latitudo pedalis existit: Regula super triglyphum constituta, in tres unciæ unius quartas ascendit: Altera que deinde succedens, unciæ unius & quartæ altitudinem petit: Cymatium denticulo substans, sextante & quarta unciæ unius parte definitur: Ipse que; denticulus in trientem, & tres insuper unciæ unius quartas ascendit: Trochilus denticulo superior unciæ unius altitudine coarctatur: Astragali ad tres unciæ unius quartas ascendunt: Cymatiu astragalis superflans, unciæ unius & quartæ partis altitudine continetur: Corona in trientem erigitur; eius que; Cymatium sextante concluditur: Sima trientalem sibi uendicat altitudinem: Regula que; ipsius sextante ac semiuncia terminatur: Totius coronicis demum projectura eiusdem altitudinem æquat. Arcus quidem uniuersi constructio, præter insculptos duntaxat astragalos, Doriciu opus redolere uidetur: illi nanque cum certos ac statutos artis fines liberius egrediantur, Architectum nouis quibusdam commentis studiosius attendentem præferunt. De alijs uerò compluribus, quæ Verone extant, antiquitatibus, propterea quod licentiori, quam par esset, ratione extructæ fuerunt, nequaquam hic peragemus. Item que trium phalem arcum, quem uulgus Bursatium appellat, tum propter opificis in eo constituendo effrenem & immoderatam licentiam tum propter barbaricam operis ipsius speciem atque compositionem inter præclaras scite que instructas elegantissime que distributas antiquitates referre minime placuit.




uncie unius quartas ascendunt: Cymatiu astragalis superflans, unciæ unius & quartæ partis altitudine continetur: Corona in trientem erigitur; eius que; Cymatium sextante concluditur: Sima trientalem sibi uendicat altitudinem: Regula que; ipsius sextante ac semiuncia terminatur: Totius coronicis demum projectura eiusdem altitudinem æquat. Arcus quidem uniuersi constructio, præter insculptos duntaxat astragalos, Doriciu opus redolere uidetur: illi nanque cum certos ac statutos artis fines liberius egrediantur, Architectum nouis quibusdam commentis studiosius attendentem præferunt. De alijs uerò compluribus, quæ Verone extant, antiquitatibus, propterea quod licentiori, quam par esset, ratione extructæ fuerunt, nequaquam hic peragemus. Item que trium phalem arcum, quem uulgus Bursatium appellat, tum propter opificis in eo constituendo effrenem & immoderatam licentiam tum propter barbaricam operis ipsius speciem atque compositionem inter præclaras scite que instructas elegantissime que distributas antiquitates referre minime placuit.




de-atam licentiam tum propter barbaricam operis ipsius speciem atque compositionem inter præclaras scite que instructas elegantissime que distributas antiquitates referre minime placuit.



Cum antiquorum opera complura & luculenta oratione iam profecuti fuerimus, & , artificio sis designationibus adhibitis, eadem studioforum cætui contemplanda tradiderimus: nunc ut nonnulla quoque recentiorum authorum opera in medium proponamus, ratio suadere uidetur, eaque præsertim, quæ à Bramante sapientissimo nempe Architecto iam pridem instituta excitataque fuerunt: quanuis superius, dum & admirandam Basilicæ Petri molem exponeremus, aliaque item ad sacrarum ædium conformationes attinentia perscrutaremur, præstantissimi uiri mentionem habuimus. Idque inter omnes planè constat, Bramantem sub Iulij Secundi Pontificiam authoritatem gerentis sacris auspicijs primum ueram solidamque Architecturam iam propè ad interuersionem redactam erexisse; quemadmodum tot adeoque elegantium operum, quæ Romæ ab eo elaborata conspiciuntur, extructiones affatim demonstrant: cuius quidem rei exemplum hic apposimus. Vaticana hæc ambulatio Romæ in amœnissimis aspectuique iucundissimis Pontificum Maximorum hortulis extat, ubi duo præclara diligenter sunt attendenda: tum firmitas atque soliditas, quæ, pilarum ingenti præsertim latitudine & crassitudine concurrente, operis immortalitatem propemodum pollicetur: tum etiam tot elegantes adhesiones, totque ornamentorum insignes uarietates. Quin præter inuenti ipsius acumen, partium cunctarum insuper symmetrias atque consensum admirari ibidem licet. Palmis autem Romanorum antiquioribus, qui in Panthei superiori descriptione à nobis iam definiti determinatique fuerunt, minutis quandoque etiam concurrentibus, præclarum hoc opus suos absoluit commensus. Arcus quidem palmorum xviii latitudinem obtinent: Eademque profus latitudo maioribus pilis, tam uidelicet plenioribus quam laxioribus earum partibus acceptis, debetur; quarum frontes in partes undenas diuiduntur: Dux quidem antepagmentis duobus arcuatas conuersiones extollentibus assignantur: Mox dux partes singulis redduntur columnis, quæ bis pro duarum columnarum numero repetitæ ad quaternarium numerum conscendunt: Dux partes deinceps concharum seu scapharum antepagmentis utrinque assurgentibus statuuntur: Ternæque partes postremò scapharum ipsarum apertionibus conceduntur: Et hac utique ratione undena segmenta consumpta distributaque fuisse uidentur. Stylobatæ altitudo dimidiam pilæ maioris latitudinem æquat: Basis stylobatæ substantis altitudo, antepagmenti arcum fulcientis latitudinè explet: Stylobatæ eiusdem coronix, altitudinem nona parte basi minorem sortitur: Columnæ, basi capituloque simul adiunctis, altitudo nouem uicibus & septima parte amplius crassitudine sua maior existit: Basis quidem dimidiam, Capitulum uerò integram columnæ ipsius crassitudinem explet: Septima autem pars illa, quæ superest, abaco derelinquitur. Epistylj, zophori, coronicisque altitudo stylobatæ, basi eius dempta, altitudinem æquat, & in undenas absconditur partes: quaternæ epistyljo, ternæ zophoro absque ullis sculpturis consistenti, quatuorque reliquæ demum coronici tribuuntur. Postmodum semicirculis, quæ pilarum crassitudinibus respondeant, extensis; arcuatarum apertionum altitudines earundem latitudines dupla excedent proportionè: Postremò arcuum incumbere aptè compositæque perducentur, quarum altitudines dimidias columnarum crassitudines adæquabunt: Conchæ & Quadrata conchis superiora, proprijs symmetrijs & consentaneis tandem proportionibus effingentur,



Quoniam, propter angustos designationis fines, singula propositæ ambulationis membra latius explicare extendereque nequaquam potuimus, idcirco ampliori forma ea nunc circumscribere aggrediemur. C igitur litera, ambulationis ipsius stylobatam primùm ostendit, columnæque basis ei superior innitur, amboque maiorum operum extructionibus conuenientia accommodataque esse uidentur. B, arcum incumbas, arcuatis quinetiam conuersionibus cunctisque membris appositis, exhibet. A, epistylum, zophorum, coronicemque columnis superincumbentes demonstrat. Communiore autem altitudinum moduli cum à nobis iam declarati explicitique fuerint, haud amplius repetentur: præsertim cum membra omnia hic designata cum ueris exactas rationes, & maximas utique similitudines gerant. At in coronicis huiusce extructione Architectum iudicio quamplurimum certè constat ualuisse, qui totum coronæ ipsius ambitum perpetua quadam integram seruaui ratione, membraque cætera, quæ à summa corona ad inferiora delabuuntur, resilientia constituit: quod & aspectui summam profectò affert iucunditatem, & coronæ maius robur maioremque præstat firmitatem, & opus totum denique à tempestatum ui & aquarum stillicidijs egregiè defendit. Hoc autem commenti genus prudenti Architecto ad quamplurima certè conduceret: Nec enim resilientes coronicæ semper & ubique sunt adhibendæ, sed aliàs probè aliàs malè respondent. Quinimo si columnæ nequaquam duabus semicolumnis ad latera appositis mediæ intercipientur, huiusmodi coronarum recessus admittendi minimè erunt. Verùm de resilientibus siue retrocedentibus coronicibus, quarto uolumine de columnis amplè copioseque differentes uberrime pertractamus.




Bramantis Architecti opus, & præclarum illud quidem, iam expediuimus: modò ad alterum, siue artis subtilitatem seu formæ elegantiam requisieris, eo nequicquam inferius, quod ex authoris eiusdem prouenit officina, explicandum ac designandum accedemus: indeque industrius Architectus, propter ornamentorum complurium ibi existentium uarietates, maximam nempe utilitatem consequetur. In hac utique porticu Bramantes ternos ordines, alteros alteris congestos superstructosque, Doricum scilicet, Ionicum, atque Corinthium, conspiciendos proposuit. Et ordines quidem perpulchri & egregiè admodum elaborati, sibi mutuò perbellè respondebant: At cum primæ omnium Dorici ordinis pilæ imbecilliores extitissent, & arcum superinductorum circinationes tum cum substantium pilarum gracilitate, tum etiam cum Ionici parietis desuper incumbentis grauitate collatæ, in latiore ambitum patuissent; tempore deinde procedente opus fatiscere dissoluique cepit. At Balthasarem Senensem, celeberrimum quippe & perspicacissimum Architectum, huic incommodo præsens remedium mox attulisse conspicimus: pilis enim à Bramante dispositis parastatas nonnullas (uiguis pilastratas appellat) ad latera adiunxit, quibus inferiores arcus perbellè utique imposuit aptauitque. Quapropter solertem Architectum ex proposito opere insignem utilitatem percepturum haud immeritò dixisse uidemur. Nec enim ille, quæ conueniunt atque conducunt, promptè duntaxat imitabitur atque celerrimè complectetur; uerùm errata quoque grauiora, ne in ea quandoque imprudens offendant, diligentius attendet: necnon illud inprimis secum animo reputabit, quænam ponderis ratio aut magnitudo rebus inferioribus tutò commode ue



insistere possit : & in operibus extruendis timidiorē mehercle quā audaciorem eum existere mallet. Si nanque timidior fuerit,cautus & sedato nisu perpetuò incedet,demandataque sibi negotia maxima cura atq; sollicitudine exequetur : quandoque etiam inferioris ordinis & conditionis hominum , à quibus doctiores quoque sæpe aliquid didicerunt,consilia libens admittet . Verum si audacior extiterit,& sibi ipsi quamplurimum tribuerit ; mox aliorum sententias spernet,consiliaque despiciet : quapropter cum se unum tantummodo consulat, sibi uni quoque tantum ædificabit, unde pleraque opera ab eo extracta infeliciores exitus euentusque postmodum sortientur . Sed ad propositam modò porticum redeamus,eiusque symmetriarum certas assignemus rationes . Arcuatæ apertionis latitudo in octo partes distinguetur , quarum tres pilarum ipsarum frontibus tribuuntur , arcus eiusdem altitudine ad sexdecim partes consimiles pertingente . Singularum pilarum frontes deinde in quatuor partes dirimantur , quarum binæ parastatis siue antepagmentis arcum fulcientibus , binæque columnarum crassitudinibus ascribuntur : Stylobatarum altitudines, dimidiam arcuatæ apertionis latitudinem adæquabunt : Columnarum altitudines , basibus capitulisque simul adiectis,carundem crassitudines octies comprehendunt : Epistylj , zophori , coronicisque altitudo, altitudinis columnarum quartam partem tantummodo sibi uendicat . Secundus ordo deinceps,si cum primo iam exposito conferatur , quarta parte imminuitur atque decrefcit : isque elocutionis huiusce sensus existit , quòd si ab imo primi ordinis pavimento ad summam usque eiusdem coronicem interuallum in quatuor diuidatur segmenta,terna eorum simul accepta integram Ionici huiusce ordinis altitudinem metientur ; eademque prorsus ratione membra omnia in secundo hoc ordine collocata à prioribus,quæ iam explicuimus,membris quarta parte deficient . Haud secus etiam de Corinthio ordine tertiam postremamque sedem occupante asserendum uidetur , quem propter breuiores paginæ ipsius fines hic absoluerē perficereque nequaquam potuimus. Verum ne Lectorem , qua ratione duæ illæ columellæ spatium medium occupantes perfici debeant , scire forsitan exoptantem incertum ambiguum'ue relinquamus, id ipsum admonitum uolumus, cum quarto uolumine in Dorici ordinis pertractatione commenti huic persimilis designationem utique reperiturum. Et quanuis columellæ ibi descriptæ Ionicum genus imitantur, ad Corinthium tamen mox facillimè traducentur. Verum ut Architectus propositi operis membra, & coronices præsertim, clarius adhuc percipere queat ; idcirco primi ordinis membra amplioribus formis descripta, & ueris quamsimilima hic perscripsimus : Ea uerò, quæ ad cæteros ordines spectant, dimetiri nobis minimè licuit. In Doricæ autem coronicis typo id præmonemus, nempe mutulos , qui super triglyphos constituuntur , Echinoque incumbunt, imprudenter à nobis prætermisissos fuisse : quos tamen in angustiiori totius arcus designatione apposuimus.







In Vaticano, præter ambulationes à nobis hæcenus declaratas, quamprimùm Pontificij hortuli finem attigeris, loci acclivitate ad id quamplurimum suffragante, mox formosissimam scalam theatri forma & more constructam offendes, quæ ad planiciem quandam ascendentes demum perducit. Scalæ quidem Ich-nographiam subiecimus; necnon, ut studiosi faciliorem rei huiusce intelligentiam assequantur, Orthogra-phiam eiusdem adiunximus: quemadmodum ex mutuo literarum responso nullo negotio cuius percipere licet. Hic, cum scalæ tantummodo & hemicycli præclarum inuentum & elegantem dispositionem patefe-cisse satis esse arbitremur, modulorum rationes idcirco despeximus. Hemicyclus quidem à priori hortulo ad Vati-



ad Vaticanam Pontificis curiam respectante, in altum uehementer educitur; moxque per ampla succedit planicies aptis distributionibus, hortorumque amœnitatibus quammaximè insignis: quò bina ostia, quæ in hemicycli lateribus utrinque conspiciuntur, accedentes transmittunt. Ibi uerò complura & egregia quidem extant simulachra: quis enim Laocoontis, Apollinis, Tyberis, Cleopatraz, Veneris, Herculeique trunci, necnon signorum aliorum præterea, quæ ibidem statuuntur, famam nomenque obsecrò ignorat?




Hic aræ superioris perpendicularē subiecimus eductionē: sicut autē antea admonuimus, cū inuentioni solæ nunc attendamus, ad modulorum rationes explicandas minimè descendemus. Quauis autem binæ ad extremos angulos pilæ maiores, columnis utrobique duplicatis, tantummodo hic statuuntur; ambulationibus tamen, de quibus iam pertractauimus, præsens figura coniungitur atque continuatur: quemadmodum ex duplicium columnarum serie, necnon ex scaphis seu conchis inter columnas constitutis, superpositisq̄ue quadratis conijci potest. Locus hic, quæ em à iucundissima positione Beluedere Itali passim appellant, complurium quidem ornamentorum uarietate splendet, at scalam cochlidem in primis ibi adesse perspeximus, ad cuius radices fons aquis uberrimus scatet: scalzq̄; partes interiores columnis undiq̄; circumpositis ambiuntur, ipsæq̄ue columnæ quaternis ordinibus, Dorico uidelicet, Ionico, Corinthio, Compositoq̄ue, perbellè nimirum distinguuntur. At ex eo admirandum artificis ingenium quammaximè claret, quòd ordinum uicissitudines atque diuersitates absq̄; rei ullius interiectione sese mox consequuntur: eòq̄; artificio Dorico Ionicum, Ionico Corinthium, Corinthioq̄ue Compositum genus statim succedit; ut homines ordinis unius finem, alteriusq̄; principium secernere minimè ualeant. Quapropter Bramantem hoc opere nec elegantius, nec artificiosius aliud unquam effecisse nobis persuademus.






Extra Romanæ urbis pomeria, haud longius tamen, iuxta Marianum montem perelegans iucundissimaque regio conspicitur; cunctæque eiusmodi partes, quæ locum amœnum ac uoluptarium reddere solent, ibi adesse profectò sentiuntur: quamobrem eas silentio præterire, quàm summatim perstringere fatius fore existimamus. At, cæteris omisis, ambulationem seu porticum quandam tantummodo, unaque ipsius frontem, quam Vrbinatem illum diuinumque Raphaelem instituisse olim accepimus, in præsentia enarrabimus & describemus: quanuis alias distributiones insuper præclarum uirum meditatam fuisse ibidem constat, maioraque adhuc certè moliri & aggredi uidebatur. Media pars, quam sinum cauedium'ue appellabimus, etsi quadrata existit; tamen quantum ex fundamentis conijcere licet, cauedium hoc rotundioris figuræ author ipse instituerat. Vestibulum A littera inscriptum, duoque loca ex aduerso B & C consonantibus designata, haud hac, prout intueris, iacent seu collocantur ratione: uerùm nos ad Ichnographiam condecorandam mutuo huiuscemodi responsu sic ea duximus disponenda. C nanque haud secus quàm pars ambulationis E signo notata, in montem excurrit definitque. In altero autem ambulationis eiusdem angulo, F littera cum indicante, ne diuisiones quædam tollerentur imminuerentur'ue, nullus utique extat hemicyclus: at nos, propter oppositarum partium aptiorem consensum elegantioreque symmetriam, hemicyclum ibi quoque adiungere haud ueriti sumus. Præfens nempe ambulatio miro quodam ordine distributa fuisse uidetur, superincuruumque ipsius cælum concordia quadam diuersitate præditum & insignitum apparet: Media nanque testudo in hemisphærij morem est circumducta, quæ uerò ad latera apponuntur, in camerarum similitudinem potius extructæ fuerunt. Cælum autem & parietes insuper tum signinis ac albarijs operibus, tum monstrosis quibusdam picturis, quas Itali Grotescas appellant, tum uarijs demum animantium formis, compluribusque portentis inductis, Ioannes Utinensis uir utique singularis tam affabrè excoluit, distinxit, atque perfecit: ut artem, iudicium, ingenijque sui fœlicitatem ibi depictam, expressam, atque testatam posteritati semper reliquerit. Quapropter siue rationis ædificatoris peritia & artificio delecteris, siue picturæ plasticæque illecebris tencaris, siue demum statuarum antiquitates summa ueneratione profecuaris, in ambulatione proposita hæc omnia affatim reperies. Sed Architecti acumen atque iudicium obsecro contemplant. Ne pars dextera F, quæ semicirculo destituta sinistrae partis elegantia nequaquam respondet, proprijs careret ornamentis; Iulium Romanum præclarum eius alumnum, ut ibi ingentem Polyphemum Satyrorum complurium corona stipatum ac circumsessum depingeret, admonuit impulitque: quo quidem nobilissimo picturæ genere partem illam imbecilliore quamprimùm erexit ac illustrauit. Egregia autem hæc opera amplissimi Cardinalis Medicei, qui summum deinde Pontificatum adeptus Clementis Septimi nomen obtinuit, liberalitate atque munificentia suffragante perfecta elaborataque fuerunt. Ambulationis uerò modulos nequaquam hic apposuimus, Architecto enim solam inuentio nem satis fore nunc arbitramur: præsertim cum membra omnia hic designata proprijs uerisque ad amulsim respondere uideantur. Sequens deinde figura ambulationis eiusdem frontem lateraq; proponit: at scaphæ seu conchæ, quæ ad latera statuuntur, etsi ex uera operis forma nequaquam acceptæ, ornatus tamen cuiusdam gratia à nobis adiunctæ adhibiteque fuerunt. Id autem memoriæ fixum immotumque semper habeto, Dextrum & sinistrum haud quidem ad nos intuentes, uerùm ad figuræ ipsius è regione conspectæ situm atq; collocationem ubique referri oportere: adè ut quod nobis dextrum, figuræ sinistrum, & quod illi dextrum, seuum nobis existet.




Ex subiectæ quidem figuræ partibus, quæ B & A notis inscribuntur, totum superioris ambulationis cœlum aperitur atq; patefcit; eiusq; laus uniuersa ferè in angulo ad dexteram constituto, crucis signo eum indicante, consistit: qui ad mediam sphæricamq; testudinem extollendam perbellè nimirum conducit, singulasq; pilarum frontes duplicatis columnis perquam eleganter connectit reuincitq;. Nec ipsæ tamen columnæ, superiori corona integra perpetuaq; remanente, pilas infirmiores imbecillioresq; reddunt: quinimo huiuscemodi pilarum immitutiones, earumq; in duplices columnas conuersiones permutationes uel aspectui præclare admodum egregieq; respondent. Nec pilarum idcirco soliditati quicquam detrahitur, cum earum bases consimili quoque ratione extructæ conspiciantur. Quoniam autem in subiecta figura planarum columnarum, quæ pilis ex utroque latere adiacent, unam integram, & alterius portionem quandam tantummodo designauimus; ne legentibus obscuriores quandoq; uideamur, id eos præmonendos arbitramur, singulas uidelicet pilarum frontes ad ambulationis interiora spectantes in tres partes esse diuidendas: quarum duæ planarum columnarum, quæ ad angulos statuuntur, conformationibus tribuentur, reliqua medium binarum columnarum spatium atque interuallum explente. Quauis autem, ut dictum fuit, duæ planæ columnæ, intercolumnio medio existente, ibi adsint; unica tamen, eaque solidior pila ex his prouenit atque confurgit: quod excogitatum inuentionis genus ad ornamentorum gracilitatem quammaximè certè conducit.




Ex compluribus Italix ciuitatibus solam Neapolim urbanæ cognomen sibi uendicasse reperimus: Nec enim morum urbanitate solùm, & Satraparum insuper, Regulorum, Comitum, Optimatumq; innumera ferè multitudine claret; uerùm & hortorum præterea & locorum consimilium adeò amœnitatibus præstat, ut nulli profectò Italix totiùs regioni hoc nomine sit concessura. Inter complura autem iucundiora amœnioraq; loca, quæ extra urbis ipsius ambitum sita conspiciuntur, ingens quædam & magnifica ædes statuitur, quam Regium Podium incolæ passim appellant: propterea quòd Alfonso Rex, Italia, quæ nunc diffusionum bellorumq; ciuiliù meritis pœnas expendit, pacatum & iucundissimùm æuum olim peragentem, uoluptatis & animi gratia præclaram hanc ædem sibi fertur instituisse. Quæ, recentioris operis conditione perspecta, ob formæ & distributionis elegantiam quammaximè commendanda profectò uidetur. Quemcunq; enim angulorum accipies, cum sex iustè magnitudinis cubicula, præter recessus in intimis terræ conceptaculis latitantes, necnon præter cellas nonnullas secretiores, ibi consistant: ille nimirum ingenue cuiusq; familiæ perquam commodam præstaret habitationem. Aedificij quidem Ichnographiam, & Orthographiam quoque in præsentia sublunximus. A modulis autem recensendis idcirco abstinuimus, quoniam inuenti solius acumen atque solertiam obseruatione dignam existimamus: Prudens enim mox Architectus, unius cubiculi magnitudine ad libitùm constituta, eaque ad cœtera cubicula metienda deinceps accommodata, inde tanquã ex regula quadã, proportionis spectata semper ratione, cunctos reliqui edificij modulos colliget atq; deducet. Aedis huiuscæ usus, ut iam diximus, Regijs uoluptatib; atq; delicijs potissimùm inferuebat. Verùm cum rusticana ædificia æstiuis tēporib; aere præsertim excandescente, quamaptissima esse uideantur: idcirco ædis propositæ sinus, porticibus porticib; alijs superstructis atq; congestis, undiq; circumfunditur. Medianum autem spatium E. litera inscriptum, compluribus gradationib; interiectis, ad pauimentatam formo-




formosissimamque planiciem commodos expeditosque præstabat descensus; quò Rex, Matronis & Principibus ipsi iucundioribus simul assumptis, nonnunquam se conferre solebat: ibique mensis appositis, conuiuioque oppipare instructo, omnes læti & hilares discumbebant. Verùm epulis interea efferuiscuntibus, conuiuioque tumultuante, Regis nutu strucliles nonnulli secretique aperiebantur canales: unde aquæ uehementius mox erumpentes locum illum confestim humoris copia alluebant perfundebantque; adeò ut summa cum omnium iucunditate discumbentes immergerentur. Rege deinde mandatum reuocante, aquis refluentibus pauimentum ad priorem quamprimùm reuertebatur siccitatem. Præclara quinetiam numerosaque uestium mutandarum aderat ibi supellex, nec lectulorum præciosissimi insuper apparatus ad somnos conciliandos quammaximè accommodati deesse uidebantur. Eheu Italicæ deliciae, quantum propter ciuiles dissensiones intestinaque bella antiqui splendoris & pristinae formæ iam amisistis. De hortorum uerò amœnitatibus uarijsque eorum distributionibus, de arborum fructuumque copia & multitudine ingenti, de piscinis atque uiuarijs, de aquæ ductibus, de auuarijs, quibus diuersæ tum maiorum tum minorum uolucrum species asseruabantur, de stabulis equitatu uario instructis, deque alijs admirandis compluribus nihil est quòd in præsentia loquamur: graue etenim hoc & illustre quippe argumentum à Marco Antonio Michaele Patritio Veneto, Architectonicæ facultatis tum scientiam tum usum inprimis egregiè assecuto, à quo & hæc & alia quoque complura nobis singula perhumaniter referente didicimus, in epistola quadam ad eius necessarium latino sermone conscripta uberrimè pertractatur. Verùm ut ædis propositæ, cuius area quadrata existit, membra iam persequamur, partem interiorē porticibus sibi inuicem accumulatis coaceruatisque circumcludi affirmamus, ad quarum angulos in interiori parietis crassitudine superiorum partium conscendendarum gratia cochlides scælæ extructæ accommodatæque fuerunt, tantumque interualli spatijque superioribus quantum inferioribus partibus redditur ac distribuitur. Quaternæ autem porticus, quas extrinsecus à nobis hic adhibitas, & D litera inscriptas intueris; nullæ quidem ibi extant: uerùm ad ædificij ornatum atque commoditatem quammaximè certè conferrent; laterumque adminiculis atque cohæisionibus intercedentibus, roboris ac firmitatis quamplurimum nempe consequerentur. Nec tamen interiora ædium conclauia sibi conuenienti propterea lumine destituerentur: quinetiam porticum latera ædibus utrinque assistentibus obtecta, nec uentorum flatus uehementiores, nec Solis rapidos estus quicquam profectò extimescerent.



Præfenti quidem figura tum exteriores, tum interiores quoque ædificij partes demonstrare contendimus. A, partem exterioriorem primùm proponit: B, interiores ambulationes porticus'ue deinde designat: C, interiora conclavia demum ostendit. In subscripta autem designatione contexti ædificij speciem nequaquam exhibuimus: ipsum nanque, ob agrorum amœnitates liberius oculis perlustrandis contemplandasque, sub dio potius constitutum uellemus.




REGALIS PODII NEAPOLITANI ICHNOGRAPHIA.





Nobis Regij & Neapolitani ædificij artē ac symmetriā animo reputantibus, alterum specie quidem con-  
simili, at distributionum rationibus tantummodò permutatis, atque ad commodiorem usum fortasse tra-  
ductis, nunc componere libet. Superiora enim triclinia siue cubicula omnia, eadem prorsus magnitudine ter-  
minabantur; quod absurdum & à ratione alienum profectò uidetur: prioribus nanq; triclinijs ampliora uti-  
que spatia quàm secundis sunt designanda. In hoc autē nostro ædificij genere nec sinum siue cauædium, nec  
interioris luminis usum aliquem efflagitamus: cùm enim domus hæc ruri constituenda proponatur, ex qua-  
ternis angulis uberrimū lumen citra ullum impedimentum hauriet atque combibet. Quòd si quispiam cœ-  
naculum medium & quatuor circumstantia cubicula, cùm à porticibus lucem quandam imbecilliolem & im-  
perfectiorem accipiant, obscuriora fore cauillabitur, ei hanc responsionem mox afferemus: quòd cùm ædes  
proposita ad æstiuos ardores effugiendos reprimendosq; comparetur, medianamq; aream, quam cauæ-  
dium nuncupamus, ei subtraxerimus; cœnaculum & quatuor cubicula, Solaribus radijs nequaquā ea ferientib.  
opaca frigidioraq; perpetuò remanebūt: et huiuscemodi nēpe locorū diuisiones meridianis æstib. declinan-  
dis inprimis conferent atq; conducent. Quòd etsi eā lucis copiam atq; ubertatē, qua cubicula cœtera perfrui  
solent, hæc item affecuta minimè uideantur; ad usum tamen satis apta accommodataq; luce poterunt: cu-  
ius quidem rei argumentū ex Bononiensium ædium constructionibus assumet ur. Cùm enim urbs illa portic-  
ib. undiq; sit circumsepta, ædesq; insuper sinus interiores, porticib. item adiunctis, habere conspiciantur: ni-  
hilominus tamen interiora conclauia cubiculaq; perpetuò, & haud incommodè quidem, habitari consue-  
uerunt. Verùm ad propositum reuertamur. Præsens nempe ædificium eam sortitur positionem atque collo-  
cationem, ut, dummodo angulares parietes crassiores extiterint, etsi intermedij deinde mediocrem crassitu-  
dinem obtinebunt, cùm omnes tamen ad sese inuicē muniendos stabiliendosq; conueniant, cunctæ ædificij  
partes maximū robur ac firmitatē sint habituræ: adeoq; uniuersæ cōstructionis uires ad sese mutuò fouendas  
cōseruandasq; in unū pariter cōfluent atq; cōcurrent. Modulos uerò sigillatim recensendos haud quidē existi-  
mamus: cùm enim ædificiū conuenientib. perficiatur symmetrijs, poterit nimirū solers Architectus, domini  
mente prius explorata, loci propositi magnitudinem mox concipere ac dēfinire: eaq; in tot pedales uel alte-  
rius cuiuscunque generis modulos resoluta, cunctas ædificij partes quamprimū determinabit atque distin-  
guet. Ei autem inprimis diligenter attendet, ut in ædificio collocando situs commoditati & opportunitati  
potissimum consuluisse uideatur; adeò ut Sole ex oriente angulus ei oppositus totus mox illustretur atq; splē-  
descat: nanque hac positione constituta, cunctæ ædificij partes solari lumine perfuerunt. Quòd si orienti la-  
tus unum tantummodo, occidenti alterum, & meridiei tertium exponeretur atque pateret: ambulationem,  
quæ ad Septentrionalem plagam conuerteretur, nunquam Solaribus radijs illustrari, et ex eo insalubrem pe-  
stilentemque fore profectò consequeretur.




Loggia: Porticus.

Sala: Cœnaculum.

Super

Super aream designatam modorum quidē complurium, diuersorumq; generum edificia constitui possent: attamen cum ad animi oblectationem & uoluptatē edes proposita referatur, uenustiorē eā reddere exoptantes Corinthiam ipsam construximus atq; perfecimus. Nec in proprijs modulis enarrandis, nec in altitudinibus recensendis quicquam nunc temporis insuemus: quarto enim uolumine Corinthij ordinis expositionem nobis instituentibus, tractatum quēdam separatim, quo omnes eiusmodi moduli, Architecti iudicio in super concurrente, patefient, habebis. Quoniam autem in presenti designatione nullā partium omnino contractiones imminutiones uē extant, quibus ambulationes à frontium planiciebus distinguere aut secer nere possis, idcirco ad huiusce rei explicationem orationis lumen adhibebimus. Duo latera, quæ utrinq; apposita ad altiora conscendunt, quadratas columnas ab imo ad summum parum eminentibus constantes expressionibus nacta fuisse intelliguntur. Pars, quæ in medio duorum laterum constituta inferiorem locum sortitur, porticus, quarum columnæ teretem formam accipiunt, porticibus alijs superstructas superpositasq; designat. Eandem constructionis quoq; rationem classis eiusdem, eiusdem uē ordinis latera cōsequuntur. Summę quinetiam porticus lapideis laminis aut latastris albarij operis, quod Stucchum appellant, firmitate quamartissimē inter sese coniunctis ad pluuiarum impetus excipiendos sustinendosq; insterni possent, pluteorum quoq; ex coronice primi ordinis desumptorum adiectione concomitāte: & hac nempe ratione medianum cœnaculum, quaternaq; pariter illud circumambientia cubicula, quæ ad secundum ordinem spectant, largiori quàm cœnaculum et cubicula inferiora, uberiori q; luce conuestirentur. Pusillas autem eas fenestrarum apertiones fenestris amplioribus in primo ordine collocatis duplici de causa superposuimus. Primò quidem, quòd cum fenestræ inferiores tam humiles, ut quispiam sedens extra intueri perquam commodè possit, effodiendæ proponantur; ab ijs deinde, nisi hæ superiores adderentur, usque ad summa cubiculorum tecta immodicum spatium interpositum nimis atrum certè obscurumq; remansisset: eademq; præterea cœnaculo lucem maiorem uberioresq; subministrant. Huic illud etiam a ccedit, quòd cubicula iuxta cœnaculum sita ad tantam altitudinem nequaquam educenda uidentur: at, æqua diuisione confecta, superiores fenestellæ cellis quibusdam super cubicula extructis illuminandis inseruient. Complura alia præterea his, quæ hætenus dicta fuerunt, superaddi possent, uerùm, cum in hoc libro solas ædificiorum inuentiones exponendas receperimus, eiusmodi cuncta Architecto, prout ipsi libuerit, eligenda, permutanda, pertractandaq; relinquimus. At in sexto uolumine, Deo annuente, singulas deinde propriasq; ædificiorum rationes latissimè prosequemur.





## DE AEGYPTI ADMIRANDIS AC SVPERBIS OPERIBVS.



**R**ISCA Romanorum artificum opera aspectui iucunda & præclara haud immeritò quidem existimantur: At si quis Græcorum etiam monumenta, quæ iandiu ceciderunt, et ex quorum manubijs Romam Venetiasque, duas quippe Italiae totius opulentissimas urbes, ornatas et coonestatas uidemus, oculis intueri potuisset; Græcos in ædificatoria facultate Romanis anteponendos forsitan esse iudicaret. Verùm quid de inusitatis & operosis Aegyptiorum molibus quæso dicemus, quæ figmentorum fabularumque; potius quam ueritatis speciem præferre uidentur? Attamen Diodori Siculi, qui nonnulla earum uestigia sese aliquando conspexisse testatur, autoritate permoti uera hæc esse nos quoque putamus. Ex compluribus igitur & admirandis operibus, quorum mentio ab hoc grauissimo habetur authore, Osymandij Regis Aegyptiorum & rerum gestarum magnitudine, & illustrium factorum gloria omnibus præferendi egregium inprimis occurrit monumentum; quo nec præclarius, nec maiori dignum admiratione aliud unquam à Rege ullo extractum fuisse memoratur: ad denum etenim stadiorum amplitudinè porrigebatur, quæ si ad Italica milliaria redigantur, milliare unum, quarta parte insuper adiecta, conficiet. Primaque ostij ingressio ex uario formosoque lapide constabat: moxque in interiori uestibulo itio quædam in duorum iugerum, hoc est in pedum quadringentorum & octoginta longitudinem extendebatur; & in quadragintaquinque cubitorum altitudinem efferebatur; in eaque extrema peristylum, idest quadrata quædam area porticibus undique circumseptâ residebat: singulaque porticus in quatuor iugerum, hoc est in pedum noningentorum & sexaginta longitudinem excurrebant, & pro columnis animantium formæ saxo unico insculptæ, in sexdecim cubitorum altitudinem assurgebant: hisque lapides nonnulli duorum passuum latitudine præ epistylis desuper imponebantur, ubi mira astrorum cæruleo cælestiue colore elaborata distinctaque uarietas refulgebat. Huic alia itio deinceps priori consimilis, uerùm crassiori sculpturarum genere instructa succedebat: primoque eius ingressu tres marmoreæ statuae, egregium quippe Memnonis opus, mox sese conspiciendas exhibebant, quarum unam sedentem author effinxerat: pedisque solius mensura septem cubitos excedens, hanc reliqua omnia Aegyptia simulachra formæ amplitudine ac uastitate exuperasse profectò demonstrat. Haud procul ab eâ binæ statuae hinc & illinc assurgebant, quarum neutra prioris genu altitudine æquabat: earumque altera matri, altera filiae Osymandij Regis sacra habebatur. Opus hoc haud tantum ob ingentem magnitudinis molisque rationem, uerùm ob artis perfectionem insuper, necnon ob lapidum diuersitates complures admirandum eximiumque extitisse uidetur: cum in tanta machinæ structura nec rima ulla, nec minima in lapide macula cognita unquam perspectaue fuerit. Inscriptio autem talis fuisse memoratur.

REX REGVM OSYMANDIVS EGO SVM: SI QVIS, QVALIS  
FVERIM, QVA'VE NVNC IACEAM REGIONE, SCIRE  
VEHEMENTER EXOPTAT, GESTORVM MEORVM NON-  
NULLA SALTEM IMITARI ATQVE EXUPERARE CONTEN-  
DAT.

Aliud quinetiam ibi simulachrum extabat ex uno perpetuoque lapide compactum; quod matris Osymandij ipsius imaginem referens, ad cubitorum uiginti altitudinem pertingebat: ternaque diademata, Regium insignem in capite gestans se & Rege satam, & Regi nuptam, & Regem denique ienixam fuisse significabat. Ianua transgressa aliud deinde peristylum propter sculpturarum ibi existentium uarietatem præcedenti longè nobilius illustriusque patebat: ibi nanque Osymandij in Bactrianos, qui à Regis ipsius liberorum imperio defecerant, expeditio erat insculpta; ad quorum interitum atque perniciem, ut uidelicet proditiōnis meritas pœnas expenderent, Rex peditum quadringenta millia, equitumque uiginti millia coegit, totusque exercitus in quatuor acies distributus uidebatur. Ex altera quidem parte urbs, quæ flumine alluitur, obsidione premebatur: Regemque ibidem in prima acie contra hostes acriter dimicantem, Leonis quoque, cui insidebat, uirtute ac impetu suffragante, eos in fugam uertisse intueri fas erat. Ex altera parte deinde captiuos hostes, manibus ac genitalibus excæcis, à Rege hac nota & animorum timiditatem & effectas corporum uires inimicis exprobrante, traductos aspexisses. Alibi postea, sculpturarum picturarumque insigni contexta uarietate & Regem, uictoria iam habita, Dijs sacrificantem; & eundem, deuictis ac profligatis hostibus, triumphantem cognouisses. Mediana denique peristylis parte binæ ingentis magnitudinis statuae, & ex perpetuo continuoque lapide conflatae statuebantur, quarum singulae in septem uiginti que cubitos assurgebant: ad easque uisendas è peristylis, tribus uestibulis seu itionibus transactis, homines accedebant. Haud procul ab his magnifica superbaque domus columnis suffulta in altum patebat; cuius latera singula ab imo ad summum bina iugera, hoc est pedes quadringentos & octoginta complectebantur. Complura autem lignea ibi aderant simulachra, quæ homines in foro sursum deorsumque cursitantes litigantesque significabant: qui suspensi iudicum sententijs quasi inhiare, & ex eorum tanquam ex oraculi cuiusdam responsis quodammodo pendere uidebantur. Controuersijs autem componendis atque dijudicandis triginta præesse fingebantur, mediusque inter hos Princeps quasi iudiciorum antistes ac moderator considebat; cui ueritatis imago clausis oculis, magnaque librorum multitudine circumfusa è collo pendebat: quibus notis iudicem



dicem morum vitæque integritate cæteris præstare debere, iudiciorumque præfectis atque Prætoribus ueritatem tantummodo persequendam esse tacite innuebatur. Forensi hoc loco transacto, in domo eadem cenaculum triclinijs compluribus uario epularum instructis apparatu undique circumseptum offende-  
 tur: ibiq; in conspicuo eminentiori que loco insculptum, uarijsq; pigmentorum generibus delibutum Re-  
 gis simulachrum extabat, quodcunque auri & argenti à uectigalibus populis sibi quotannis persoluebatur,  
 id uniuersum Deo dicantis atque offerentis: tributorumque summam ad minarum ter decies centena, du-  
 centa que millia insuper conscendisse inscriptio subiecta ostendebat. Inde ad bibliothecam homines fere-  
 bantur, quæ in fronte talem nimirum gerebat inscriptionem: ANIMI MEDICAMENTVM.  
 Cunctæ deinceps Aegyptiorum Deorum imagines, necnon munera singulis conuenientia iucundioraque  
 longo ordine sequebantur. Haud procul hinc Osiris, cæteri que Reges Aegyptij, quicumque uel Deorum  
 cultus sacra que edocentes, uel iura leges que singulari studio prosequentes, in humanum genus benefici ac  
 salutare extitissent, conspiciendi proponebantur. In postrema denique domus eiusdem sede ædificium  
 quoddam regio more constructum latebat, quod lectisternia puluinariaq; uiginti Ioui Iunoniq; sacra habe-  
 bantur: in superiori que parte Osymandij Regis statuæ custodiebantur, quinetiam Regis eiusdem corpus  
 unguentis perfusum, aromatibus que delibutum ibidem asseruabatur. Postremum autem hoc ædificium  
 cellulæ quidem complures circumsidebant, in quibus cuncta animantium genera Aegyptijs ritibus immo-  
 landa sacrificanda que coloribus exprimebantur, singula que pariter ad Regium monumentum aspirare &  
 conscendere uidebantur; quod aureo circulo ingentis magnitudinis tanquam fasciæ cuiusdam cingebatur  
 complexu, cubitis trecentis & sexagintaquinque eius periodum explentibus, eiusdem que crassitudine cu-  
 bitali existente: in quo per cubitos singulos anniuersariæ dierum uicissitudines sigillatim erant descriptæ,  
 necnon stellarum ortus atque occasus, propriæ que earum uirtutes atque propensiones ex Aegyptiorum do-  
 ctrina ibidem annotatæ conspiciebantur. Verum labentibus annis deinde, Cambyse Persici Imperij fines  
 in Aegyptum proferente, circulum hunc exportatum fuisse affirmant. Id autem pro comperto ut habeas  
 uelim, præsens Osymandij monumentum haud precio tantum sumptibus que, uerum etiam operis arte atq;  
 subtilitate Regijs omnibus monumentis iure præferendum uideri. At lustris compluribus deinde succe-  
 dentibus, Myrim Aegyptijs imperantem Memphy Propilæum, opus quippe celeberrimum ac admiran-  
 dum, uersus Septentrionem condidisse reperimus. Quinetiam Regem eundem, lacum stadijs decem à  
 Memphytica urbe distantem tum propter summam ipsius utilitatem, tum propter incredibilem operis ma-  
 gnitudinem maximis laudibus prosequendum legimus effodisse. Eius namq; amplitudo in tria millia sex-  
 centa q; stadia, hoc est in milliaria quadringenta & quinquaginta patebat: locisq; nonnullis tanta eiusdem  
 extabat altitudo, ut ulnarum quinquaginta profunditatem, hoc est spatium inter ambas manus expansas  
 quinquaginta uicibus repetitum expleret: adeo ut si quis & beneficij in uniuersam Aegyptum collati ratio-  
 nem, & operis ipsius magnitudinem, necnon inuenti nouitatem insuper, inuentoris que sapientiam postre-  
 mō diligenter considerauerit, Regis illius uirtutem famamq; nunquam pro meritis laudare celebrare ue po-  
 terit. Cùm enim uir acri iudicio alta que mente præditus Nilum incerta instabili que ratione augeri atque  
 decrefcere perspexisset, & cùm insuper ex fluuij incrementis atque imminutionibus Aegypti totius ubertate  
 sterilitatem ue proficisci animaduertisset; lacum hunc uel stagnum potius ad Nili inundationes exci-  
 piendas continendas que instituit: ne, aquis propter immodicos fluminis auctus super tellurem exuberan-  
 tibus, fruges ipsæ nimia humoris redundantia marcescerent atque perirent. Verum ne propter aquarum  
 defectus arua quandoque ex nimia siccitate squalerent, siti q; tandem exurerentur; fossam stadiorum octo-  
 gintaquinque, hoc est milliarium denum ac semis longitudine, & centum ac sexaginta cubitorum altitu-  
 dine à flumine ad lacum excitauit atq; perduxit: per quam fluuiatiles undæ, temporum opportunitate ser-  
 uata, aliàs acceptæ, aliàs redditæ regionem uniuersam fertilem sæcundam que tuerentur. Alternæ autem  
 huiuscemodi aquarum distributiones obicis cuiusdam ad fossæ caput appositæ interuentu, nec sine profusa  
 pecuniarū iactura, effici consueuerunt: nec enim aquariū illud claustrū relaxari unquam obfirmariq; rursus  
 poterat, quin talenta quinquaginta ad huiuscemodi opus expediendum præstanda erogandaq; forent. Sta-  
 gnum hoc Diodori Siculi tempestate incolume nimirum extitisse memoratur, & à Myri conditore Myridis  
 appellationem obtinuit. Tumulum autem quendam medium ex aquis emergentem cernere ibi fas erat, in  
 quo Regis extructum fuerat monumentum: duæ que pyramides ad stadij unius altitudinem pertingentes  
 utrinque assurgebant, Regi una, Regiæ que coniugi altera sacra existente: in earum que summis uerticibus  
 duo marmorea simulachra duobus thronis pro Regio more assidentia spectabantur. Quæ quidem omnia  
 Rex ille gloriæ percupidus, ut, tantis operibus in medium propositis, uirtutis suæ fama nomenq; in æter-  
 num apud posteros perduraret, conatus fuisse uidetur. Compluribus deinde circunuouentibus annis Me-  
 nidem, quem nonnulli Marum cognominarunt, in Aegypto regnasse comperimus: qui præclarū sibi ex ædi-  
 ficauit monumentum, ei que labyrinthi cognomen imposuit, ædificium utique non solum propter ingentem  
 operis magnitudinem, uerum ob artem quoque uix imitabilem admirandum: nec enim ingredienti,  
 nisi itineris ducem secum habuisset, facilis expeditus que reditus deinceps patebat. Dædalum uerò in Aeg-  
 yptum profectum, operis que nouitatem artem que admiratum, exemplo inde arrepto, Cretæ celebrem  
 Labyrinthum Regi Minoi fabricatum deinde fuisse autumant: qui uel temporis diuturnitate uel hominum  
 iniuria consumptus demolitus ue iandiu iacet, Aegypto, quanquam uetustiori, Diodori tempestate inte-  
 gro incolumi que existente. Septem Regum præterea imperijs expletis, Chemmim Memphy regnasse af-  
 firmant, qui omnium, quotquot extructæ fuerunt, amplissimam Pyramidem, inter septem uidelicet orbis  
 miracula enumeratam traditur condidisse: que à Memphytica urbe Lybiam uersus stadijs centum uiginti,  
 T 3 quindenis



quindenis uidelicet milliaribus, à Niloq; flumine stadijs quadragintaquinq; , passuum uidelicet quinq; milibus ac semi procul abfuisse memoratur : eaq; contemplantium animos tum ob singularem artis præstantiam, tum ob ingentem quoq; operis magnitudinem attonitos atque obstupentes reddere consueuerat. Pyramidis huiusce formam quadratam extitisse reperimus : Singulaq; basis latera in septem iugerum, hoc est in pedum mille sexcentorum & octoginta longitudinem excurrerant ; ipsaq; moles ad sex iugerum, scilicet ad pedum mille quadringentorum & quadraginta altitudinem efferebatur : Summaq; pars demum in mucronis formam acuminata, in cubitos sexagintaquinque assurgebat : Totaq; machina ex præduro, nec scalpturis suscipiendis apto idoneo'ue, uerùm ad æternitatem composito saxo constabat. Quinimo saxa ex Arabia usque comportata, & ad operis structuram, aggerum auxilio concurrente, aptata accommodataq; fuisse dicuntur: nec enim fabricantium arma instrumenta'ue ab humanis ingenijs excogitata adhuc reperia'ue fuerant. Quapropter opus illud uix satis laudari commendari'ue posse censemus ; eoq; magis, quòd in medijs arenarum undique circumstantium globis, quò nec aggerum species, nec lapidinarum uestigia ulla prorsus apparent, est constitutù : adeò ut, & machinæ ingenti magnitudine expensa, & singulari eius artificio perlustrato, & loci demum iniquitate perspecta, haud hominum manibus paulatim extructa, uerùm Deorum immortalium nutu atque consilio ibi repente confedissee tanta utique moles uideatur. Machinæ huic perficiendæ trecenta & sexaginta hominum millia adhibita, uiginti ferme annorum spatio insudasse inuigilasseq; ferunt. In tantam autem operariorum manum olerum herbarumq; uictu alendam ac sustentandam, talenta mille atq; sexcenta erogata fuisse creduntur. Secundam deinde Pyramidem Chabreus Aegyptiorum Rex condidisse memoratur, quæ superioris modum atque rationem quanuis imitata, angustioribus tamen finibus erat circumsepta : nec enim singula basis latera stadij unius amplitudinem excedebant, quin etiam uestibuli ianæq; ipsius aditus ex una parte solùm patebat. Mycerinus, quem Cherinum nonnulli appellarunt, Chabreo in regnando postea successit. Hic tertiam quidem Pyramidem inchoauit; haud tamen, fato occupante, eam perficere seu ad exitum perducere ualuit : singulaq; basis latera in tria iugera, hoc est in pedes septingentos & uiginti excurrerant ; conditorisq; nomen in superiori parte uersus Septentrionalem plagam inscriptum legebatur. MYCERINVS. Præter tres Pyramides à nobis hæcenus commemoratas, tres aliæ eiusdem generis omnes habentur ; quæ priorum quanuis structuram ac firmitatem imitantur, magnitudinis tamen ratione ab eis nonnihil differre uidentur : basium nanque latera in his bina iugera, pedes uidelicet quadringentos & octoginta nequaquam excefferunt. Primam Armeus, alteram Amasis, tertiam Massus Aegyptij Reges quondam condidisse ferunt. Sabacco demum Aegyptio Rege defuncto, cum duodecim Præfecti annos quindecim Aegyptum uniuersam Regia potestate unanimes & concordēs administrassent, ut commune ijs monumentum extrueretur, publico edicto sanxerunt: ut, quem admodum uiui & ad idem dignitatis fastigium pariter conscendissent, & in imperio gubernando eosdem animorum sensus perpetuò obtinuissent ; haud secus post mortem quoque unum idemq; sepulchrum cunctorum corpora simul complectens, coniunctam indiuisamq; eorum memoriam posteritati testatam relinqueret. Quapropter omnia Regum superiorum monumenta peruincenda obscurandaq; sibi proposuerunt. Nec spes tanta eos certè frustrata fuisset : adeò enim splendide sumptuoseq; moles hæc elaborata conspiciebatur, ut si ante ciuiles eorum dissensiones supremam manum assequi potuisset, propter eximiam operis dignitatem atque præstantiam Regia omnia monumenta longo quippe antecelluisset interuallo. Verùm cunctæ profectò huiusce generis impensæ, quanuis ingentes admirandæq; , inutiles tamen existunt ; nec opera consimilia, cum ad inanem ostentationem magis damnosasq; pecuniarum effusiones, quàm ad usum aut fructum aliquem extructa uideantur, laudanda comptobanda'ue unquam iudicabimus. Quinimo ad edes, palatia, aliæq; consimilia ædificia, quibus mortalium indiget usus, formarum ornamentorumq; symmetrijs diligenter exploratis, constituenda unumquenque potius accendemus, adhortabimur, & impellemus. Aedificiorum nanque elegantes prospectus, commodasq; eorum distributiones habitantibus quidem usui atque emolumento, ciuitatibus autem laudi ac ornamento, contemplantibus demum uoluptati atque iucunditati esse omnes intelligunt. Quapropter lacum illum amplissimum, quem Myrim Aegypti totius commodo ac beneficio consulentem condidisse supra iam diximus, propter ingentem eius utilitatem summis laudibus prosequendum, & ad sydera usque extollendum haud immeritò existimamus.





**A**LENTVM quanuis exiguum, Candidissime Lector, quod diuina munificentia nobis est elargita, haud in tenebris quidem reconditum abstrusum'ue frustra torpescere, quin illud maximo eorum, qui nostras hasce lucubrationes sibi legendas proponunt, fauore atque emolumento potius studiosis quibusq; perlibenter communicare, animus suadet. Quapropter hac ratione potissimum adducti, triennium iam abest, præcepta nonnulla ad Architectonicam facultatem quammaximè conducentia in lucem edidimus, breui reliqua uolumina nos edituros quoque polliciti. Verùm cur pollicitationum nostrarum nullus terminus adhuc exitus'ue conspicitur, qui intimos animi nostri sensus optimè norunt, ijs, quibus illos palàm effari & aperire nequimus, dilationis huiusce rationem exponere, causasq; patefacere haud grauabuntur. Id unum in præsentia dixisse sat erit, alacritatem de studiosorum omnium cœtu ac uniuersitate bene merendi nunquam profectò nobis defuisse. At ne susceptam prouinciam arduam illam quidem, si cum uirium nostrarum imbecillitate conferatur, turpiter quandoq; deserere cogemur, Francisci Valesij splendidissimi utiq; Regis, quem admodum ex epistola mox in exordio huiusce uoluminis conscripta percipere licet, opem numenq; implorauimus: cuius liberalitate suffragante, librum hunc sub Regijs auspicijs ad communem omnium, quotquot Architecturæ addiscendę percupidi existunt, utilitatem promulgandum curauimus. Quòd si cætera uolumina, quæ ad uniuersum opus absoluendum perficiendumq; efflagitantur, serò forsitan in lucem prodibunt; socordix huiusce crimen haud in nos quidem, uerùm in Principum, qui thesauros opesq; suas citra delectum ullum profundunt, inscitiam atq; temeritatem potius conferendum uidetur: etsi, ut uerum fateamur, ministrorum avaritia Principes falsis calumnijs plerunq; onerare, suspectosq; reddere solet. Euge Meccenas splendidissime, in æternum Dij faxint, ut fama nomenq; tuum perduret: quoniam Imperatoris tui munera pro hominum meritis atque uirtutibus iustissima ratione olim distribuendo, & Principi tuo liberalitatis atque magnificentix, & tibi ipsi probitatis iustitiæq; perpetuum monumentum reliquisti. Quosnam fidei nunc sinceritatisq; tuæ imitatores sectatores'ue nominatim proferre possemus? Nos quidem in nonnullas præclaras atq; admirandas antiquitates, quarum in præsentia uolumine mentionem habuimus, propterea quòd oculis nequaquam eas perlustrauius, iniurij quodammodo fuimus: à uiris tamen, qui facultatis huiusce usu quammaximè præstant, quosq; frequenter adiuimus, ita nobis relatum renunciatumq; fuit. Quapropter si alicubi erratum aliquod aut in formis designandis, aut in modulis recensendis quispiam offenderit; haud nos quidem, uerùm ij potius, qui falsa nobis retulerunt, obiurgandi uidebuntur. Quòd si in præclaris nonnullis antiquorum operibus condemnandis nimia forsitan libertate usi sumus, nec iudicis nec delatoris nomen affectantes id nos fecisse tibi persuadeas uelimus; sed Vitruuij tantummodo uestigijs innitentes, sensus animi nostri in medium expeditissimè protulimus ac proposuimus: ut qui scientiæ huiusce primordia ac rudimenta uix degustarunt, nostris admonitionibus expergefatti in uetustiorum operibus imitandis partes laudabiliores & ad artem magis compositas secernere, licentiores uerò & in effusam quandam libertatem excurrentes reijcere queant. Quòd si nonnulli Romanorum edificiorum fragmentis potius quàm Vitruuianę doctrinę integritati soliditati'ue addicti nos oppugnare uoluerint, nã uirorum complurium in Architectonica facultate quammaximè excellentium, qui Vitruuianas institutiones summo iudicio summaq; diligentia lætitarunt, egregia manus ad nos defendendos statim accurret. Venetijs quidem Gabrielem Vendraminum dissolutiorum operum acerrimum hostem, & Marcum Antonium Michaelem in antiquitatum studijs apprimè exercitatum, ambos è Patritiorum gente oriundos, ambosq; doctissimos uiros, partib. nostris fauentes adhibebimus. Bononiensium autem ciuium, quos patriæ eiusdem charitas atque communitio nobiscum copulauit, Equitem Bocchium, & Alexandrum Manzolum, ambos iudicio quammaximè præstantes, pro nobis arma sumpturos ne minimum quidem dubitamus. His Cæsar Cæsarianus, alijq; innumerabiles propemodum Italo sanguine procreati ad nostras partes suscipiendas sese comites & adiutores exhibebunt: unaq; omnes tum Vitruuiana doctrina muniti, tum usu quoq; intra rationis limites persistente confirmati, nos ab inimicorum telis protegent atque defendent. Teq; Valerium Romę ex Porcariorum nobilissima illustriq; familia genus ducentem, fratremq; simul, quæquam defunctos, ut nobis contra maleuolorum contumelias atque conuitia opem auxiliūq; feratis, supplices obsecramus: Cùm enim uos Vitruuij Architectorum omnium celeberrimi sensus omnes quanuis abditos reconditosq; optimè callueritis, si quispiam falsò nos calumniari tentauerit, manes ossaq; uestra demum ad partes nostras tuendas, atque ad inimicis terrorem incutiendum utiq; insurgent. Quòd si maledici hi conuitiatores obiurgatoresq; Alpium iuga conscenderint, & in Galliam debacchantes pertransierint; ibi quoque & eruditissimum Baysium, & perspicacissimum Ruthenorum Antistitem, & Mompolerium in omnibus scientiarum generibus exercitissimum, & Regem denique ipsum, ueritatis tutissimū perfugium & firmissimum propugnaculum, partes nostras alacriter suscepturos, illorumq; amentiam furoremq; repressuros insperatò comperient. Quinimo quotquot uel Vitruuianę doctrinæ aduersari sibi in animum induxissent, uel nos, qui celeberrimi authoris illius placita & perpetuò sectamur, & omnibus, quicunq; ædificiorum firmitati atque elegantix incumbunt, sectanda proponimus, oppugnare decreuissent: mox fulmineus potentissimi Regis aspectus, uno duntaxat oculorum ictu cunctos pariter deiiciet atque profternet.



*FINIS TERTII LIBRI SEBASTIANI SERLII  
de Antiquitatibus tum Ichnographicè, tum Orthographicè pertractan-  
tis; Joanne Carolo Saraceno interprete existente*





SEBASTIANI SERLII,  
COMMVNIA PRAECEPTA  
ARCHITECTVRAE

Ad quinque aedificiorum genera,  
Tuscanum, Doricum, Ionicum, Corin-  
thium, atque Compositum  
mirificè conducentia:

A IOANNE CAROLO  
Saraceno ex Italico in Latinum  
sermonem elegantissimè nunc  
conuersa, fidelissimè que  
translata,

LIBER QVARTVS.

Antiquitatum exemplis insuper, quæ pleraque  
à Vitruuiana doctrina haud abhorre-  
rentur, aptissimè insertis appositisq;

VENETIIS,

Apud Franciscum de Francis Senensem, & Ioannem Chriger.

M D LXVIII.



# ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO MARCHIONI VASTIO,

CAESARISQVE PERSONAM ATQVE AVTHORITATEM  
IN ITALIA GERENTI, ALFONSO DAVALO.

SEBASTIANVS SERLIVS.



**I** PRINCIPES cuncti, ALFONSE præstantissime, quiq; in altissimis dignitatum gradibus collocantur, tuum illum animi candorem, præclaramq; tuam illam mentis puritatem atq; sinceritatem imitarentur: quin præsens hoc æuum propter ingeniorum in quavis celebri liberalique facultate excellentium, quanuis ope destitutorum, sælicitatem haud aspernandum, ad auream illam & fortunatissimam Romanorum præscorum ætatem reuertetur, nequaquam profecto desperandum censerem: quinimo antiquorum opera recentioribus nonnihil inferiora forsitan esse conspicerentur. Ut veteri enim fertur prouerbio, longè facilius iam inuentis addere, quàm res à principio excogitare adinuenireque existit: quod antiquorum etiam exemplo confirmari planè licet. Ipsi nanq; etsi partim proprijs inuentionibus, partim rerum ab alijs sibi traditarum amplificationibus quammaximè claruerunt: eorum tamen opera, nisi molis atque magnificentia, at intelligentia saltem & artificij ratione, cumulatorem perfectionem, validioraque incrementa forsitan suscipere possent. Verùm præclara hæc beneficaq; facultas, quam Architecturæ nomine à sapientissimis viris donatam reperimus, Romano- rum Imperio deleta & abrogata, sensim ipsa quoq; deficere & paulatim imminui cæpit: quæ rursus tamen, Cælorum clementia atque benignitate opitulante, paucis abhinc annis paululum respirasse, & pristinam quinetiam formam breui recuperatura videtur; nisi tetra sæ- daque auaritiæ liuor ferreis vectibus firmissimis que repagulis Principum opes atque the- sauros occlusos continuerit, ipsamque liberalitatem ex Regum Purpuratorumque aulis cie- etiam terrarum orbem deserere, æthereasque domos repetere tandem coegerit. Præmia nanque si tollas, mox industriorum quoque uirorum labores actionesque necessario auferun- tur. Idq; ita esse, exemplis quæso nonnullis recentioribus comprobemus. Bramantes, qui veram solidamque Architecturam, quæ à superioribus seculis ad eius usque tempestatem consopita iacuerat, primus erexit, suscitauit, atque restituit: nisi Iulium Secundum Pon- tificem Maximum sublimi elatoque animo, eiusq; optatis mirificè fauentem adeptus fuisset; præclara illa opera, quæ Romæ ab eo elaborata conspiciuntur, nunquam mehercle aggredi potuisset. Pariter etiam nisi Michael Angelus Bonarotius ab amplissima familia Medicea liberaliter primùm acceptus, postmodum ab eodem Pontifice, ab alijs que summis viris de- inde muneribus præmijsque quamcumulatissimè honestatus fuisset: haud quidem tot admi- randaque eius opera, tam coloribus expressa quàm ex marmore ducta, passim conspicerentur. Item quoque, nisi præstantissima Urbinatis ditionis dux ac moderatrix Isabella diuinum Raphaelem ab eius ineunte adolescentia humaniter primùm excepisset, liberaliterque per- tractasset;



tractasset; Iuliusq; Secundus Pontifex Maximus deinde amplissimis ipsum muneribus exornasset; Leoq; Decimus tandem liberalium omnium disciplinarum, industriorumq; uirorum cunctorum parens & propugnator, summis eundem beneficis sibi deuinxisset obstrinxissetq;: nunquam profecto uir singularis picturam præclaris adeò operibus illustrare, nec Graphica & Architectonica facultatis tot admirandaq; monumenta posteritati relinquere ualisset. Insuper, Iulius Romanus, diuini Raphaelis germanus alumnus & certissimus heres; nisi Mantuano Duci, liberalissimo utique Principi, & tam Picturæ quàm Architecturæ apprime studioso, iucundus & gratus pariter extitisset: qua ratione & Mantuæ ipsius urbem, & loca extra eam complura, innumerabilibus propemodum adeoque eleganter compositis picturis atque adificijs cohonestare unquam collocupletareque potuisset? Nisi Hieronymus Zenga Franciscum Mariam Urbinatem Ducem, eumque in adificatoria & graphica facultate non minus quàm bellicis laudibus ceterarumque liberalium artium cognitione præstantem naetus fuisset: egregia opera, quæ celeberrimus ille Architectus in Principis benefactoris quæ sui gratiam extruxit, ad exitum perducere nunquam profecto ei licuisset. Postremò Titianus, tempestate nostra Picturæ eximium decus & singulare ornamentum, nisi Alfonso Atestinum Ferrariæ Ducem primò, qui, amplissimis donis collatis, equestri quoque eum dignitate exornauit; moxq; Federicum Gonzagam splendidissimum utique Mantuæ Principem, cui tabulas pictas complures dedicauit, quotidieq; transmittit, ambos sui quammaximè studiosos cognouisset; nisi que innumerabiles alios præterea tum sacros tum etiam prophanos Principes, & CAROLVM QVINTVM præsertim summum Imperatorem ab eo coloribus mirificè expressum atque distinctum, à quo, præter ingentia sumptuosaq; munera accepta, nouis quinetiam equestris dignitatis insignibus ob singularem uirtutem auctus amplificatusque fuit, in sese beneficos & summa quadam usos liberalitate perspexisset; tuamq; demum, præstantissime ALFONSE, munificentiam atque benignitatem multis argumentis sensisset: nunquam mehercle tam clarus, tam celebris, diuinusq; propemodum uir hic in pingendo, mea quidem sententia, euasisset. Verum ut unde discessimus, eodem nostra reuertatur oratio, id post tot uerborum ambages ac circuitus inferre tandem contendimus; quòd cum tu, humanissime Princeps, Cæsaris personam atque Imperatoriam auctoritatem referens, ad Venetam urbem nouissimè appuleris: præterquam quòd cum Sanctissimo Venetorum Senatu consilia ad publicam communemque fidelium cunctorum utilitatem spectantia ineundo, prudentissimè sapientissimeq; rete gessisti; indigentibus quinetiam promptè subueniendo, & bonarum artium studiosis quibusque digna eorum uirtutibus præmia liberaliter persoluendo, tuam & in Deum pietatem, & in humanum genus beneficentiam cumulatissimè declarasti. Quinimo ego quoq; etsi omnium minimus, animi tui liberalitate atque generositate abundè perspecta, tuorum in me meritorum testis amplissimus semper ero; & quasi præconis munere fungens, nomen famamque tuam in æternum decantabo. Cum enim librum hunc in lucem iam editum, nec sub tuis tamen auspicijs promulgatum, tanquam exiguum quoddam munusculum tibi obtulissem: tu non solum hilari uultu, & perquam honorifico sermone eum excepisti; uerum insuper, dilationibus & uentosis uerborum ostentationibus reiectis, haud leui quidem auri pondere nos quamprimùm abs te donatos dimisisti; ingenijque tui ad benefaciendum alacritatem procliuitatemque egregio hoc singulariq; liberalitatis exemplo optimè nimirum significasti. Quapropter etsi iusta certè adducti ratione nostras hæc lucubrationes, ad artem adificatoriam mirificè conducentes, haud rursus in posterum imprimendas statuissimus; quanquam propter ingentem studiosorum concursum omnes, quotquot iam à nobis excussa

editæque



editæque fuerunt, emptores facillimè sibi conciliarunt, nec, quanuis à compluribus exoptata, venales illæ amplius superessent: tamen, quoniam eas tibi pergratas & quammaximè iucundas esse perspeximus, necnon accepti memores beneficij, easdem & in tui gratiam & ad communem studiosorum cunctorum utilitatem denuò imprimendas curauimus. Nec illud quicquam nos afficit, quòd nonnulli, auaritia suadente, & lucro tantummodo inhiantes, designationum nostrarum modulis & symmetrijs nequaquam animaduersis; quæ ut ab operarijs exactius intelligantur, amplioribus formis nimirum essent configuranda; eas minoribus typis excudendas duxerunt. Quinimo ceteræ figuræ deinceps, quæ in reliquis uoluminibus librum hunc subsequentes statuentur, propter rationem eandem latiora adhuc spatia sibi requirent. Postrema autem hac editione, præter locorum complurium emendationes atque castigationes, nonnulla insuper addidisse videmur: quemadmodum & in Dorico zophoro exponendo, & in Doricæ ianua Vitruuiana constitutione enucleanda, & in Jonicæ basis pertractatione aggredienda, & in capituli Jonici uoluta adeò obscura difficultique interpretanda, & in basi Corinthia, Corinthioque capitulo explicando, intueri cuius perspicuè licet. In Compositi ordinis quinetiam declaratione, sub alatorum equorum capitulis strias, quæ antea defuerant, hic addendas curauimus. Quicumque igitur nostras hæc lucubrationes nunc demum auctas amplificatasque posthac sibi legendas proponent, si quid utilitatis fructus ue ex eis se percepisse tandem intelligent, totum id tuæ benignitati atque beneficentiæ sese debere fateantur. Hincque nimirum, quisnam liberalitatis primas hodie sibi uendicat partes (absit inuidia uerbo) omnes palàm ex sermonibus nostris arbitror cognituros. Tu autem interea, Mecenas splendidissime, Serlij tui animum tibi gratificandi percupidum, tibi que uni perpetuò addictum deuotumque benignissimè accipe: cui à Deo Optimo Maximo & Nestoris annos, & Metelli fælicitatem supplices tandem precamur atque obsecramus. Vale.





**C**UM NOS, Candidissime Lector, præceptiones nonnullas ad Architecturam quammaximè necessarias in unum corpus ita perstrinxerimus itaq; complexi fuerimus, ut haud solertiora tantummodo, uerùm mediocria quinetiam ingenia, prout maiorem minorem uel ad huiuscemodi facultatem innatam propensionem habuerint, eas satis commodè comprehendere ualeant: etsi, operis totius argumento id suadente, in quinque libros, quemadmodum paulopost dicemus, uniuersum hoc corpus digessimus: præsens tamen uolumen quartam utique sedem obtinens, propterea quòd tum ad ædificiorum multiplicem uarietatem dignoscendam, tum ad complures quoque eorum ornatus percipiendos perspicuosq; maiorem cæteris necessitatem opportunitatemq; præstat, in lucem præmittendum haud immeritò existimauimus. Nec tamen, si quid boni repertum hic fuerit, id nobis falsò tribuimus aut arrogamus: sed Balthasari Petruccio Senensi, à quo artis huiuscæ prima accepimus documenta, id omne concedimus ac referuamus. Nec enim uir præstantissimus in Architectonica facultate tum scientia tum usu ante alios tantummodo excelluisse uidetur: uerùm discendi quoque percupidos erudiendo, beneficum eius animum urbanosq; mores amplissimè declarauit. Nosq; inprimis tantam uiri humanitatem atque liberalitatem experti, quicquid in ædificatoria ratione didicimus atque profecimus, id totum nos ei debere palàm profiteamur. Quinetiam præceptoris exemplum secuti, quotquot ingenuam hanc disciplinam à nobis accipere dignabuntur, omnibus eam libentissimè communicabimus atque trademus: ne uidelicet præstantissimæ facultatis huiuscæ, quæ non minori animos futura opera meditantes, quàm oculos ea iam perfecta absolutaq; intuentes uoluptate afficere solet, mediocri saltem, nisi exacta & absolutissima cognitione homines defraudentur. Deoque immortales gratias agendas existimamus, quòd præclara hæc splendidissimaq; facultas ab excellentissimis illis, quos supra iam enumerauimus, uiris adeò illustrata nobilitataq; fuit; ut æuo præsentis (uide quid dicam) haud aliter quàm Cæsaris Ciceronisq; tempestate Latina quondam oratio, nunc florere uideatur. Hilari igitur amicoq; animo mentem hanc nostram uobis gratificandi percupidam studiosissimè commilitones accipite: & sicubi nos propter uirium imbecillitatem tanto oneri ferendo nequaquam suffecisse perspexeritis, ut robustiores ualidioresq; illud subeuntes infirmitati nostræ succurrant, supplicibus uotis quæso contendite.

**PRIMVS** quidem **LIBER** Geometrica principia, diuersasq; linearum sectiones eò usque profecitur, ut Architectus ijs imbutus operum, quæcunque ab eo construuntur, probabilem rationem sciscitantibus reddere ualeat.

**LIBER SECUNDVS** accurata oratione & descriptionibus accommodatis Architectum in Optica facultate eò usque sibi erudiendum proponit, ut ipse aptis designationibus & consentaneis linearum deformationibus mentem suam exprimere, atque ad oculorum sensum perbellè traducere possit.

**LIBER TERTIVS** plerorumque ædificiorum, quæ tum in Itàlia, Romæ præsertim, tum extra Itàliam quoque comperiuntur, & Ichnographiam, arearum uidelicet, quæ plantæ uulgò appellantur, designationes; & Orthographiam, perpendiculares uidelicet frontium eductiones; & Sciographiam denique, ædificiorum scilicet abscessus atque proclinationes clarissimè patefacit: modulusq; insuper diligenter explorat: necnon loca demum, propriasq; ædium singularum appellationes exponit.

**PRÆSENS LIBER**, cui **QUARTA** ascribitur sedes, quinque ædificiorum genera, Tuscanum uidelicet, Doricum, Ionicum, Corinthium, Compositumq; necnon proprios singulorum ornatus longè lateq; profecitur: uniuersamq; propemodum scientiam, propter uariam multiplicemq; cognitionem, complecti uidetur.

**QUINTVS** demum complures sacrarum ædium formas, rotundas scilicet, quadratas, exagonas, octogonas, necnon in oui insuper formam compressas, & in crucis quoque imaginem modumq; figuratas explicabit: arearumq; præterea, frontium, laterumq; modulus diligentissimè recenset.

Nunc uerò ut probatiorem in docendo modum facilioremq; ordinem obseruemus, à Tuscano ædificandi genere tanquam cæteris rudiori atque solidiori disceptationem nostram exordiemur: uerè etenim hoc cæteris firmiter ualidiusq; & minori artis subtilitate operumq; gracilitate elaboratum distinctum uel apparet; quinetiam rusticitatem quandam primus hic ordo sapere ac redolere conspicitur.


Veteres Dijs immortalibus templa olim dedicantes, pro uarijs cælicolarum, uel robustioribus scilicet uel mollioribus ingenijs, consimiles item ædificandi rationes perbellè ijs accommodare solebant. Ioui enim, Marti, & Herculi, Doricum opus uirile quoddam robur præferens tribuerunt. Dianæ, Apollini, & Baccho, Ionicum genus ex matronali figura molliciem robori admixtam complectente deductum assignarunt. Dianam enim, si fœminicam & uirginalem Deæ respexeris naturam, molliorem; sin uenandi acerrimum studium, & diuturnam exercitationem adiunxeris, robustiorem esse mox senties atque cognosces. Apollinis item & Bacchi par ratio existit: ambo nanque propter ingenitum quandam splendorem, naturalemq; eorum pulchritudinem molliores; propter uirilem autem sexum ac dignitatem robustiores esse uidentur. At Corinthium genus postremò, propterea quòd ex forma habituq; uirginali profluxit, Deæ Vestæ potissimum tanquam uirginum præsidi, perpetuæq; uirginitatis custodi ueteres ascripserunt. Et hoc quidem institutum priscis temporibus, Idolorum & Deorum complurium cultui hominibus olim inferuen-



inferuentibus, consentaneum & accommodatum fuisse haud immeritò existimatur. At rerum vicibus modò conuersis permutatisque, alia quoque ratione nunc incedendum esse indicamus: nec tamen idcirco antiquorum consuetudinem omnino posthabendam deferendamque censemus. Nos enim Christi fidem ac pietatem sequentes, sacrarum ædium species Deo sanctisque eius, prout nobis aptius & congruentius uisum fuerit, primùm dedicabimus: prophanaque ædificia tam publica quàm priuata humano generi, prout mortalium ordo conditioque postulabit, deinde tribuemus. Tuscanum igitur opus præsijs seu propugnaculis, quemadmodum urbium ipsarum portis, arcibus, castellis, ærarijs, armentarijs, carceribus, naualibus, portibusque, cæterisque consimilibus ædificijs ad bellicos usus summam opportunitatem præstantibus imprimis conducere arbitramur. Nec tamen id in præsentia reticebimus, rusticum opus, quod ex diuersis connexionum generibus rudiori quadam crassiori que lapidum compositione constantibus efficitur; necnon rusticorum operum nonnulla, quæ, sculptoribus deinde tantam in ædificando severitatem relaxantibus, uenustatis elegantiaque paululum amplius sunt adepta atque affecuta; Doricis quandoque, quandoque Ionicis, nonnunquam etiam Corinthijs operibus admisceri olim consueuisse: Veruntamen cum Tuscanum cæteris rudius minusque elaboratum existat, idcirco ei rusticum magis quàm quodcunque aliorum operum congruere & conuenire affirmamus. Hocque institutum ab ipsismet Ethruscis tam Florentia, primaria quidem eorum præstantiori que ciuitate, quàm passim in agris diligentissimè obseruatum fuisse omnes intelligunt. Tot enim adeoque formosa sumptuosaque in ea regione spectantur ædificia rustico opere conflata, quot alibi in toto orbe terrarum inuenire uix possis: ei tamen rusticitati uenustas & elegantia quædam pro Architectorum arbitratu adiuncta conspicitur. Quapropter hoc operum genus, quod rusticum appellatur, Tuscanæ potius quàm cuiusque aliæ ædificandi rationi congruere & cohærere profectò uideretur. Ex antiquioribus igitur partim, partim ex recentioribus colligentes, quam ratione & pro ciuitatibus & pro castris portæ sunt statuendæ, atque è rustico genere multipliciter deducendæ, afferemus: Necnon tum publicorum tum priuatorum ædificiorum pariter sermonem instituentes, quam ratione Frontes, Ambulationes, Porticus, Fenestræ, Scaphæ seu Conchæ, Pontes, Aquæductus, aliæque ornamenta complura, quorum constructiones ab industrio Architecto sæpenumero efflagitantur, ex eodem rustico ordine sunt deriuanda, aperire & patefacere contendemus. Quod si quispiam sibi morem gerere studens, nonnullaque antiquorum exempla sibi imitanda proponens, Rusticum opus modò Dorico, modò Ionico, Corinthioque nonnunquam inferere & admiscere uoluerit; haud nos infestos omnino & repugnantes habebit: Attamen huiuscemodi admixtionum perturbationumque genera solutius quoddam ac præceptis artificis ingenium potius, quàm rationis constantiam atque moderationem significabunt. Probum nanque Architectum in publicis operibus præsertim, quæ grauitatem atque decorum efflagitare uidentur, sedatè potius ac pedetentim incedere, quàm properè ac festinanter gradum accelerare utique oportet.

Nos in uoluminis huiusce exordio ueteres Comicos duximus imitandos, qui fabulam agere instituentes, nuntium aliquem summatim fabulæ totius argumentum spectatoribus expositurum præmittebant. Haud aliter nos etiam, cum in præsentis uolumine quinque ædificiorum genera, Tuscanum uidelicet, Doricum, Ionicum, Corinthium, Compositumque, pertractanda explicandaque susceperimus: figuras omnes, quarum in posterum mentionem habebimus, mox in principio hic præponendas existimauimus. Quauis autem in columnis proprijsque earum ornamentis figurandis, rationes mensuræque omnes sigillatim descriptæ minimè fuerint, sed primæ tantummodo atque communiore designatæ conspiciantur; proprijs tamen locis deinde singulæ exactius ac diligentius notabuntur: at nunc communiorem quandam regulam, quæ mox unico oculorum intuitu percipi queat, præposuisse sat erit. Ut autem eorum, quæ à nobis postea dicentur, faciliorem iatelligentiam homines assequantur, antiquiora nomina ex Vitruuio accepta, recentioraque insuper, quibus uniuersam Italiam uulgo circumstrepentem audimus, in singulorum ordinum principijs apponemus. Rem igitur fœlicibus auspicijs aggredientes, Tuscanum stylobatam

(de simplici eius puroq; interuallo nunc sermonem habemus ) perfectum absolutumq; quadratum complecti affirmamus. Doricus stylobata quadrato tantò maior existit, quantò linea diagonalis ab angulo ad oppositum angulum in quadrato producta, & sursum æquali perpetuaq; ratione continuata quadrati eiusdem latus excedit. Ionicus stylobata quadratum, dimidiamq; eius portionem insuper comprehendit. Stylobata Corinthius quadratum, duasq; tertias præterea occupare uidetur. Compositus demum stylobata ex duobus constat quadratis. Singulaq; hæc proportionibus stylobatarum purisque interuallis, basibus & coronicibus eorundem ablatis, profectò intelligi debent. Nec quenquam ex eo admirationem capere uolumus, sequens caput, quod primum locum obtinere alicui forsitan uideretur, quinario numero hic à nobis inscriptum fuisse. Primo nanq; uolumini de Geometria pertractanti, caput unum ascribitur: Secundum Opticam facultatem complectens, in duo capita utique secernitur: Tertium antiquitates sigillatim describens, uno tantummodo capite continetur. Vnde quatuor capitibus iam præmissis, sequens caput haud immeritò quintum in ordine statuetur.










**V**ITRUVIVM, quarto libro capite septimo, Tuscanam columnam, basi capituloq; simul adiunctis, septem partibus in altitudinem erigendam esse tradidisse comperimus, ab ima scilicet crassitudine huiuscemodi modulis acceptis. Basis altitudo, dimidiam columnæ crassitudinem obtinet: qua quidem in binas partes dissecta, una plintho assignabitur, & altera in tres partes diuidetur: quarum duæ inferiores toro concedentur, & reliqua tandem limbo siue apophygi relinquetur. Basis autem proiectura, hac ratione constituenda uidetur. Circulus pro ima columnæ crassitudine primùm describatur, eoq; intra quadratum concluso, extra quadratum deinde circulus alter maiori amplitudine quatuor quadrati eiusdem angulos undequaque contingens circunducatur: Maior hic circulus nempe, proiecturæ ipsius modum ac formam nobis optimè designabit. Cùm autem cæterarum columnarum bases plinthos quadratæ figuræ obtineant, Tuscanæ duntaxat columnæ, Vitruuius sententiæ huic subscribente, rotundiores plinthos sortitæ fuerunt. Capituli altitudo, basis ipsius altitudinem adæquabit: eoq; in tres partes dissecto, una abaco seu plintho ascribetur: moxq; altera in quatuor partes distincta, tres echino, & quarta annulo concedentur. Tertia pars demum hypotrachelio distribuetur, astragalusq; deinceps unà cum apophygi dimidiū hypotrachelii explebit. Verùm hoc spatium in tres partes rursus diuiso, duæ astragalo contingent, & apophygi reliqua tandem obuient: proiecturæq; ipsius, eiusdem altitudinē nimirum æquabit. Quauis autem astragalus unà cum apophygi acceptus capitulo adiungatur atq; cohæreat, columnæ tamen membrum quoddam utiq; existit: Summaq; ipsa columna quarta parte diminuenda contrahendaq; uidetur, itemq; capituli apex atque cacumen imam columnam nequaquam excedet. Ratio autem columnæ diminuendæ contrahendæq; talis existit. Columnæ truncus in tres partes primùm diuidatur, tertiæq; pars in imo constituta ad cathetum siue ad perpendicularum dirigatur: duæq; reliquæ partes superiores in quocunq; numero uolueris segmenta, dummodo æqualia existant, dirimantur. Semicirculo deinde ad tertiam columnæ partem inferius sitam circunducto, à lineis, quæ ab extremis lateribus capituli pendent octaua parte ad interiora utrinque secedentis, aded ut ambæ distantia simul compositæ quartam capituli totius partem expleant; ab his inquam lineis sub apophygi mox constitutis duæ perpendiculares lineæ ad semicirculum ipsum deducantur: Circumferentiaq; deinceps inter quamlibet duarum harum perpendicularium & extrema columnæ ipsius latera intercepta, in partes æquales tot inquam numero diuidatur, in quot duæ partes columnæ superiores à nobis direptæ dissectæq; fuerunt. Hisq; diuisionibus pro dextro sinistroq; latere bis repetitis, ab ambobus hemicycli lateribus transversæ lineæ mox perducantur: lineisq; singulis certa ordinataq; numerorum series, superioribus ad inferiores gradatim proficiscendo, assignetur: consimiliq; profus ratione eadem numerorum series, eodemmet ordine ad unguem obseruato, lineis columnam transversò diuidentibus applicetur. His iam peractis, primam circuli lineam primæ summæq; lineæ sub apophygi mox collocatæ æquam omnino fore unicuique constat. Postmodum secunda circumferentiæ linea ad lineam secundam columnæ, tertiæq; item ad tertiam, & pariter quarta ad quartam traducatur. Quibus expeditis, à basi ipsius semicirculi ad quartam columnæ lineam linea perducatur, & à quarta ad tertiam altera, itemq; altera à tertia ad secundam, alteraq; demum à secunda ad primam. Quo quidem opere bis pro duobus columnæ ipsius lateribus repetito, quauis nouissimæ hæ lineæ rectæ utique existunt, curuam tamen lineam quandam pro creare conficereq; uidentur: quæ à sedulo artifice deinde manus agilitatem aptitudinemq; ad hunc usum adhibente perducta, cunctos angulos ex linearum concursibus prouenientes perbellè nimirum moderabitur: atque retundet. Quauis autem præsens regula ad Tuscanarum columnarum, quæ quarta parte dimini. & contrahi debeat, conformationes potissimum referatur, cuiuscunq; generis tamen columnis effingendis nseruitura quoque uidetur. Quinimo quantò columnæ & hemicycli partes in maiorem numerum diducuntur, tantò exactior imminutio contractioq; inde proueniet.






- A. Plinthus, qui Abacus & Cymatium quoque appellatur.  
 B. Echinus, qui Onicium etiam nuncupatur.  
 C. Annulus, quem Quadram seu Regulam alij appellant.  
 D. Hypotrachelium, quod Freggij nomine passim uocitatur.  
 E. Astragalus, quem Orbiculum nonnulli dicere consueuerunt.  
 F. Apophygis seu Quadra, quam Collum capitulorum nominari frequenter audimus.  
 G. Summus Scapus, idest columnę superior crassitudo.

- H. Imus Scapus, hoc est inferior columnę eiusdem crassitudo.  
 I. Quadra seu Regula, quam alijs nominibus Gradam, Teniam'ue, aut Limbum possumus appellare.  
 K. Torus, quem Itali nunc Baculum dicunt, alijsque alijs appellationibus expriment.  
 L. Plinthus, quem Soccum appellari frequenter audimus.  
 M. Basis Proiectura, pars illa prominens & extrinsecus uergens appellatur.  
 N. Imus Scapus columnę, inferiorem ipsius significat crassitudinem.  
 O. Summus Scapus columnę, crassitudinem eiusdem superiorem designat.  
 Columnę Pilę'ue à nobis superius iam designatę, ad harum nouissimę descriptorum modulos atque mensuras perfici debent: nisi fortasse proprij illarum ordines modulis nonnullis nuper assignatis opponi aduersarij; uidebuntur.






Columnæ, basisque simul & capituli iam perfecta absolutaque conformatione; epistylum, zophorus, coronæque desuper imponenda succedunt. Epistylum capituli ipsius altitudini procius est exæquandum, sextaque pars tantummodo tenæ fasciæue concedetur: zophorus deinde ad epistylj tenæque simul altitudinem est efferendus: Eademque pariter altitudo coronici, membris eius una acceptis, debetur. Qua quidem in quatuor partes diuisa, una Cymatio seu Ouiclo superiori, duæque Coronæ, & reliqua demum Cymatio Fasciæue sub corona mox residenti, accommodabuntur ac tribuentur. Vniuersæ deinde coronicis proiectura, eiusdem altitudini par & æqualis saltem constitui debet: intraque coronæ ipsius profunditatem canaliculi nonnulli maiores minores ue pro operum ratione ad Architecti libitum sunt deducendi. Verùm cum operis huiusce generis perquam solidum, & membris simplex admodum ac inops existat; Architecto, ut membra nonnulla insuper, quæ huic generi quodammodo insita innataque uidentur, adiungere possit, concedendum planè existimamus: idque tunc ei solummodo licere arbitramur, cum opus uenustius atque elegantius reddere ipse uoluerit; quemadmodum ex parte hic inferius subiecta, & à reliqua seiuncta separataque perspicitur potest. Verum enim uerò eæ coronæ insuper, quæ proiecturas quadratis earum spatijs maiores amplioresque obtinent, nobis quammaximè certè probantur, dummodo lapides ibi collocati ædificijs tutò inniti ac insistere queant: huiuscemodi nanque excurrentes proiecturæ, decorum atque commoditatem structuris præstare utique consueuerunt. Commodæ quidem existunt, si eis ambulationes fortasse fuerint superponendæ: præterquam enim maiora laxioraque spatia suppeditabunt, opera quoque ab aquarum stillicidijs tutiora securioraque reddent. Decoræ quinetiam contemplantibus uidebuntur: opus nanque è iusto & conuenienti interuallo conspectum, maiorem certè amplitudinem ac maiestatem præferet: & qua parte lapis propter eius gracilitatem imminuetur atque deficiet, proiecturæ uehementioris species defectui huic statim opitulabitur atque succurret.




Et si nos Vitruuij dogmata & instituta sequentes, Tuscanam columnam, basi capituloque simul adiunctis, septenis partibus constituendam esse iam diximus; quam quidem speciem ac symmetriam & bonam & ab authoribus probatam receptamque esse uidemus: attamen cum primæ columnæ è sex partibus olim constituisse memorentur, mensura hac ex humano pede, quæ sextam humani corporis partem complectitur, deducta; cumque Doricæ columnæ, ut postea dicitur, septenas itidem partes sibi requirant uendentemque; ueteribus scilicet partis unius additione ad maiorem eas altitudinem educantibus: haud immeritò nos & antiquorum autoritate compulsi, & Tuscanæ columnæ quoque rationem ceteris rudiorem solidioremque; animo uoluntantes; eam humiliorem aliquantulum, quam Doricam columnam, atque depresso rem constituendam esse iudicamus. Quapropter, basi capituloque simul adiectis, sex partes tantummodo ei tribuendas censemus. Huiuscemodi autem præceptiones tanquam communiore, ut antea quoque admonuimus, à nobis hic præmittuntur: moduli que præterea, quos in Tuscanæ columnæ conformatione, eiusque ornamen-






ris distribuendis iam iam assignauimus, diligentissimè obseruabuntur. Quauis autem nec Vitruuium nec ceterorum Architectorum, quorum scripta ad manus nostras peruenerint, uilum stylobatarum, qui uulgo Pedestala dicuntur, certa aliqua firmaque præcepta tradidisse comperimus; quinimo huiuscemodi adminicula fulcimenta; ab antiquioribus Architectis, pro locorum atque opportunitatum rationibus, uel ad columnas in altum erigendas, uel ad porticus gradationibus sibi inuicem succedentibus conscendendas, uel ad alios usus instituta adhibitaque fuisse conspiciuntur: Attamen, nisi necessitas aliud fortasse postularit, singulis columnarum generibus proprios etiam & congruentes stylobatas probabilibus quippe adducti rationibus supponendos existimamus. Stylobata purum ac simplex interuallum, si basim coronicemque dempseris, quadrata figura contineri utique constat. Cùm igitur Tuscanam columnam cæteris, ut sæpius dictum fuit, compactiorem atque solidiorem esse deceat; stylobata ei subiectus perfecto nimirum absolutoque concludetur quadrato, eiusque fastigium basis columnæ ipsius plinthis æquale prorsus constitui debet: eiusdemque mox altitudine in quatuor partes diuisa, pars alia consimilis imo plinthis, necnon tantundem cymatio tribuetur: membraque hæc uniuersa omni penitus sculpturarum genere sint destituta. Quapropter cùm columna sex partibus constet, stylobata ei fulciendæ suppositus sex partibus itè terminabitur ac finiatur.

De ornamentis, deque uarijs generibus ædificiorum tantummodo nos in præfati uolumine acturos esse polliciti sumus. Quapropter qua ratione urbium præsidiorumque portæ & latera, tormentariaque fenestræ, aliaque consimilia insuper ad hostes repellendos, seseque tutandos ac defendendos excogitata collocari disponique debeant, nunc dicere prætermitemus, id oneris militari Architecto situum rationes ac temporum opportunitates dispicienti, audacter renunciantes. Verùm portis pro ciuitatum aut arcium moribus iam constitutis, quopacto eas deinde exornandas atque cohonestandas censemus, in præfata enarrabimus: & propter maiorem addiscentium facilitatem nonnullas quoque designationes conspiciendas hic exhibebimus. Muralem portam quamcunque ad urbis interiora nos perducantem, ostiolum quoddam auxiliare à latere collocatum necessariò requirere constat: uerùm ut symmetriam & laudabilem partium omnium consensum atque proportionem obseruemus, ostiolum ad latus alterum fingere ac simulare nos utique oportet. Mediæ portæ deinceps moduli atque commensus hac ratione accipiendi uidentur, ut quanta latitudinis apertio extiterit, tantundem, dimidia parte insuper adiecta, ad altitudinem explendam adijciatur. Altitudine postmodum in sex partes diuisa, earum una antepagmentis ad dextrum ac sinistrum latus portæ mox collocatis distribuatur. Pilarum frontes deinde tertia parte latitudinis portæ ipsius constituentur: earumque altitudines, basibus capitulisque simul adiunctis, quinque partes absumant. Basium itemque capitulorum altitudines, è pilarum ipsarum frontibus tertiam sibi uendicent partem: præceptionemque in columnæ superioris conformatione iam assignatam diligenter in primis obseruato. Epistylium præterea, zophorus, coronique altitudinem pilarum frontibus æqualem assequantur, superiori primi ordinis præceptione hic quoque deseruiente. Inter duas pilas auxiliare ostiolum constituetur, cuius latitudo pilarum ipsarum frontibus æqualis esto; eiusdemque altitudo latitudinem bis contineat & comprehendat: Antepagmenta autem ad utrumque latus ostioli consistentia, tertiã latitudinis ostioli eiusdem partem explebunt. Spatiū uerò portæ superimminens, ad Architecti libitū terminabitur ac finiatur. Fastigij demum, quod Frontis aspectū seu Frontispiciū uulgo appellat, proportionem ac symmetriam in Dorici ordinis pertractatione duplicem assignabimus atque afferemus.




At quoniam Architectum, ut & sibi & alijs quoque satisfacere ualeat, operum uarietate multiplicique inuentione affluere decet; rationem aliam insuper, qua urbanam castrensem'ue portam exornare possimus, in presentia subiungere libet: ea inprimis obseruata proportione, ut quanta portæ extiterit latitudo, ad tantam quoque, dimidia parte superadiecta, altitudinem attollatur; adeò ut duæ latitudini, tresque altitudini partes distribuantur. Portæ ipsius antepagmenta octauam latitudinis partem obtineant, columnæque appositæ quartam tantummodo partem assequantur. At cum singularum columnarum tertia pars intra murum cum reliquis lapidibus compacta confusaque lateat, ipsæque ornatus cuiusdam magis quam molis alicuius sustinendæ gratia appositæ ibi fuisse uideantur; idcirco partes septem earum altitudinibus dimetiendis concedentur: Quinetiam octo partes ijs condonari facile possent, dummodo Architectus portæ graciliorem hiatum sibi constituendum proposuisset. Ostiorum autem, quæ ad latera utrinque statuuntur, apertiones mediæ primariæque portæ dimidiam tantummodo sibi capient portionem, earumque antepagmenta antepagmentis illius paria similiaque prorsus existent. Altitudo uerò ita definienda terminandaque uideretur, ut scilicet fascia arcuatam sustinens conuersionem supercilij epistylij'ue rationem gerat. Quod nisi ex uno, eoque perpetuo & integro lapide opus hoc constare poterimus, ex cuneis compluribus, quemadmodum subiecta ostendit figura, ipsum constituemus. Ostiorum autem proportio, cum eorum latitudines ternis, eorundemque altitudines quinis partibus definiantur & distinguantur, subbipartiens tertias haud immeritò nuncupabitur. Arcus autem ipsius cunei quindecim numero existit. Quod uerò ad basium, capitulum, epistylij, zophori, & coronicis spectat constitutionem, ad regulam in superiori columna iam assignatam confugito. Mediana demum eductio, quemadmodum iam diximus, ad Architecti libitum nutumque perficietur. Eiusmodi autem operum genera quò ruidius & pinguiori, ut aiunt, Minerua deformabantur, eò munitionibus aptiora & magis consentanea utique erunt.




Alia quinetiam ratione, eaq; simpliciore & fortiori quoque urbanam castrensem'ue portam, typum, quem hic subiecimus, respectantes constituemus. Eiusque proportio talis existet, ut apertionis latitudo eiusdem altitudinem ad fasciam usque fornicis ipsius conuersioni substitutam prorsus adæquet: reliquaque altitudo à fascia uidelicet ad summum usque uerticem educta, hemicycli ambitum atque capacitatem consequatur. Verum Architecti iudicio, prout usus exegerit, uel aliqua necessitas ipsum cõpulerit atque coegerit, spatia hæc dilatanda contrahenda'ue relinquimus. Pariter quoque ad dextram læuamque; duo ostiola, quæ admodum aliàs diximus, stantur: quorum laxamenta dimidiam medianæ portæ latitudinem explent, necnon solidi tantundem inter maiorem minoresque intercurret apertiones: minorumque altitudines latitudinibus duplo maiores




res existent. Fasciaque insuper arcui fulciendo subiecta, portarum quoque ipsarum cuneis sustinendis optimè inferuict. Posset quinetiam fascia pro apertionis supercilio epistylio'ue constitui. Quæ quidem operum genera, quemadmodum aliàs admonuimus, tum maiora tum minora, prout Architecto commodius opportunius'ue uidebitur, construi poterunt: nec tamen, ut modulos ille à nobis hucusq; traditos longius egrediatur, assentimur.



Inventionum propositarum nouitas atque uarietas Architectum ad ea, quæ nunquam ille per sese excogitare ualuisse, arripienda complectendaq; inducere solet: quod ex sequenti proximaq; abundè, ni fallor, figura perspicitur. Ex ea nanque Architectus, pro temporum conditione necessitatumque ingruentium ui, fructus & emolumentum quamplurimum in ratione ædificatoria consequi posset. Quemadmodum munitione aliqua firmissimo & ualidissimo muro circumsepta, quanuis moenia iustam crassitudinem assecuta fuissent, si præfens tamen opus in interiori parte constitueretur, primò quidem Meniani porticus ad Soles imbresque declinandos usum atque opportunitatem præstaret: deinde superiori ambulationi laxius spatium ad urbem commodius ab inimicorum impressiõibus defendendâ suppeditaret: quinetiam, hostibus ad eã oppugnandam accedentibus, propter urbis securitatem cunctas apertiones obstruere confestim possemus. Præterea Architecto illud quoque fortè fortuna nonnunquam occurret, ut ædificium aliquod iuxta montem ei constituendum proponatur: quo quidem loci, ut contra montana torrentium defluuia, quæ limi ac sordium quamplurimum ad loca inferiora conuehant atq; deducunt, structuram suam nihil quicquam incommodi patientem opponat, eam monti innitentem recubantemque constituet: itaq; non solum prædictum declinabit incommodum, uerùm ædificium ipsum haud medioeriter quoque honestabit atque condecorabit. Et huiusce commenti genere Vrbinatem Raphaelẽ Mariano monte, qui Roma haud procul abest, in uinea Clementis septimi disponenda ordinandaque usum fuisse conspiciamus: quam Pontifex ille, dum Cardinalis adhuc esset, purpureumque galerum gestaret, olim instituit. Hieronymus Zenga quoque ad collem, quem Imperialem appellant, in Pisurense agro haud procul ab urbe pulcherrimi ædificij, ut Principi suo morem gereret, constitutionem aggressus, idem commenti genus est persecutus: ædificium nanque, ut castellum quoddam aquarium commodius fulciri sustinerique posset, monti ipsi adiunxit atque conglutinauit, idq; ex lateritio opere egregiè admodum construxit perfecitq;.




Veteres in rustico opere varia connexionum compactionumque genera efficere consueverunt, quemadmodum ex subiecta figura perspicere licet: præsens etenim inuentio Architecto ad complura, pro temporū atque opportunitatum ratione, mirificè conductura uidetur. Eius autem commensus ita à nobis in præsentia distinguuntur, ut apertionis hiatus perfectum absolutumque imitetur quadratum. Solidum inter utranque apertionem coniectum, ab ipsamet apertione quarta parte deficiat. Supercilium, quod epistylum frequēter nuncupamus, apertionis eiusdem quadrantē tantummodo obtineat; & ex cuneorum ad centrum confluentium impari numero constet. Hemicyclus deinde superior constituatur, isque in segmenta nouem æqualia diuidatur: lineisq; omnibus ad centrum deductis, cuneisq; formatis, necnon ternis segmentis medijs interiectis, fasciaq; demum superiori adiecta; hac ratione opus firmissimum, & in æternitatem compositum utiq; reddes. Verūm ut cunei epistylj coagmentationem perficientes firmitatem stabilitatemque maiorem assequantur, medium hemicycli ipsius ambitum lateritio testaceoque opere complere oportebit: quin etiam ueterum morem consuetudinēque imitati, ex reticulato opere tanquam uenustiori constituere eundem poterimus. Et Romæ in Sanctorum Cosimi Damiani que ade similibus coagmentationum genera, quanquam antiquissima, in firmitate & robore suo adhuc tamen persistentia contemplari intuerique licet.






Hæc quidem portæ dispositio solerti Architecto, quemadmodum supra dictum iam fuit, multiplicem usum atque opportunitatem præstabit, haud tamen castrensibus siue præsidiarijs portis conueniet. Nec enim uestibulum aditus'ue, quomodocunque tibi id appellare libuerit, ad tormenta expedienda, bellicasq; machinas propter defensionem urbis uersandas pertractandasq; aptitudinem ullam exhibebit: Pars tamen exterior cuiusque portæ indiscriminatim applicari accommodariq; poterit. In ea autem constituenda talem nimirum symmetriam atque proportionem obseruabimus, ut apertionis altitudo eiusdem latitudine duplo maior existat. Hemicycli ipsius cunei, nouenario numero comprehenduntur atque definiuntur: lineæque cunctæ ad centrum circuli pariter deducantur. Fasciæ arcum sustentantis planicies, septimam latitudinis portæ nanciscatur portionem. Spatium deinde à fascia ad imum usque pauimentum decurrens, in partes septem dimidiamque insuper diuidetur, senique lapidum ordines inibi statuentur: quorum tres partem unam atq; dimidiam sigillatim explebunt, cæterorumque trium singulis pars una tantummodo tribuetur, & hac ratione septem partes unà cum dimidia propositæ perbellè distributæ consumptæque fuisse uidebuntur. Cunei mediani altitudo, dimidiam portæ ipsius latitudinem assequatur: Cymatium superius cuneos circuncurrens, altitudinem cuneorum pedi prorsus æqualem habeto: At cuneus medius, quarta parte cæteris maior & amplior existat.




Subsequentis portæ species figuraque cunctis ædificiorum generibus, quæ in uolaminis huiusce exordio nominatim expressimus, profectò conueniet: at, cum è rustico opere constet, rusticanis quoque ædificijs quammaximè certè quadrabit. Portæque consimiles compluribus Italiæ locis secundum uiarum longitudes è regione ædis alicuius ingenuæ ad interiora secedentis passim constituuntur, intermediæque aræ sinum atque capacitatem concludunt, & ædificijs maiestatem quandam atque magnificentiam inducere profectò uidentur. Symmetria autem talis nimirum existet, ut apertionis altitudo ad summam arcus ipsius conuersionem educta latitudinem dupla proportione complectatur. Antepagmenta è latitudine apertionis quintam tantummodo partem sibi capiant, tantumdemque arcuatæ conuersionis distantia interualloq; assignentur. Pilarum deinde latitudines ad antepagmenta duplam rationem obtineant, earumque altitudines frontium spatia sexies contineant & comprehendant. Bases in quartam, Capitulaque in tertiam tantummodo frontium partem assurgant. Tenia fascia'ue, quæ epistylj subit rationem, itemque zophorus, cornixque sigillatim capitulo parem altitudinem assequantur. Quod autem ad propriorum membrorum, ueluti basium, capitulorum, & coronicum spectat conformationem, ad præceptionem in superiori ordine iam assignatam lectorem transmittimus. Incumbæ, quibus arcus latera fulciuntur, ad capitulorum altitudines educantur; necnon eas, quas supra instituimus, diuisiones persequantur. Cuneorum denique & cæterorum membrorum commensus, circino opitulante, explorari adinueniriq; facillimè poterunt. Quòd si uenustatis & elegantia causa fastigium tanquam ad operis decus atque ornamentum quammaximè certè conducens superponere tandem libuerit, duplicem in Dorico ordine rei huiusce expediendæ modum atque rationem postea afferemus.




Quantis portæ subiectæ forma speciesque à cæteris, quas hæcenus recensuimus, quamplurimum differt: cum tamen ea à Tuscano genere nequaquam abhorreat, eamque antiquissimam insuper existere iudicemus, idcirco præsentem ipsius typum hic conscribere libet: quam Romæ in Traianæ militiæ campo quondam extitisse accepimus, etsi propter ruinarum impedimenta casusque nulla omnino iam esse uideatur. Binæ conchæ seu scaphæ, quæ ad dexteram læuamque statuuntur, extra proprias sedes quidem à nobis collocatæ hic constitutæque fuerunt: uerùm ut scapharum, quæ operi huic aptari accommodarique possunt, diuersitatem magis aperiamus; ea utique pro ipsarum collocatione loca delegimus, quæ perspicaci Architecto ad proprias sedes eas deinde translaturus usui quamplurimum esse comperientur. Ipsarumque symmetriam atque proportionem, Architectus ad regulam in principio iam assignatam recurrens facillimè quidem inueniet. Nec ullos item portæ modulos hic explicandos aut recensendos existimamus, cum ij circini ope nullo negotio cuiusque innotescere possint.






Portæ præsentis species & constitutio, quæ sextam tantummodo circuli partem complectitur, Remenatumq; uulgò appellatur, è firmissimo quidem opere constat: haud tamen cunei cum cæteris lapidum coagmentationibus hic coniungi consociari ue possunt, uenim per sese absque ullis omnino cohesionibus, perpetuis ue connexionibus hoc opus constituendum uideretur: quapropter in lateritio pariete egregiè quidem responderet. De symmetrijs autem nihil est quod in præsentia loquamur: nec enim, circino adiuuante, modorum inuestigatio difficilis aut ardua existet. At scaphæ, quas spatij uacuitatem nacti utrinque ad latera apposuimus, in aptioribus & opportunioribus locis ab Architecto, prout ille æquum esse duxerit, statuentur: nec scapharum solummodo, uerùm fenestrarum insuper usum atque commoditatem præstabunt. Quòd si scaphas ad simulachra excipienda sustinendaque ibi effingere cogitauerimus, ut altitudo latitudinem plus quàm dupla excedat proportionem, profectò attendemus: si nanque ibi simulachrum aliquod erectum forte fortuna statuetur, optimè nimirum conueniet atque quadrabit. Hæc autem prudenti Architecto semper iudicanda definiendaque reseruamus.




Ea nempe mens atque sententia ueterum Romanorum fuisse uidetur, ut Rustico generi haud Doricum tantum, uerum etiam Ionicum, & Corinthium quandoque permisceri fas esset: Quapropter si in uno genere tum naturale tum artificiosum opus simul permiscebitur & coniungetur, admixtionem hanc nequaquam certe increpandam aut improbandam censebimus. Columnae etenim rusticis lapidibus undique munitae ac circumseptae, necnon epistylium item ac zophorus cuneorum interpositione diuisi ac praepediti, naturalis quippe operis speciem praeserunt: At capitula deinde, columnarumque caetera membra, itemque coronae atque fastigium, artificis manus ad opus perficiendum adhibitas adiunctasque fuisse clarissime ostendunt. Quae quidem admixtionum genera & aspectui ualde iucunda existere, & ad operis robur ac firmitatem quamplurimum certe conferre asseueramus. Quapropter munitionibus atque praesidijs hoc magis quam quodcumque aliud operis genus conuenire arbitramur: ubicumque tamen rusticis aedificijs illud aptabitur, praclare semper & optime agetur. Huiusmodi autem admixtionibus Iulium Romanum ante caeteros omnes uehementer delectatum conspiciamus: quemadmodum Romae opera complura ab eo elaborata, & Mantuae praesertim amplum illud atque superbum palatium, quod Te appellatur, nec ab urbe longius abest, tempestate nostra Architecturae Picturaeque simul celeberrimum & singulare propemodum exemplum, satis superque testantur. Verum propositae portae symmetriam atque proportionem modo explicemus. Apertionis ad imam usque arcus circumductionem altitudo, latitudinem bis contineat & complectatur. Moxque latitudine in partes septem diuisa, una antepagmentis assignetur: Columnarumque crassitudines bis tantumdem obtineant: earundemque altitudines, capitulis simul adiunctis, ad partes octo, quarum singulae praeditis columnarum ipsarum crassitudinibus aequales existant, educantur. Capitulum, epistylium, zophorus, coronaeque, quemadmodum superius traditum fuit, constituantur: Itemque fastigij forma ac dispositio, quemadmodum iam diximus, in Dorico ordine ostendetur. Arcuatae circumductionis hemicyclus in partes undecim diuidatur, quae tanquam propriae sedes propriaeque cubilia cuneis ipsis excipiendis & collocandis utique inseruient. At cuneus medium locum sortitus, caeteris maior & amplior aliquantulum existet: quinetiam sub arcu extra cuneos ex utraque parte appositos eundem procurrentem nonnihil prominentemque statuere Architecto licebit. Fascia arcui fulciendo supposita dimidiam columnarum crassitudinem assequatur, ab eaque ad inferiores partes delabendo nouem aequalia accipiantur segmenta: quorum bina inferioribus columnarum partibus tribuentur, septem segmentis reliquis lapidibus ijs, qui columnas reuinciunt atque recingunt, aequa ratione distributis. Quanto autem opus hoc rudiori crassiori; Minerua, artificio tamen adhibito, perfectum elaboratumque fuerit, tanto Architectus ordinis huiusmodi statum & conditionem exactius cognouit: censebitur. In lapidum autem, qui columnas cuneosque recingunt, apparatu atque dispositione tota fere artificis laus industriaque elucebit.








In operibus haud firmitas ac robur tantummodo, uerùm blanda quoq; aspectui uenustas ac symmetria, & artis acumen insuper efflagitari uidentur. Præfens igitur lapidum connexio atq; coagmentatio haud summam tantummodo operi firmitatem præstabit, uerùm & ingeniosa & contemplantibus quammaximè grata iucundaq; haud immeritò existimabitur, eamq; solers Architectus ad complura nimirum transferre ac traducere poterit. Commensus autem ita à nobis distinguentur, ut in quantam apertio extenditur latitudinem, in tantam quoque, dimidia parte insuper adiecta, altitudinem extollatur. Cunei deinceps hac ratione inuenientur, ut semicirculus in partes nouem & quartam insuper diuidatur: Cunei nanque mediani amplitudo quarta parte reliquis maior existet, cæterorumq; singuli partem unam duntaxat explebunt. Cunei item mediani altitudo, dimidiæ apertionis æqualitatem assequatur. Fasciæ ipsius planities, quæ arcus sustinendi munere fungitur, apertionis septimam partem obtineat: ab eaq; ad inferiora descendentes, pilam in septem partes diuidemus. Fasciæ Teniæ'ue cuncos superambientis altitudo, imam cunei latitudinem æquet: Cuneumq; octaua latitudinis parte ad inferiora magis uergentem ac dependentem constituere possumus. Quanam autem ratione cum cuneis lapides ceteri conglutinari colligariq; debent, ex sequenti facillimè nimirum perspicias designatione.




At quoniam hominum ingenia ab utili ac necessario ad uenustatem & elegantiam paulatim defluerunt; quinetiam ut & artificis acumen, & ædificantium liberalitas in aperto magis constituatur, ornamentorum adiectiones necessitatis rationem nonnunquam excedere solent: præsentis idcirco structuræ speciem, cum & necessarijs hominum usibus, & operis firmitati, eiusdemque formositati pariter ea consulere uideatur, iurè in medium nunc proponendam existimamus. Patentes quidem hiatus apertiones commoditatem, Solidorum autem intercurrentium uastitas firmaque compactio robur, Ornamentorum denique splendor lumenque uenustatem operi tribuunt afferuntque. Præclarumque inuentum hoc sapiens Architectus ad complures usus nimirum transferre applicareque poterit. Proportio autem talis requiritur, ut solidum interiectum apertionis latitudini æquale prorsus existat: quæ postea conduplicata, apertionis eiusdem altitudinem procreat atque conficiat. Antepagmenta octauam, & columnæ quartam uacue latitudinis partem assequantur. Inter binas columnas spatium singularum crassitudinibus prorsus æquale intercurrat: Eædemque, basibus capitulisque simul acceptis, ad partium octo altitudinem efferantur. Quod autem ad epistylj, zophori, coronicis, basium, capitulorumque spectat constitutionem, superius traditam præceptionem obseruato. Cunei, cæteraque lapidum connexiones coagmentationesque ex ipsamet apparent designatione. Et quanuis columnæ; propterea quod parum inter sese distant, nonnullæque; earum partes insuper parietem internam perfodiunt penetrantque, ipsæque ornatus cuiusdam potius quam operis fulciendi sustentandique; gratia appositæ adhibitaque; fuerunt; mensuræ iam superius statutæ modum atque terminationem duplici crassitudine excedunt: huiuscemodi tamen excessus, tum propter rationes adductas, tum propter complura antiquitatum exempla, admittendus & æquo animo accipiendus esse uidetur.






Architectum propter complura, quæ in ædificando sæpius occurrunt, uarijs diuersisque inuentionum generibus affluere quammaximè præstat, cuius quidem rei exemplum hoc libet afferre. Columnis compluribus in medium oblatis, illud forte fortuna eueniet, ut eæ cum breuiores existant, rationibus nostris nequaquam profectò conducent; nisi perspicax Architectus incommodo huic remedium aliquod præfens excogitauerit. Si igitur columna ad eam altitudinem, quæ fasciam superiori ambulationis huiusce contignationi ad libramentum respondentem sustinere mox ualeat, nequaquam pertigerit; hac cuneorum serie atque dispositione propositæ altitudinis metam assequi nobis licebit, dummodo ad dexteram sinistramque cuneati huiusce ordinis firmissima latera tanquam anterides statuuntur. Quantum enim ad oneris desuper incumbentis attinet rationem, tutum nempe ac firmissimum opus existet. Id tamen artifices in præsentia admonitos uolumus, quòd testudinatum pauimentum, nisi fibulis æneis aut ferreis quamartissimè reuinciat, infidam & malè tutam habitationem præstabit. Verùm longè maiorem afferet securitatem, si ambulatio in tantam haud patuerit latitudinem, ut pauimenti structura uno perpetuoque lapide nequeat absolui; uel si pauimentum solidioribus tignis aut larignis, aut robusteis, aut pineis insterneretur: huiusmodi nanque omnes materiæ structuræ, etsi perpetuitatem nancisci minimè ualeant; si tamen ad opus ritè fuerint applicatæ, longum certè perdurabunt in æuum. Quinetiam tignorum capita, quæ parietum cubilia ingrediuntur, aut exurere, aut plumbeis laminis circundare, aut picce illinere satius erit. Operis autem ratio ac symmetria ita constituetur, ut arcuatæ apertionis latitudo columnarum quater repetitas crassitudines expleat; eiusque altitudo bis tantundem assequatur. Minora deinceps interualla, quæ ad latera statuuntur, latitudinem triplæ, altitudinemque sexcuplæ columnarum crassitudini æqualem obtinent. Quapropter singularum apertionum aræ, ad duorum quadratorum æqualitatem conscendent. Columnæque ut ponderis superpositam molem aptius sustinere sufferereque possint, mensuram superius à nobis traditam persequentur. Cuneorum, cæterarumque colligationum formæ atque rationes dilucidè, ni fallor, ex ipsamet designatione perspiciuntur. De basium demum capitulorumque symmetrijs, in primæ columnæ expositione satis superque differuimus.




Præfens arcuum dispositio cum firmitati atque stabilitati coagmentationum quoque symmetriam & convenientiam habeat adiunctam, tum acutum artificis ingenium testatur, tum etiam oculorum sensui perbellè respondet: nec ad ambulationum tantummodo porticum uel ue, uerùm ad pontium quoque uel fluminibus uel torrentibus desuper insidentium extructiones quammaximè certè conducit. Quinimo ad aquas è monte ad montem traducendas deriuandasque aptissimum hoc commenti genus fore uidetur, & ad aqueductus etiam longo uiarum itinere perducendos proposita utique ratio expediet. Proportio autem talis efflagitatur, ut, quantum inter duas pilas residet interualli, tantundem altitudini ad fasciam usque arcus circunductioni fulciendæ subiectam condonetur; ipsaque fascia septimam apertionis totius partem obtineat, à qua ad inferiora delabentes sex partes æquales omnino capiemus: Et hemicycli ipsius ambitum siue conuersionem in nouem segmenta & quartam insuper, qua medius cuneus cæteris maior & amplior existit, diuidemus. Reliquarum deinceps connexionum moduli, circino adiuuante, facillimè expedientur.

Verùm




Verùm quoniam perpetua nonnunquam & continuata, in qua propter ædificiorum commoditatem complures postularentur apertiones, requiri posset structura : operis subiecti species firmissima, & cui grauisimum pondus quodcunque tuto committeretur, utique exiit. Quòd nisi tot fortasse usui forent apertiones, eodemmet ordine obseruato atque retento, earum aliqua lateritio opere obstrui complerique posset. Talem autem in ea perficienda symmetriæ rationē persequemur, ut quantum spatij apertionibus tribuetur, tantundem solidis quoque interiectis concedatur, altitudoque latitudinem dupla excedat proportionē. Huiusmodi tamen exuperantiæ atque excessus, prout temporum condiciones pertulerint, prudensque iudicauerit Architectus, modò maiores modò minores constituentur. Et consimilibus quidem rationibus uetustissima opera nonnulla Romæ in Beati Cosimi Damiani que æde extracta comperiuntur, quæ tamen in hodiernum diem usque firma stabiliaque perdurarunt.







Homines complura diuersaque inuentionum genera oculis contemplantes, ad ea sæpius agenda impelluntur, quæ alioqui nunquam fortasse ipsorum mentes aut cogitationes subissent. Quandoque epim uel in iucundissimo hortulo, uel in spatioſo areæ ſinu, uel alibi, quocunq; ruſtici operis eximius quiſpiam & inſignis ornatus efflagitur, ædificij alicuius fascia abſque ulla apertione nobis ſeſe conſpiciendam exhibebit. Tunc acutus nimirum Architectus ſubiecto hoc commenti genere utetur: lociſque illis parentioribus ſtatuas, & ſi qua antiquitatum fragmenta ad manus habuerit, inſtruet ac collocabit. Singularum autem partium ſymmetrias atque commenſus hic minimè perſequemur: Architecto enim opus ſuum & dilatare, & in altam educere, prout temporum exigent opportunitates, proſectò libebit.




Quoniam autem pleraque epistylia, quæ ostijs nonnullis atque officinis superponuntur, propter apertionis latitudinem, nisi lapis insigni fuerit crassitudine, ponderis incumbentis grauitatem diutius nequeunt sustinere, & ex eo ætate procedente rimis disſiliunt atque franguntur, quod quidem ubique locorum animaduertere fas est: ut prædictum incommodum euitetur, quacunq; distantia in medium proposita, dummodo latera ex utraque parte ualida firmaque extiterint, dupliciter, quemadmodum ex ſequenti habetur designatione, huiusmodi ſtructura perfici poterit; opusque hac ratione firmamenti & roboris quamplurimum certè aſſequetur. Quinimo quantò moles ſuperincumbens grauior & ponderoſior fuerit, rantò opus maiores ſibi uires aſſumet, & ad immortalitatem eò magis contendet.




Quauis in Vitruuianis scriptis atque designationibus, quam ratione ueteres in nobilioribus ædibus focos constituisse uideantur, nulla certa distincta'ue affertur cognitio; nec in antiquitatibus ulla caminorum, flamasque eructantium spiramentorum uestigia profus apparent; quin etiam nos, etsi quammaximè solliciti, à nullo quamuis peritissimo ac celeberrimo Architecto rei huiusce ueritatem expiscari unquam potuimus: Cùm tamen compluribus abhinc annis, ut hæc ignium spiracula haud in cenaculis tantummodo cubiculisque propter necessarios hominum usus ædificentur, uerùm etiam ut diuersorum ornamentorum generibus eniteant atque splendescant, mos obtinuerit; haud immeritò nos quoque cùm in præsentis uolumine, quotquot ornamentorum species in ratione ædificatoria Architecto usu uenire consueuerunt, oratione persequi decreuerimus, nonnullas huiusmodi spiramentorù, quæ caminorum uocabulo Itali passim appellant, formas atque constitutiones in præsentia subiungemus: quæ Tuscanis ædificijs, si quando usus expostularit, perbellè nimirum congruent atque consentient. Duorum autem modorum, quos hic subiicimus, alter quidem è Tuscano, eoque delicatiori opere constat, & extra parietis ipsius crassitudinem constituitur; alter uerò rustico rudiori que opere conflatus, interiorem parietis crassitudinem ingreditur penetratque.






Veteres primique Architecti Rustici generis opera hac quondam lapidum rudi crassaque textura coagmentare solebant, iuncturę tamen commissuręque quam tenacissimę, ut uides, inter sese compinguntur atque cohęrent.




Succedentibus deinde temporibus, quadratorum seriem planicie ea circumcurrente ac diuidente excogitarunt: in ipsisq; elaborandis maiori sedulitate diligentiaq; adhibita, in spicarum quoque sese decussantium morem, ornatus illustrioris gratia, quadrata eadem composuerunt atque effinxerunt.


At nonnulli in ædificando politiores adhuc atque accuratiores adamantinam formam, eamque, ut uides, elegantissimam huiuscemodi quadratis postea insculperunt.



Verùm temporum deinde, ut plerunque contingit, uicissitudine facta atque commutatione, Adamantium hoc opus modò tabulæ planiciem atq; equalitatem referre, modò prominentius adhuc efficere, quemadmodum subiecta patet designatione, hominibus placuit.



Alij demum deliciaiores Architecti, & rectæ operum distributioni magis intenti, hoc structuræ genere, quod acuminatis adamantibus per simile uulgus appellat, usi fuisse comperiuntur. Hoc tamen opus, quanuis ceteris ornatius atque elegantius, è Rustico genere, non secus ac illa superiora, originem duxit.



*TVSCANO RVSTICO QVE ORDINE IAM ABSOLUTO,  
DORICVM MODO GENVS AGGREDIAMVR.*







## DE ORDINE DORICO.

## Cap. VI.




**V**ETERES Doricum opus Ioui, Marti, Herculi, Dijsque cæteris robustiori natura præditi applicare olim & accommodare consueuerunt. At nos, qui Christi fidem ac pietatem profitemur, in ædium sacrarum dedicationibus diuersam quandam rationem nobis sequendam proponemus. Si nanque templa uel humani generis redemptori seruatorique Deo, uel Paulo, uel Petro, uel Georgio, uel sanctissimis alijs uiris, haud ijs tantummodo, qui militaribus studijs sese dediderunt; uerùm ijs quoque, qui ne Christum salutis suæ authorem desererent, mortem alacri animo subeuntes fortiter uiriliterque sese gesserunt, extruere & consecrare uoluerimus; Dorico opere tunc nobis proculdubio erit utendum. Nec Deo solùm diuinòque numine afflatis templæ deuotes, uerùm & fortissimis etiam uiris, qui armorum gloria præstiterunt, siue Principes, siue Ciues, siue Populares ij extitisse dicantur, uel publica monumenta uel priuatas ædes exædificauerimus; Doricum item genus in huiuscemodi extruccionibus imitabimur ac persequemur. Quinimo quantò robustiores illi fuerint atque seueriores, tantò firmior solidiorque constructio efflagitabitur. Sin eorum aliquis, quanuis ferox ac bellicosus, molliori tamen mitiorique ingenio extiterit: haud secus opera ut uiri statum moresque imitentur, uenustatis nonnihil Doricæ simplicitati adiungent ac permiscebunt. Verùm de his alijs, nunc sigillatim propositi ordinis constitutiones ac symmetrias explicemus. De Dorico quidem opere Vitruuium quarto uolumine capite tertio differentem ac subtilissimè disputantem habemus, at de Doricarum columnarum basibus in tertio uolumine iam antea uerba fecisse uidetur: quanuis nonnulli eiusmodi bases, propterea quòd Corinthijs columnis applicari consueuerunt, ad Corinthium genus magis spectare, necnon easdem Ionicis columnis accommodari quandoque posse existimauerunt. Quinetiam alij uetustissima complura ædificia perpendentes, Doricas columnas basibus destitutas olim fuisse crediderunt: in cuius quidem sententiæ confirmationem Marcelli Theatrum Romæ, puicherrimum nempe ac formosissimum opus, adducunt. Cùm enim eius dimidia ac inferior pars Dorico more sit extructa, imarum columnatum scapi, nullis omnino suppositis basibus, gradibus quibusdam tantummodo absque uilis membrorum adiectionibus simpliciter innituntur. Ad carcerem item, quem Ælianum appellant, nonnulla Doricæ ædis adhuc uestigia supersunt: nec tamen columnæ bases, ullas substantes habere conspiciuntur. Veronæ quoque, triumphalis arcus Dorico opere constantis columnas basibus omnino destitutas comperimus. Quæ etsi ita sese habere cernuntur: attamen, cùm Romani Corinthias bases diuersa quondam, ut postea ostendetur, ratione construere soliti fuerint, Atticurgem basim à Vitruuio in tertio uolumine tam eleganter descriptam ad Doricum genus referendam esse pronuntiamus. Et hoc nempe à Bramante Architecto in ædificijs, quæ Romæ à præclarissimo uiro elaborata conspiciuntur, ad unquam obseruari fuisse constat: cui, cùm primus ille ueram solidamque Architecturam, quæ à superioribus seculis, ad eius usque ætatem, Iulio secundo summum totius Ecclesiæ tunc sacerdoti administrante, neglectæ contemptæque iacuerat, exiit atque illustrauit, plena utique minimeque dubia fides præstanda uidetur. Doricæ uero basim igitur à latere, columnæ dimidiam crassitudinè primò adæquabit: Plinthus deinde, quem Socca nonnisi uicinis ad ceteros, tertiam altitudinis partem obtinebit. Reliquum autem interuallum in partes quatuor uicinas dividatur, quarum tres superiori, quæ orbiculum uocant, assignabitur: Cæterisque tribus in duo æqua segmenta diuisis, quorum unum in medio toro, quem baculum appellant; & alterum Trochilo seu Scotia, quæ uulgo Capetum nuncupatur, consistet ac tribuetur: Quo spatio rursus in septem partes distincto, una superiori, & altera inferiori regulæ applicabitur atque ascribetur. Basis autem prædicta, proiecturam altitudinis suæ dimidiam sortietur: & hac utique ratione Plinthus quoquouersus integram, dimidiamque, in super columnæ crassitudinè adæquabit. Quòd si nobis in superiori parte constitutis, basim infra collocatam despiciere contingeret; regula toro substans superiori, & ab eodè præpedita, inferiori regula tunc maior aliquantulum & amplior conficietur: Sin basis oculis nostris superior extiterit; regula toro inferiori substans, & ab eodè præoccupata, superiorè regulam tunc magnitudine superabit atque peruincet. Quinetiam Scotia à toro antecedente obscurata, ultra iam assignatos præscriptosque modulus aliquantulum certè promouebitur ac proferetur. Quibus quidem in reb. industrii imprimis ac diligentè Architectum efflagitamus, & in scientijs Mathematicis præsertim, quæ hominè acutum, nec consilij unquam inopè reddere solent, apprime exercitacitales, n. Vitruuius quoque descriptionum suarum studiosos profectò requirit.





Quoniam autem Vitruvius Doricum hunc ordinem in modulos distribuisse reperitur, columnæ crassitudini duos, eiusdemque altitudini, basi capituloque adiunctis, quatuordecim modulos assignando: nos item Vitruvianum persequentes institutum, hac eadem modulorum utemur diuisione. Basi ad unius moduli altitudinem pertingente, columnæ scapus in modulos duodenos assurgit, capitulumque demum non secus ac basis moduli unius altitudinem assequetur: adeo ut tota columna, basi capituloque simul acceptis, ad modulos quatuordecim conscendet. Capituli deinceps altitudine in tres partes diuisa, una Plintho seu abaco Cymatium unà complectenti ascribetur, altera Echino Annulisque simul assignabitur, tertiaque demum Hypotrachelio concedetur: cuius quidem crassitudo sexta parte ab ima columnæ deficit crassitudine. Superior capituli postea latitudo in duos modulos, & sextam unius moduli partem amplius quoquoersus excurrat. Et hæc ex Vitruvio deprompta decerptaque à nobis fuerunt. Attamen Vitruvianum codicem, quod ad proiectionem attinet quantitatem, corruptum utique ac deprauatum esse censemus: eam enim, si antiquorum, quæ adhuc extant, opera circumspexerimus, compressiorem atque tenuiorem proculdubio esse comperiemus. Quapropter è regione capituli huiusce alium, prout nostra fert sententia, proprijs modulis subtiliori & magis exquisita ratione descriptis, collocauimus: nec enim Vitruvius proprios membrorum cõmensus sigillatim nobis tradidisse, sed summatim potius & compendio quodam rem uniuersam perstrinxisse uidetur. Capitulo igitur, quemadmodum supra iam habitum fuit, in tres partes diuiso atque dissecto, plinthus identidem in terna distinguetur segmenta: quorum alterum Cymatio, eiusque regulæ simul ita distribuetur; ut eo in terna spatia similiter diducto, regulæ unum, duoque reliqua Cymatio concedantur. Haud secus etiam Echino in tres partes diuiso, duæ quidem ipsimet Echino, & reliqua demum annulis, quos regularum nomine passim appellare solemus, condonabuntur. Postremaque hac parte in tres distantias item seiuncta, singulis annulis singulæ pariter distantie assignabuntur. Hypotrachelium deinceps, quemadmodum supra iam traditum fuit, constituatur. Singulorum denique membrorum proiectionem, eorundem altitudinibus æquales conficiantur: ita nanque & operis ratio artificiosa ac probabilis erit, & eiusdem species ad oculorum sensum perbellè utique respondebit.

- Cymatium, uulgò Gula Inuersa.  
 Plinthus, aliter Abacus.  
 Echinus, uulgò Quiclum.  
 Annuli, uulgò Regulæ aut Gradus.  
 Hypotrachelium, uulgò Freggium.  
 Astragalus, uulgò Orbiculus.  
 Apophygis, uulgò Collū capitulorū.





Capitulo epistylum, quod Architrabem vulgus appellat, superimponendum succedit, cuius quidem altitudo modulum unum duntaxat explebit: Eoque in partes septem diuiso, teniæ pars una mox tribuetur, guttæque unà cum regula sub tenia constitutæ moduli sexta parte solummodo finientur: Qua rursus in partes quatuor distincta, tres guttis, unaq; regulæ ascribetur: Guttæque ipsæ senario numero comprehensæ sub triglyphis dependeant: Triglyphorumque altitudo moduli unius ac semis, latitudoque moduli unius tantummodo spatium & quantitatem explebit: Latitudineque insuper in duodecim partes dirempta, pars una semicanaliculis utrinque statuetur: denarumque partium, quæ supersunt, sex triglyphorum ipsorum frontibus, & quatuor reliquæ medijs canaliculis addicentur. Inter binos autem triglyphos moduli unius ac semis spatium intercurrent, quod perfecto nimirum absolutoque comprehendetur quadrato: intermediaque huiuscemodi spatia Metopæ à Vitruuio appellantur. Quæ si quando ornatu aliquo insigni, propter maiorem elegantiam ac uenustatem, perpoliri atque illustrari debuerint; eiusmodi sculpturis, quas in quadrato B litera inscripto expressas intueris, uel taurorum quoque capitibus, quemadmodum proxima ostendit designatio, certè cohonestabuntur. Nec prædictæ quippe sculpturæ conuenienti mysticæque significatione destituuntur. Cùm enim bubulas hostias ueteres Dijs immolarent, & sacris pateras quasdam insuper adhibere soliti essent: haud immeritò, sacrarum ædium exornandarum gratia, locis iamiam commemoratis rerum quoque consimilium effigies ac simulachra apponenda insculpendaq; curarunt. Triglyphis deinde capitula proximo superiori que loco statim succedunt, quæ ad moduli unius sextam tantummodo partem efferentur. Super capitula mox corona duobus cymatijs, altero quidem superiori, altero autem inferiori comprehensa collocetur: uniuersaque altitudine semimoduli unius spatium explete in quinque partes distributa, tres coronæ, duæque cymatijs assignabuntur. In summo denique loco post coronam sima, quam rectam gululam vulgus Italorum appellat, statuatur: cuius quidem altitudo semimoduli unius spatium finietur, octaua simæ ipsius parte propter regulam superiorem ei superaddita. At coronæ proiectura duas moduli unius tertias sibi uendicet: in ima que ipsius parte super triglyphos guttæ, compressiori tamen castigatori que ratione, insculptæ collocentur; quemadmodum ex designatione infra coronam existente satis superque perspicitur. Inter triglyphos autem uel planæ spatiosæque aræ relinquuntur, uel fulminum sculpturis insignitæ constituantur. Simæ proiectura, eiusdem altitudinem æquet. Haud secus etiam membrorum omnium præter coronas prominentiæ, eorundem altitudinibus æquales conficiantur. At de coronis illud pro comperto tibi affirmamus, quò maiores amplioresque, dummodo lapides id nobis concedere uideantur, earum fuerint proiecturæ, eò maiorem operi grauitatem atque uenerationem inducent. Et hoc nempe, quemadmodum postea & designationib. & modulis adiectis ostendemus, Romanos antiquiores diligentissimè constat obseruasse.


Sima, uulgò Gula Recta.

Cymatium, uulgò Gula Inuersa.

Corona, uulgò Stillicidium.



Si striatas columnas, hoc est canaliculis quibusdam medijs distinctas atque elaboratas tibi conficiendas proposueris, strias uiginti numero primùm perduces, eaq; ratione excuabis; ut recta quadam, quæ quadrati latus utique existet, ab uno striæ ipsius latere ad alterum extensa, quadratoq; iam designato, in eius centro alterum circini pedem obfirmes; & reliquo ab una rectæ extremitate ad alteram perueniente, strigis ipsius cauum, quod circuli quadrantem occupabit, iustissima ratione tandem attinges. Rei autem huiusce exemplum ad columnæ pedem hic infra subiecimus.




quimur interuallo) nobis quamprimùm terminabit atq; definit. Moxque altitudine hac in partes quinque distincta, pars una adhuc cymatio membrisque superioribus, necnon infimæ basi altera consimilis applicabitur ac tribuetur: adeoque integrum stylobatæ ipsius corpus haud secus quam columna ei superposita, ad septenarum partium altitudinem educetur. Quauis autem præsens capitulorum proiectura, cum plinthis basi subiecto ad perpendicularum insistat; à Vitruuianis constitutionibus perquam longè recedat: cum tamen & antiquiora capitula nonnulla à præsentis dispositione nequaquam abhorrere conspiciantur, quinetiam nos capitula eademmet ratione instructa atque formata ad opus quandoq; traduxerimus; idcirco ad eorum, qui inuentionum nouitate multiplicique uarietate delectantur, commoditatem formæ huiusce typum hic nobis conscribere placuit: etsi qui absque antiquorum operum usu, diuturnaque eorum pertractatione, Vitruuianis tantummodo placitis addicuntur, nostram hanc capitulorum dispositionem statim calumniabuntur ac reprehendent. Veruntamen si Corinthiorum capitulorum abacos, quorum proiecturæ basium ipsarum plinthis ad perpendicularum respondent, diligenter attenderint; proiecturæ hic à nobis propositæ genus haud tam facile certè ac cusabunt atque traducunt.

Sin ad columnam extollendam, aut ad aliû usum Stylobate, quod Pedestalem uulgo appellat, opus esse iudicabimus: nisi quippiam tale forsitan occurrerit, quod ad altitudinem modò adaugendam modò diminuendam nos aliter persuadeat, hanc utiq; firmam certamque perpetuò insistemus rationem. Stylobatæ huiusce latus Plinthis basi columnari subiecto æquale prorsus constituetur: Deinde perfectum absolutumq; ex prædicta latitudine quadratum conficientes, ab angulo ad oppositum angulum diagonij lineam perducemus; quæ stylobatæ ipsius altitudinem (de simplici eius puroque nunc lo-







Quoniam autem antiquitates complures, quæ tum Romæ tum alijs partim Italiæ regionibus conspiciuntur, à Vitruvianis constitutionibus longius abesse videntur: idcirco membra earum nonnulla, quæ magno ædificantium applausu atque celebritate operibus adiuncta connexaque apparent, in præsentia describimus. Quoniam autem hic minoribus formis huiuscemodi membra designauimus, nec propriorum numerorum propriorum uel commensuram exactam omnino rationem habuimus: typos tamen hosce minores maioribus quam simillimos esse, indeque summa diligentia huc à nobis traductos fuisse tibi firmissimè asseueramus. Capitulum R litera inscriptum, extra Romæ ipsius urbem ad pontem flumini Anieni insidentem repertum olim fuit. Capitulum V uocali signatum, Veronæ triumphali cuidam arcui superius incumbit. Capitulum, T litera demonstrante, Romæ ad Doricam ædem carceri Tulliano proximam offenditur. Capitulum P consonante notatum, Pisauro unà cum antiquitatibus complu-





ribus summo opere commendandis fuit quondam repertum : cuius proiectione etsi immodica uideatur , contemplantibus tamen grata iucundaque admodum esse censetur . Stercobata , Basis , Capitulumq; , A uocali hæc tria communiter designante , Romæ in foro Boario statuuntur . Coronix , Capitulum , Incumbaq; ipsius arcus , B litera hæc tria pariter denotante , in Marcelli Theatro consistunt . Coronix , zophorus , Epistylumque , A uocali rursus hæc tria simul commonstrante , Romæ in foro Boario iterum extant . Quæ quidem omnia idcirco nunc recensenda designandaque existimauimus , ut Architectus in Dorici huiusce ordinis pertractatione , hisce conspectis ac diligenter consideratis , quæcunque ei commodiora opportunioraque uidebuntur , seligere moxque ad opus suum traducere ualeat . Nunc uerò proprias Dorici eiusdem ordinis rationes ac symmetrias tanquam Architecto imprimis necessarias enarrabimus ac persequemur .





Cùm in Dorico hoc ordine, quem exponendum suscepimus, triglyphorum metoparumq; distributio perquam necessaria, necnon difficilis quoque inuolutaque existat: idcirco aliquam saltem pro uiribus nostris rei huiusce cognitionem nunc in medium afferre enitemur. Susceptum igitur negotium fidenti & alacri animo subeuntes, ab eo primùm exordiemur; quòd etsi Vitruuium de hexastylo opere, hoc est de porticu senis columnis instructa uerba facientem, illud in modulos xxxv legimus distribuisse; codicem tamen corruptum & mendosum ibi forsitan esse suspicamur. Nec enim distributionem illam sibi ipsi aliquo pacto constare posse censemus. Si nanque mediano spatio metopæ quatuor, cæterisque interuallis tres tantummodo metopæ sigillatim sunt assignandæ, nulla certè ratione prædicta modulorum summa quadrabit. At quantum coniectare ualemus, in hexastylo opere moduli xlij, quemadmodum ex sequenti figura diligens quiuis ratiocinator deducere poterit, requiruntur. In tetrastylo insuper ædificio, ex quaternis uidelicet columnis constante, Vitruuium totius operis fronti modulos xxij distribuisse reperimus: Nec tamen, si mediano spatio metopas quatuor, spatijq; lateralibus tres metopas sigillatim concedere uoluerimus, prædicta cohærebit ratiocinatio. Quapropter nos, lectione illa tanquam mendosa reiecta, tetrastylo operi, quemadmodum sequenti item patebit designatione, modulos xxvij condonandos esse arbitramur. Aedis igitur huiusce fronte in modulos xxvij dissecta, duo moduli columnarum singularum crassitudinibus ascribentur: Medianum intercolumnium octo sibi modulos uendicabit: Intercolumnia demum, quæ in lateribus statuuntur, modulos quinque ac semis sigillatim explebunt: Et hac utique ratione moduli xxvij perbellè distributi fuisse uidebuntur. Quòd si singulis deinde columnis proprios triglyphos superposuerimus, moxq; triglyphos metopasq;, quemadmodum Dorici huiusce ordinis initio iam præcepimus, diuiserimus: mediano spatio quatuor, areis autem ad latera constitutis tres metopæ seorsum contingent. Columnarum postea, basium, capitulorum, aliorumque membrorum consimilium altitudines, è præceptione iam superius tradita deducuntur. At fastigij demum altitudo longitudinis Cymatij, quod coronæ superincumbit, nonam partem absoluat, huiusmodi altitudine ab A ipsius pedibus ad imum usque coronæ cymatium dimensa. Acroteria super fastigium collocata ad dimidiam fastigij ipsius altitudinem educantur, frontesque summis columnarum partibus æquales obtineant: Quinetiam medianum acroterium octaua parte cæteris eminentius ac altius existat. Verùm cum Doricæ huiusce portæ genus intellectu difficile admodum & obscurum iudicetur, iurè nos, ne studiosis quicquam defuisse uideamur, conscriptionibus & designationibus insuper adhibitis nostram de re hac sententiam promptissimè aperiemus. Vitruuium interuallum uniuersum à pauimento ad lacunaria, hoc est à porticus ipsius solo ad cæli usque initium, quod uidelicet in A ipsius pedibus collocatur, in tres partes ac semis diuisisse, partesque duas luminis altitudini condonasse reperimus. Verùm tot nunc dixisse sufficiat: Cùm enim propriæ symmetriæ proprijq; commensus, ob subiectæ figuræ angustias atque exiguitatem, in præsentia explicari commodè nequeant; idcirco sequenti pagina tum de re hac uberius mox differemus, tum ampliores designationum fines ac terminos constituemus.






A pavimento igitur, quemadmodum nuperrimè dictum fuit, ad ima usque lacunaria spatium in tres partes ac semis distributo, duæ quidem luminis inseruiant altitudini: Qua in duodecim partes rursus diuisa, Antepagmentorum, quæ uulgo Pilastratæ dicuntur, frontibus una, luminisque latitudini quinque ac semis assignabuntur. Si quæ infima apertio in pedes sexdecim circiter patuerit, apertio summa deinde tertia antepagmentorum parte ab ea deficiet: summaque ipsa antepagmenta quartadecima parte contrahentur atque diminuentur. Supercilium deinde seu Epistylium, quod Architrabem uulgo appellat, altitudinem summæ antepagmentorum latitudini æqualem prorsus obtineat: ibique Cymatium unâ cum Astragalo Lesbio constructur, ipsique Cymatio sexta antepagmentorum pars tantummodo tribuetur. Lesbij autem Astragali modum atque rationem in figura A satis, ni fallor, ostendimus. Et quanuis Vitruuius Cymatium Supercilio tantummodo superstruendum fore clanculum significasse uideretur: nos tamen antiquorum exempla conspicati, ipsum circumcirca antepagmenta hic collocauimus. Supra Supercilium deinde Hyperthyrum pro zophoro ad eandem prorsus supercilij ipsius altitudinem efferatur: ibique Cymatium Doricum & Astragalum Lesbium sima sculptura scalpendos esse, Vitruuium præcipientem reperimus. Nos tamen pro-



men propter summam dicti illius obscuritatem atq; difficultatem in eam potissimum sententiam inducimur, ut codicem mendosum ac deprauatum ibi esse suspicemur; & pro sima scalptura, sine scalptura potius legendum arbitramur; aded ut loci illius sensus talis existet, Döricum uidelicet Cymatium & Astragalum Lesbium sine scalptura conficiendos esse: Cuius quidem structuræ exemplum ac symmetria ex designationibus D & A manifestè perspicitur potest. Vitruuius item planæ coronæ cymatium ad summorum capitulorū libellā instruit, quod quidem si admittatur, coronæ magnitudo nimia profectò & immodica existet: Et tamen nos Vitruuiam doctrinam secuti tantundem proiecturæ, ad quantam supercilium ipsum altitudinem conscendit, hic attribuiamus; etsi, ut uerum fateamur, ad opera nostra cohonestanda exornandaq; nunquam profectò tales coronas adhiberemus. Veruntamen cum de ornamentorum ratione disceptatio hic à nobis fuerit instituta, si propriam quoque sententiam hic interposuisse, eamq; clarissimis designationibus superadditis, legentium oculis quodammodo subiecisse uidemur; haud est quòd aliquis nos iurè reprehendere calumniari ue possit.




SVPERIORVM DICTORVM RETRACTATIO  
ATQVE EMENDATIO.

Nos quidem locum illum Vitruuij superius adductum, in quo author Doricum Cymatium & Astragalum Lesbium sima sculptura sculpendos esse admonebat, diligentius pensitantes, & doctissimos uiros de hac re sæpius etiam consulentes, authoris dictum ita denique accipiendum atque exponendum censemus; ut per simam sculpturam nihil aliud certè quàm sculpturam compressiorem atque retusam significare uoluerit; aded ut Doricis operibus haud tantam profectò, quantam operibus cæteris, proiecturam prominentiam ue tribuendam esse existimarit, & ideirco Doricis quoque sculpturis uehementiores illas & eminentiores expressions iurè quidem interdixisse uidetur. Quinetiam nos antiquorum opera complura Dorico more perfecta elaborataque conspicati, cum in eis astragalos, folia, echinos, cæteraque membra consimilia tenuiter exiliterque admodum insculpta cognouerimus; expositioni modò traditz quamprimùm subscribimus, eiq; nostros omnino præstamus assensus: per simam uidelicet sculpturam nil aliud profectò, quàm parùm eminentibus expressionibus constantem sculpturam, quod humiliter releuatum uulgus Italorum appellat, intelligentes.

At quanuis prisca antiquorum consuetudo, portarum scilicet partes superiores contrahentium atq; diminuentium, hac tempestate penitus iam obsoleuit; quod quidem institutum, pluribus adducti rationibus, nequaquam improbandum censemus: peritiores tamen nonnulli Architecti antiquitatem affectantes, consimiles quoque portarum formas atque dispositiones nunc denuò introduxisse ac renouasse comperiuntur, quæ plerisque eas inuentibus nec gratæ nec iucundæ profectò extiterunt. Quapropter Architectus si simplex nonnunquam Doricæ portæ genus, ornamentorum multitudinem reiecta ac euitata, sibi imitandum proposuerit, subsequenti designationis ordinem ac symmetriam pro uiribus obseruabit. Apertionis altitudinem latitudinis duplam in primis constituet. Antepagmenta sextam latitudinis, per quam lumen diffunditur, partem explebunt: Echinusque ex sima constans sculptura cum annulis simul circumcirca extendetur, eique antepagmentorum quinta pars tribuetur, etsi in superiori ianuz descriptione sextam tantummodo partem Echino ascripserimus. Veruntamen portæ cuiusdam uetustioris & mediocri amplitudine præditæ modulos atque commensus diligenter contemplati, cum ita construendum nunc iudicauimus. Quemadmodum autem iam admonuimus, generis huiusce Echinus nequaquam ad circuli quadrantem pertingere, uerùm dimidiam quadrantis portionem tantummodo assequi debet: quod quidem membrum Vitruuius, ut dictorum eius cum antiquorum operibus conuenientiam atque consensum ostendamus, Lesbij Cymatij nomine frequenter appellat. Reliquo deinde antepagmentorum spatio in partes nouem seiuncto, quinque maiori, & quatuor minori fasciæ sigillatim distribuentur. Mox coronæ ad antepagmenti altitudinem educta superincumbet. Quæ protinus in tres partes æquales dissecta, prima quidem Cymatio, quod gululam inuersam nuncupare solemus, eiusque Astragalo & regulis simul concedetur: altera deinde coronæ, quam subgrundium parictumque supercilium uulgus appellat, minori que Cymatio assignabitur: postremaque demum Simæ, quam rectam gululam uocari frequenter audimus, octaua parte tamen amplius superaddita, referuabitur & ascribetur. In Simæ autem proiectura constituenda, regulam in principio ordinis huiusce iam traditam explicitamque obseruato.










Vitruuius unicam tantummodo Doricæ portæ constitutionem, eamque, ut iam demonstrauimus, satis confusa & perturbata ratione tradidisse uidetur. Veruntamen nos si & artem ædificatoriam collocuplerare, & diuersis ædificantium ingenijs satisfacere uoluerimus, haud uno simpliciori que genere, sed pluribus ac differentibus rationibus Doricarum portarum extructiones aggrediemur. Si portæ igitur grauior aspectus nos fortasse delectauerit, talem utique formam atque dispositionem ei tribuemus. Primum quidem communissimum illud præceptum obseruabimus, ut apertionis altitudo latitudinis ipsius dupla constituatur: an tepagmentaque octauam, & columnæ quartam è luminis latitudine sibi partem acquirent. Ipsæque columnæ quanuis altiores existunt, præscriptosque iam modulos egrediuntur: cum tamen partes earum posteriores intra

res intra murum compactæ lateant, si columnarum antiquiorum insuper, quarum non nullæ hisce persimiles graciliores adhuc esse conspiciuntur, exempla atque auctoritatem sequamur, haud uitiosas profectò eas esse asseremus. Columnis epistylum superius incumbit, quod ad antepagmentorum latitudinem extollatur: Zophorus ad tres columnaris crassitudinis quartas educatur: Moxque singulis columnis singuli proprijque in superioribus partibus triglyphi respondeant, inter quos quatuor medij triglyphi, & quinque mediana spatia quamaptissimè distribuentur. Quod autem ad membrorum, ueluti basium, capitulorum, zophori, triglyphorum, & coronicis demum symmetrias propriosque commensus attinere uidetur, ad regulam principio iam assignatam confugito, eamque ad unguem obseruato. Verùm cum Fastigia in sacrum ædium frontibus constituta, quæ Frontispicia uulgò appellantur, altitudinis modulus à Vitruuio præscriptos nonnunquam excedere soleant: idcirco ne imprudens quandoque erres, præceptionem hanc firmam, quam tutò sequaris, nunc tibi asseremus. Coronici primùm terminis utrinque statutis ac definitis, superior linea inter ambas extremitates, A scilicet & B, collocata media secetur ac diuidatur; parsque eius dimidia ad signum C in perpendiculi morem deducatur. Mox circini cuspide signo C inniten-






re, ab A coronicis latere usque ad latus B cuspis altera circumducatur: peripheriæ huiusce apicem fastigij propositi altitudinem tibi definiturum affirmamus. Eademque dirigente præceptione, haud triangula tantum, sed circulata quoque fastigia, quæ Remenata uulgò dicuntur, perficies atque ad exitum tandem perducet.



In operibus plurium ac differentium rerum permixtio, aptaque earum compositio propter multiplicem partium diuersitatem maiori certè uoluptate, quàm unius generis proprietate, naturæque unius simplicitate animos nostros afficere solet. Quapropter id maiori laude adhuc atque admiratione dignum uidetur, si complura ac dissimilia generis unius membra tam appositè inter sese cohæreant, ut totum ex ijs coagmentatum constitutumque elegantem proportionem & laudabilem symmetriam assequatur. Hoc autem sequenti, ni fallor, patet designatione. Hic enim triglyphi mutulique in eadem acie eademque serie instructi omnes conspiciuntur: quod quidem structuræ genus in nullis antiquorum operibus nos hætenus uidisse, nec formam aut dispositionem consimilem apud ueterem ullum authorem unquam lectitasse meminimus. At Balthasar Senensis antiquitatum acerrimus iudex ac percrutator nonnulla forsitan rei huiusce uestigia in antiquorum operibus deprehendit, aut uir natura acutissimus egregium hoc commenti genus tum primùm excogitauit atque adinuenit; triglyphis quidem, tanquam imbecillioribus ad grauiora onera perrenda, supra apertionem constitutis; mutulisque deinde, quibus uniuersum fastigij pondus innititur, antepagmentorum siue parastatarum solido superstructis. Hæcque operis ratio speciesque cum & grauitate quandam præferat, & oculorum sensui perbellè respondeat, nobis quammaximè certè probatur: Quinetiam Clementi septimo summo Pontifici, quem ingenij ui & acumine in liberalibus omnibus facultatibus quamplurimum præstitisse accepimus, hoc idem commenti genus uehementer placuisse memoratur. Portæ huiusce symmetria talis nimirum existit, ut apertionis altitudo latitudinem dupla exuperet proportionem: Antepagmentorum frontes, septimam altitudinis sibi uendicent partem: Epistylum supercilium uel, dimidias antepagmentorum frontes assequatur: Mutulorum Triglyphorumque deinde latitudines, ad dimidij supercilij æqualitatem constituentur: moxque eorundem altitudines, prædictarum latitudinum duplæ conficiantur. Vnde mutulis duobus binis parastatis siue antepagmentis utrinque, quæ ad latera collocantur; quatuorque triglyphis apertionis, quæ medium locum obtinet, hiatus insidentibus; spatiisque inter eos æquaratione mox distributis: mediana hæc interualla perfecta nimirum absolutaque erunt quadrata. Verum mutulis deinde atque triglyphis capita seu abaci, quocumque membrum hoc nomine appellare libuerit, quamuis in Dorica coronice mutuli iidem nonnunquam uocari consueuerunt, superponendi uidentur: quorum altitudines quarta parte triglyphorum frontibus minores constituentur, tertiaque pars Cymatio tantummodo tribuetur. Coronæ autem & Cymatij pariter altitudo, triglyphorum ipsorum frontibus æqualis esto: Sima quoque etiam, quam rectam gululam passim nuncupare solemus, ad eandem prorsus altitudinem erigatur. Coronæ proiectura, si frontem accipias, tanta utique esse debet; ut spatia inter triglyphos constituta, & in profundiori parte existentia, perfecta absolutissimaque imitentur quadrata. At coronæ deinde lateribus, dextro uidelicet atque sinistro, dimidia frontis ipsius proiectura tantummodo concedatur. Sima deinceps itemque Cymatium, proiecturas proprijs altitudinibus æquales obtineant. Summum denique fastigium ad eam altitudinem pertinet, ut ab uno Simæ ad alterum latus recta linea extensa, eaque in partes quinque diuisa, partium illarum una fastigij ipsius altitudinem metiatur. Præclarum hoc autem inuentum haud solummodo ad magnificas portarum extructiones expediendas, uerum ad diuersa quoque ornamentorum genera, prout remporum conditiones atque opportunitates efflagitauerint, comparanda Architecto quamplurimum usui fore uidetur.



Quavis in Dorico ordine complures portarum formæ atque rationes excogitari possunt : attamen cum noua & ab usu communiori semota, humanis ingenijs grata & iucunda plerunque esse uideantur, eaq; præfertim, quæ etiam complurium permixtionem sortita, intra proprios terminos propriosque fines tamen persistunt ; idcirco portæ subiectæ speciem hic designauimus . In qua etiam columnæ, zophorus, membraque cetera interrupta, Rusticoque opere contacta cernuntur : formæ tamen perfecta integraq;, symmetrijs omnibus diligenter exploratis, terminatio constat . Eiusque moduli tales nimirum existent, ut portæ primùm apertionem




tionem dupla, quemadmodum sepius dictum iam fuit, proportionem definiamus. Moxque latitudine in sex partes semisque diuisa, partium earum una antepagmentis portam ipsam circumambientibus tribuetur, columnarumque latitudines antepagmentorum duplę constituentur: ipseque columnę, capitulorum adiectione concomitante, ad modulus xiiij iuxta mensurę genus principio iam a nobis statutum acceptumque conscendent. Columnis que postmodum, a capitulis uidelicet ad infimas usque bases, in partes xiiij semisque dissectis, fasciarum columnas rustico opere precipientium unaquęque unam ac semis tantummodo partium partium sibi capiet; preter duas illas inferiores, quę columnarum earundem bases operiunt absconduntque: ijs nanque duę partes separatim debentur. At cętera quinque deinceps interualla, quę solidos columnarum scapos ostendunt, partium earundem unam sigillatim explebunt: itaque partium xiiij ac semis pręexposita summa, iustissima ratione distributa fuisse uidebitur. Columnis epistylum, zophorus, coronis que unā cum fastigio, quemadmodum supra iam habitum fuit, in superis partibus deinde succedent. Cuncti membra modò commemorata pręoccupantes obscurantesque, septenario numero concludentur, omnesque ad idem centrum pariter confluent atque concurrent: et si, cuneis prętermisis, triglyphorum metoparumque rationem superius a nobis demonstratam persequi Architecto licebit. Quauis autem munitionibus & propugnaculis rusticum opus quammaximę conuenire dixerimus: attamen cum humanę mentes uarietate potissimum afficiantur, si pręsentis operis species intra castellum aut arcem aliquam constitueretur, pręclare ea utique responderet. Caue tamen ne illam ad munitionum partes exteriores quandoque traducas:

Cum enim hoc operis genus uehementius excurrat atque promineat, tormentorum plagis ictibusque frequentioribus impetum facile nimirum dissolueretur atque corrueret. Quinetiam id predictis adiciemus, quę presentis

portę constitutio tam urbano quam rusticano Imperatoris Militis uel alicuius ædificio, mirum in modum certę congrueret ac conueniret.






Nos quidem de ornamentis quinque generum ædificiorum, ut de columnis, stylobatis, epistylis, zophoribus, coronicibus, & de portarum nonnullarum uarijs diuersisque rationibus, necnon de fenestrarum scapharumque apertionibus, & de membrorum deniq; consimilium generibus in hoc quarto uolumine separatim acturos esse à principio instituimus; integrorum ædificiorum unà cum eorum ordinibus pertractationem in sequentes libros opportuniore loco dilatari atque prorogari: Veruntamen præsentis uoluminis copix & ubertati quammaximè intenti, consiliorum nouis rationibus initis, diuersas tam sacrarum quàm profanarum ædium frontes atq; constitutiones hic exponere designareque decreuimus; ut studiosi uidelicet maiorem ex lucubrationibus nostris fructum percipere & assequi possint. Quoniam autem, ut libri huiusce exordio à nobis habitum fuit, columnæ, quæ substrato edificijs pauimento per sese absque substractionum ullarum ope innituntur, maiori longè, quàm si subiectis stylobatis fulciantur, commendatione dignæ uidentur: illud tamen Architecto nonnunquam accidere potest, ut columnæ eam, quam ipse requiret, crassitudinem minimè attingant, itaque stylobatarum suppositione artifex necessariò indigebit. Ne igitur inopinatus aliquis casus eum imparatum & incautum offendat, subsequenter idcirco designationem, quæ Architecto ad complura ornamentorum genera perficienda quammaximè conducet, consilio hic apposuimus. Eiusque proportio talis nimirum existet, ut apertionis altitudo latitudinis dupla constituat: Antepagmenta itemq; arcus duodecimam, columnæque sextam ex apertionis ipsius latitudine sibi par-




tem arripiant: Spatium inter utranque columnam interiectum, dimidiam expleat apertionem: Scapharum latitudines duplicatas columnarum crassitudines æquent, earundemque altitudines latitudinum duplæ conficiantur: Stylobatæ deinceps in triplicatas columnarum crassitudines extollantur, eorumque latitudines unâ cum cæteris membris ad præceptiones in ordinis huiusce exordio iam traditas assignatasque reuocentur: Columnæ, basibus capitulisque simul assumptis, nouenarum partium altitudinem petent, regulamque superius traditam persequentur. Epistylion dimidia columnæ tribuatur crassitudo, necnon tantundem interualli triglyphorum ipsorum frontibus applicetur: at eorum, si capita insuper addas, altitudines latitudinum duplæ perficiantur. Vnde triglyphis quatuor ad columnarum perpendicularum collocatis, duobusque triglyphis deinde inter utrasque columnas sigillatim interiectis, & quinque triglyphis medijs demum æquissima ratione distributis, mediana omnia interualla perfectissima ratione quadrata conspicientur. Corona postmodum, membraque cætera, quemadmodum initio traditum fuit, instituantur. Fastigij altitudo Vitruvianos modulos excessisse non nihil uidetur: attamen & huic æqualia, & altiora adhuc in antiquorum operibus fastigia nos sæpius certè deprehendimus. Altitudinis autem huiusce ea potissimum ratio existet, ut summæ coronicis interuallo in sex partes æquales secundum rectæ lineæ extensionem distributo, illarum una fastigij altitudinem, à Cymatio coronæ uidelicet usque ad fastigij eiusdem cacumen, nobis quamprimùm definiat atque designet. Acroteria tandem, quæ in edito loco supra fastigium ipsum collocata pilarum minorum imagines atque similitudines referunt, tales nimirum habebunt symmetrias: ut eorum frontes summis columnarum crassitudinibus æquales existant, & tantundem pariter ipsorum altitudinibus, demptis coronicibus, tribuatur. Medianum tamen acroterium sexta parte amplius, quàm acroteria in lateribus consistentia, in sublime efferretur. Nec columnæ, propterea quòd in partium nouenarum altitudinem eriguntur, uitiosæ improbandæue erunt; cùm partes earum nonnullæ unâ cum lapidibus reliquis in ipsamet structura connexæ atque coagmentatæ resident.



Sequentis figuræ formam atque dispositionem solerti Architecto ad complura nimirum transferre & apte licebit: quin etiam illam, pro diuersis temporum conditionibus atque opportunitatibus, uariam & multiplicem reddere eidem fas erit. Veruntamen ad altaria, quemadmodum compluribus Italiæ locis mos hodie inualuit, picturis insignienda exornandaque præfens commenti genus quamaptissimum fore uidetur: Necnon, si medium stereobatam detrahas, triumphalis arcus speciem haud iniucundam exhibebit: Itemque ad portæ alicuius ornatum tum absque alarum utrinque dependentium appositione, tum ipsidem ad latera constitutis, summam, ni fallor, opportunitatem præstabit: Postremò fenestris, scaphis, tabernaculis, alijs uel confimilibus condecorandis & uenustate quadam afficiendis inseruiet atque conducet. Proportio autem talis efflagitur, ut apertionis latitudine in partes quinque dissecta, earum una columnarum crassitudinibus metiendis tribuatur: Fasciæ præcinctiones uel, tum quæ latera tum quæ extrema, summam uidelicet imamque partem ambiunt atque circundant, dimidias columnarum crassitudines expleant: Apertionis altitudinem septenæ columnarum partes absoluant. Quapropter cum bases capitulaque simul assumpta simplices columnarum crassitudines æquent, earum perfecta integraque altitudo ex partibus octo certè constabit. Stylobatæ ad tres columnarum partes conscendant, frontesque plinthis columnarum æquales obtineant: Intercolumnia, quæ in lateribus statuuntur, columnæ unius crassitudine finiantur, moxque laterum ipsorum anguli columnæ unius excipiantur quadrante: Alæ pteromata uel utrinque pendentia, scapharum uidelicet perquam commoda receptacula, columnæ unius dimidiæque insuper crassitudine terminentur: Scapharumque ipsarum seu concharum apertiones, columnæ unius crassitudinem sortiantur; earumque altitudines latitudinum triplæ constituentur: Epistylum deinde ad dimidiæ columnæ crassitudinem attollatur, parque ratio de triglyphorum frontibus esto; quorum altitudines, absque capitulorum tamen adiectione, quadratum, duabus tertijs superadditis, egredientur. Vnde triglyphis deinceps dextra læuaque ad columnarum perpendiculum aptatis dispositisque, & inter extremos triglyphos metopis quinque, quatuorque triglyphis medijs consistentibus; distributio iustissima nempe ratione procedet: metoparum etenim spatia mox perfectissima ratione quadrata uidebuntur. In corona demum, fastigio, ceterisque tam superioribus quam inferioribus membris effingendis dimetiendisque, regulas iam principio statutas persequemur. Quoniam autem triglyphi in lateribus utrinque collocati Vitruuijanis constitutionibus aduersantur (etsi angulares triglyphos in antiquorum operibus sæpe conspeximus) Architecto, prout ipsi libuerit, uel admittendos uel omittendos eos relinquimus. Verum etsi in hoc quarto uolumine nullas planarum formarum designationes, quas Græci *ἰχθυοσφίαι* appellant, cum in uoluminibus cæteris de eis abundè sit nobis differendum, apponendas ducebamus: attamen si quæ ædificiorum frontes intellectu paulò difficiliore obscureque fortet fortuna occurrent, ijs, ut facilitati studiosorumque utilitati pariter consulamus, *Ichthyographias* suas subijcere haud certè grauabimur.









Quauis antiquiores, epistylijs super columnas impositis, nullum alium superiorem ordinem præter fastigia eis adiecisse conspiciuntur; fastigiatas huiuscemodi frontes ad sacrarum tantummodo ædium, nec ad alterius generis ædificiorum ornatum adhibentes: quin tamen aliquas domorum classes absque ullis arcuum circumductionibus hic designemus, haud certè prætermittendum existimamus. Si etenim arcus quadratis pilis, & columnis teretibus insuper, maioris uenustatis gratia, suffultos extruendos nobis proposuerimus: arcuum pilarumque obstaculis quamplurimum impediuntibus, haud multum interioris porticus lumini & claritati consuluisse mehercule uidebimur. Sin, columnis tantummodo suppositis, arcus superiores ijs circumducere uoluerimus, à recta nimirum ueraque ædificandi ratione desciscemus: quaterni enim arcus

arcus ipsius anguli tereti incumbentes columnæ, extra columnæ ipsius solidum nimirum procurrent. Quapropter haud in hoc ordine duntaxat, uerùm in reliquis etiam ordinum generibus domos nonnullas, nonnullaque ædificia absque ullis arcuum interpositionibus construere iam animus suadet. Trium igitur classium hic propositarum prima cæterarumque infima ea ratione insituetur, ut maiora intercolumnia quater repetitas columnarum crassitudines expleant, intercolumniaque minora columnæ unius dimidiæque insuper crassitudine finiatur: Columnæ, basibus capitulisque simul adiectis, partium nouenarum altitudinem petant: Epistylum, zophorus, coronæque, necnon cætera membra ad principio iam traditas præscriptasque dirigantur præceptiones: Fenestrarum apertiones in duas columnarum crassitudines pateant, eademque in quadrati unius duarumque tertiarum insuper altitudinem efferantur: Antepagmenta sextam luminis partem obtineant, summæque coronicæ columnarum capitulis ad unguem respondeant: Medianæ portæ laxamentum tres, altitudoque septem columnarum partes sibi uendicet; ita nanque fenestrarum angularium, medianæque portæ lumina ad libellam utiq; statuentur: Triglyphi Metopæque hac, qua intueris, ratione instructæ dispositæque, iustissimam nempe distributionem assequentur. Secundus ordo deinceps atque in medio constitutus, à primo ordine quarta parte deficiat: eademque ratione epistylum, zophorus, coronæque, quæ hic statuuntur, ab illis pro rata portione quarta identidem parte diminuantur. Fenestrarum, quæ in secundo hoc ordine patent, laxamenta fenestrarum inferioris ordinis iam expositi unâ cum antepagmentis latitudines persequantur: Scapharum circumambientes ornatus ad columnarum infra sitarum perpendicularum dirigantur, earumque apertiones minorum intercolumniorum pariter dimensus absoluant, ipsæque postremo ad duorum quadratorum ac semis altitudinem efferantur. Tertius ordo in sublimi & nouissima sede collocatus, à secundo medium locum obtinente quarta parte decreseat: Et epistylia quoque, zophori, coronicisque contracturæ pro rata pariter constituentur. Verùm trimembri diuisione mox adhibita, pars una epistylia, zophoro mutulisque altera, tertiaque coronici demum assignabitur ac tribuetur. At proprios coronicis huiusce commensus in Composito ordine uberius deinde persequemur. Fenestrarum apertiones, imarum latitudinibus æquales omnino conficiantur. At postremi ordinis huiusce scaphæ à medianis scaphis quarta parte deficiant, eademque duorum quadratorum ac semis altitudinem assequantur. Cæterorum deinceps ornamentorum moduli atque commensus, circino adiuuante, facillimè quidem inuenientur.








Quavis in superiori Tuscani generis disceptatione haud dissimile comenti genus, rustico tamen opere perfectum atque coagmentatum, iam ostendisse uidemur: hoc tamen ab illo, si attenderis, haud parum differre comperies. Præfens enim porticus seu ambulationis structura ex fornicata constat conuersione; at in arcuatis deinde circunductionibus concameratæ testudines erunt constituendæ: quemadmodum ex sequenti patet Ichnographia. At quoniam columnæ fornicum camerarumque latera, quæ semper exterius prominent, sustinere nequaquam ualerent: idcirco singulis columnis desuper in fornicum ipsorum lateribus ferreæ subscudes, uel æneæ potius, diuturnitatis maioris gratia, sunt inferendæ (eas autem nostri claues appellare consueuerunt.) Quòd si ferreas illas constituere uoluerimus, ne à rubigine quandoque exedantur, ad ignem appositæ iuniperi gummi, quam uernicem nuncupamus, erunt undique perfundendæ, in ipsaque uernice potius excoquendæ. Quinctiam si plumbeis æneis uel laminis capita, quæ intra parietes ingrediuntur, obducerentur, ad diuturnitatem aptiores eadem profectò instructioresque forent. Frontis autem hic designatæ symmetrias tales quidem efflagitamus, ut maius intercolumnium quaternas, intercolumniaq;

lumniaque minora binas tantummodo columnarum crassitudines expleant: Columnæ, basibus capitulisque simul adiunctis, ad septem modulorum altitudinem efferantur: Epistylum è singularum columnarum crassitudinibus tres duntaxat sibi uendicet quartas: semicirculoque ei circumposito, frontem seu latitudinem hemicycli dimidijs columnarum in superiori parte crassitudinibus æqualem constituemus. Arcus deinceps coronæ superimposita, paræ epistylion altitudinem assequatur: Inter binos arcus fenestra postmodum interiecta, substantiam intercolumniorum apertionibus æquas omnino latitudines sortiatur; earumque præcinctiones, prædictas arcuum frontes seu latitudines imitentur: Scotia & Echinus supra fenestrarum hiatus consistentes, coronicis membra haud utique contemnenda, ornatus maioris gratia extra non nihil supra fenestras resiliunt: Portæ medianæ latitudo binas, quarta parte insuper adiecta, columnarum crassitudines occupabit: Antepagmentis sexta luminis pars tribuetur, eiusdemque luminis altitudo ita constructur, ut antepagmentum epistylion loco superpositum ad imos usque capitulorum astragalos pertingat: & hac nempe ratione capitulorum formæ atque dispositiones tum medianæ portæ, tum fenestris ad latera collocatis coronicum uim ac usum præstabit. Luminosæ autem lateralium fenestrarum apertiones in summas, nequaquam autem in imas columnarum crassitudines geminatas patebunt, eademque ad quadrati unius ac dimidij insuper altitudinem efferentur: Et scaphis tantundem altitudinis pariter assignabitur ac tribuetur. Superior ordo deinceps ab inferiori iam iam exposito quarta parte deficiat, caque ratione diuidatur, ut pluteus coronici superincumbens columnæ unius dimidiæque crassitudinem æquet: Reliquoque spatio mox in quinque partes diuiso, earum una epistylion, zophoro, & coronici pariter ascribatur: Scaphæ seu conchæ, ornamentis simul adiectis, ad fenestrarum, quæ inter arcus medianæ collocantur, perpendicularum statuentur: Latitudineque postmodum in quinque partes distributa, binis columnis utrinque assistentibus duæ; & scaphis medias sedes obtinentibus, earumque antepagmentis simul tres reliquæ concedentur: Coronæ scaphis superinducta, columnæ unius crassitudinem expleat; Columnarumque bases in dimidijs columnæ crassitudinem attollantur: Fenestrarum apertiones ad scapharum latera consistentes, à medianæ portæ latitudine quarta parte deficiunt; earumque altitudo latitudinis dupla esse comperietur. Quod ad cætera denique spectat ornamenta, cum operis huiusce generis mixtum potius quam simplex uideatur, ad Ionicum Corinthiumque ordinem uberiores atque accuratiores eorum explicationem differemus. In Composito autem hoc opere spatia media inter triglyphos constituta, haud perfecta ratione quadrata conspiciuntur: ei nanque potissimum hic attendimus, ut singularum fenestrarum scapharumque apertionibus ternos in superiori parte triglyphos assignemus, quemadmodum ex subiecto schemate quilibet intelligere potest. Quod si proprios membrorum aliorum commensus scire forsitan exoptaueris, ad principio à nobis traditam præceptionem statim recurre.









Verùm quoniam illud nonnunquam occurrere posset, ut quispiam porticum aut ambulationem extru-  
 cturus lucis, quam interius ædificium à prædictis acubus combibit, aspectum amittere minimè uellet; & quo-  
 niam præterea, ut in Dorici huiusce ordinis pertractatione à nobis habitum fuit, arcus teretibus columnis  
 impositi perquàm uitiosi censentur: idcirco nos, ne turpitudinem ullam aut incommodum subeamus, qua-  
 dratas columnas, proprijs basibus subiectis, capitulisque superinductis, quemadmodum præsens patefacit  
 designatio, appositè construemus. Quauis autem subsequens figura integram ædificij speciem ternis ar-  
 cubus distinctam absolutamque proponit, quod quidem spatium ad ædem aliquam extruendam angustius  
 nec sufficiens omnino esse uidetur: trina tamen hæc arcuum distributio ædificantibus ijs, quibus arcæ fines  
 arctiores compressioresque statuti forte fortuna fuissent, perquàm commodè inseruiet. Quod si arcæ so-  
 lum latius atque patentius extiterit, tunc frons ædis anterior in quinos, & in septenos arcus nonnunquam,  
 eadem ædificij forma & symmetria optimè congruente, diuidetur. Modulorum autem diuisiones tales  
 utique requiruntur, ut intercolumnia columnarum quatuor crassitudines expleant: ipsæque columnæ, ba-  
 sibus capitulisque simul adiectis, ad partium sex altitudinem efferantur: arcubusque desuper impositis, quo-  
 rum frontes seu latitudines dimidiæ columnæ crassitudinem adæquabunt, arcuatæ apertiones ex dupla mox  
 contra-

constabunt proportione. Arcubus epistylum, zophorus, coronixque desuper imponenda succedunt; quorum omnium altitudo simul accepta, columnæ unius geminatam crassitudinem sibi requireret: Eaque mox in tres partes ac semis distincta, una epistylia, una item ac semis insuper zophoro, unaque demum coronici reddetur. In cæteris membris deinde componendis definiendisque, præceptionem à nobis alijs traditam persequeris. Ostij hiatus ac latitudo in duarum columnarum crassitudinem pateat, antepagmenta; scilicet tantummodo ostij sibi uendicent portionem. At coronix ad capitulorum libramentum constituatur, & ex iisdem membris, quibus illa, prorsus coagmentetur: fenestrarumque hinc & illinc consistentium coronicibus perbellè utique respondebit. Fenestrarum autem latitudines, columnæ unius dimidiæque insuper crassitudinem occupabunt; earumque altitudines ex diagonia constabunt proportione. Angulares columnæ cæterarum crassitudinem imitantes, ad partium octo semisque altitudinem erigentur. Secundus ordo deinceps, qui inferiori præposito mox succedit, quarta parte ab eo deficiet: Columnæque in angulis collocatæ, necnon epistylum, zophorus, coronixque à consimilibus inferioris ordinis membris pro rata parte diminuentur: Fenestrarum supra arcus consistentium latitudines ab inferiorum fenestrarum latitudinibus ne minimum quidem discedant, at eadem ad duorum quadratorum altitudinem postea efferantur: Antepagmentorum eadem cum inferioribus ratio esse uidetur: Zophorus super antepagmenta constitutus, altitudinem antepagmentorum latitudini parem omnino assequetur: Necnon coronici tantundem quoque tribuetur. Superiores fenestellæ duabus certè rationibus à nobis excogitatæ appositæque fuerunt: Siue enim interiora cubicula atque conclauia ad eam, quam frons exterior pollicetur, altitudinem educantur; ipsa, supremumque cælium pariter uberiori luce hoc pacto fruuntur: Siue habitationem aliquam separare atque distinguere commodius esse duxeris, superiores cellulæ ab hisce fenestellis lumen suum haurient atque combibent. Tertius ordo, cui postrema ac altissima sedes assignatur, secundo iam declarato quarta parte minor & humilior conficietur. Quo in partes quinque mox distributo, earum unam epistylia, zophoro, coronicique simul applicato: ternaria tamen diuisione confecta, ad eam ut portio una epistylia, altera zophoro, tertiaque coronici demum æqua ratione distribuatur. At in zophoro mutuli, quemadmodum hic intueri fas est, quamaptissimè collocentur. Fenestrarum lumina non secus hic atque in secundo ordine instituentur, eo tantummodo discrimine intercedente, quòd hic propter maiorem ab aspectu nostro distantiam atque longinquitatem fenestræ duodecima parte altiores quàm ibi perficientur. Antepagmenta deinde, quemadmodum superius tradidimus, ad apertionum latera perducantur. Haud secus etiam in zophoro, coronice, fastigijs tum rectilineis tum circularibus, quæ Remenata uulgo appellantur, extruendis rationem in Doricarum portarum constitutionibus iam assignatam imitabimur ac persequemur. Vt autem expositæ frontis cacumen summitasque subiectarum partium ordinem concomitetur & consequatur, acroteria nonnulla æquis interuallis, prout frontis latitudo requisierit, distincta distributaque inibi statuentur: Et ad atram fumi caliginem euomendam eijciendamque; spiracula quædam aptioribus atque opportunioribus locis ibidem adiungentur. Candida illa puraque spatia, quæ media inter fenestras resident, prout Architecto ædisque ipsius domino uisum fuerit, picturis insignienda exornandaque relinquuntur. Quòd si fabricæ robori ac firmitati magis consultum adhuc esse uoluerimus, ferreas subscudes (nostri claues appellant) in transversa porticu camerarum ipsarum lateribus, quemadmodum alijs dictum fuit, substituere nos utiq; oportet.








Venetijs, celebri quidem & florentissima ciuitate, perquam uariam diuersamq; à cæteris Italiz regionib. ædificandi consuetudinem obseruari conspiciamus: propter ingentem enim hominum eò confluentium turbam ac multitudinem arearum sola angustioribus sinibus circumscribi, & æquissima ratione distribui utiq; conuenit. Nec enim communium ædificiorum angustiz sinuum laxitatibus, seu hortorum amœnitatibus suscipiendis profectò sufficerent: etsi in egregijs quibusdam & sumptuosis ædibus utrunque nonnunquam adesse perspicitur. Quòd si subdiales areæ, hypæthraque huiuscemodi loca ibi constitui possent; interiora cubiculâ atq; triclinia lucem ex uarijs partibus nimirum acciperent, & splendidiora utiq; forent: quod cum ijs denegetur, hinc lumen uniuersum ferè aut ex plateis, aut ex riuulorum sinibus, aut ex communiorib. uijs, quæ arctos & angustos calles plerunq; obtinere uidentur, per frontes tantummodo interiora ædium ingredi, totasque domos obscuriori & imbecilla quadam ratione illustrari contingit. Attamen si antiquorum in ædificando ritus atq; consuetudinem, prout subiecta ostendit designatio, persequemur; ædium propositarum frontes hoc pacto, ni fallor, nitidiores atq; splendidiores efficiemus. Arcuum singulorū intercapedinib.

in partes duas primùm semique diuisis, partium illarum una pilarum ipsarum frontibus tribuetur, earumq; crassitudines dimidiam partem explebunt, columnarum crassitudinibus tantundem etiam occupantibus. Mox ad arcuarum apertionum altitudines definiendas accedens, earum latitudinibus duas tertias insuper addito; apertionemque unamquamque ex integro quadrato, duabus tertijs superadiectis, constantem habebis: Quinetiam si columnas paululum extenuaueris, atque graciliores aliquantulum reddideris, & arcus ad epistylum usque produceris, apertiones ad duorum quadratorum altitudinem pertingentes nimirum conficies. Basium capitulorumque deformationes ex superioribus præceptionibus deducantur: Arcuum incumbæ dimidias columnarum crassitudines assequantur, membraque eadem profus, quæ in Theatro Marcelli superius à nobis ostensa exhibitaque fuerunt, huc quoque per commodè traducantur: Ostium sub porticu in inferiori parte constitutum, latitudinem triplicatis columnarum crassitudinibus æqualem obtineat; & ad quadrati unius duarumque tertiarum insuper altitudinem, eadem arcus symmetria proportioneq; retenta, conscendat: Antepagmenta octauam luminis partem sibi capiant: Corona ad capitulorum libellam statuetur: At Sima deinde adiecta, fastigium ratione superius à nobis habita aptabitur atque extruetur; superneque lux uel cumulator uel infirmior, prout opus esse duxerimus, demittetur. Quòd si fabricæ anterior planities ad plateam, uel forum, uel locum alium quemuis celebriorem aspexerit, operariæ tabernæ reliquo ædificio congruæ atque consentientes ex utraque parte ibidem apponentur. Columnis epistylum superius incumbet, eiusque altitudo dimidiæ columnæ crassitudinem adæquabit: Triglyphorum frontibus tantundem etiam latitudinis tribuetur; ijdemque ad eam utique altitudinem differantur, ut ipsis æqua ratione, quemadmodum ex subiecta constat designatione, distributis, intermedia spatia perfectissima ratione quadrata inde confluant. His coronis sexta parte, quàm epistylum ipsum, altior succedet. Singulorum autem membrorum moduli atque commensus ex antehabitis præceptionibus deducantur. Superior ordo quarta parte ordine inferiori minor atque humilior constituatur. At plinthis tantæ utique altitudinis, quanta coronis est projectura, superioribus columnis substrato; quod spatij remanet, in partes quinque diuidatur: earumque una epistylis, zophoro, coronis que coniunctim assignetur, tripartitò tamen; ad eò ut portio una epistylis, mutulis altera, coronis que postrema tandem reddatur: Columnæ epistylum sustinentes, partes nouem in altitudinem educantur: Minorum columnarum, quæ medianis arcibus fulciendis subsistunt, crassitudines tertia parte à columnarum maiorum crassitudinibus contrahuntur. Vnde breuioribus postea semicolumnis ad columnarum maiorum latera utrinque assistentibus; medianum interuallum arcuata circunductione insignitum, interualla lateralia dupla nimirum excedet proportione. Quapropter coronis deinde, quibus intercedentibus arcus columnis suppositis innituntur, extractis, & hemicyclis ad superius usque epistylum productis, necnon oculis quibusdam ad latera perquam eleganter dispositis & collocatis: frons ædis superior & cæli iucundissimo lumine affatim splendescet, & magnificum quid intuentibus præferet. Vnde inceptum hunc ordinem deinceps continuantes ac persequentes, quæcunque locorum spatia cubiculorum constitutionibus aptiora atque commodiora ducemus, ibi medianas quidem apertiones obstruemus; duoque spatia extrema in lateribus consistentia fenestrarum usum nobis suppeditabunt. Nec tamen exterior aut interior ordinis connexio series ue quicquam incommodi patietur: mediæ nanque illæ obstructions flammæ spiraculis scitè admodum ascribentur. Huiuscemodi enim ignium exhalationes, quas nostri caminos appellant, inter duarum fenestrarum lumina mediæ profectò constituendæ uidentur, humani oris situm atque dispositionem potissimum referentes: in quo lucis usum fenestrarumque similitudinem oculi, camini uerò fumos atque exhalationes suscipientis typum nares inter oculos mediæ obtinuerunt.









Vt sequentis designationis frontem æqua ratione partiamur, totam latitudinem in xxiii modulos primùm diuidemus: Singulæq; columnæ, quæ senario numero terminantur, modulum unum sibi capient: Medianum interuallum duabus columnis utrinque assistentibus interiectum, senarum columnarum sibi crassitudines uendicabit: Reliqua deinde lateralia spatia, quæ numero quaternario definiuntur, ternarum columnarum crassitudines sigillatim absoluent. Fenestrarum latitudines columnæ unius dimidiæque insuper crassitudinem expleant, eademque ad quadratorum duorum ac semis altitudinem erigantur: Antepagmenta sextam luminis partem requirunt. Primi ordinis quidem fenestræ eandemmet cum ordine iamiam exposito explicatoque latitudinem sortiuntur, hoc solummodo inter eas discrimine intercedente; quòd fenestræ omnium infimæ, quæ terrenas uidelicet habitationes lumine complent, quadratæ undequaque esse uidentur: At fenestræ intermediæ deinde, quæ reconditis quibusdam conclauibus inter cubicula superiora inferioresque cellas constitutis lucis præstant usuram, quadrati unius dimidijque expleant interuallum. Ianuarum inferioris latitudo, ut superstructæ columnæ solido innitantur fundamento, in quinque columnarum crassitudi-

crassitudines extendetur: ipsaque quadrati unius, duabus tertijs superadditis, altitudinem petet. Quod autem ad cuneos, ceterasque lapidum attinet compactiones connexionesque, moduli ex ipsamet designatione facillimè cuius innotescunt. At ab ima arcus ianue ipsius circunductione ad superiorem usque primi ordinis fasciam, duæ columnarum crassitudines intercedunt. Ceteri deinde, quotquot sese mutuò consequuntur, ordines ita extruuntur, ut superioris altitudo ab altitudine inferioris quarta parte deficiat. Hic tamen, primam columnarum distributionem super solidiorem structuram inchoantes, eius altitudinem ad primi ordinis æqualitatem educendam esse existimamus: Nanque si rusticus ordo in infima sede constitutus ordinem Doricum in medio residentem quartæ partis adiectione exuperaret, moxque, tertius ordo à secundo mediove quarta item parte deficeret; tertius hic ordo humiliori, & primus immodica certè altitudine foret. Primo igitur ordine iam absoluto, fasciaque cum circumambiente perducta, podium quoddam tantæ utique altitudinis, quanta columnæ unius dimidiæque est crassitudo, mox excitabitur; cui podio columnæ ea situs atque collocationis, quam supra instituimus, serie deinde aptabuntur: Ipsæque ad id nempe altitudinis effertur, ut secundo hoc ordine primi ordinis altitudinem omnino adæquante, podium interuallo quamprimùm ablato, quod spatij superest, in partes quinque postmodum diuidatur; & quatuor columnarum ipsarum corporibus tribuentur, postrema epistylj, zophori, coronicisque sedibus derelicta. Huiuscemodi autem partium distributiones, si rationem superius traditam persequemur, felicissimè quidem à nobis expedientur; prout ex subiecta satis, ni fallor, constat designatione: Columnæque tandem exactam proportionem, & conuenientem symmetriam hoc pacto assequentur. Medianum spatium ea nempe ratione diuidetur, ut minores columellæ columnarum maiorum dimidiæ conficiantur; medianumque interuallum, si cum lateribus propinquiore conferatur, bis in tantumdem latitudinis pateat; spatiaque hæc ambo in lateribus collocata ad fenestrarum cæterarum libramentum constituentur: quibus fenestrarum apertionibus propter maiorem luminis claritatem oculi, ut hic apparet, nonnulli in superiori parte effodientur. Minoribus autem spatijs, quæ utraq; in medio, à latere tamen sita conspiciuntur, aut hæc, quæ cernis, arcuata oblongioraque lumina supernè adijcientur; aut, seriei eiusdem continuandæ gratia, oculi cæteris persimiles ad libramentum ibi perfodientur. Et ut membra omnia quantumuis exigua minutioraque absoluantur, ad superiorem, quam iam tradidimus, præceptionem statim confugiemus. Tertius ordo postremò, qui in suprema collocatur regione, secundo quarta parte humilior existet, adeò ut membra singula pro rata diminuantur portione: Fenestrarum omnium hiatus inferiorum latitudines prorsus imitabuntur; propriæque earum altitudines, cæterorumque membrorum commensus, circino adiuuante, facillimè nimirum expedientur. Mediana illa in altum eductio, fastigio detracto, dimidiam tertij ordinis altitudinem exæquabit. De cæteris membris postremò id, quod aliàs diximus, repetendum nunc denuò existimamus; perspicacem uidelicet Architectû, prout commodum ei fuerit, ipsique libuerit, illa modò aucturum, modò imminuturum esse. Subiectæ autem frontis designationem è Veneta ædificandi ratione accepimus, eamque satis aptè, ni fallor, hic expressisse uidemur.









Duas frontium pro ædibus Veneto more constituendarum rationes, in medium hæcenus attulimus atq; explicuimus. Verùm quoniam Veneti pro ædium ipsarum frontibus Menianis seu Podijs quibusdam, quæ extra fenestras procurrunt prominentq; , Pergularumq; appellationem sortita fuerunt, magnopere delectantur: idcirco de ijs seorsum pauca conscribere libet. Meniana hæc propterea instituta fuerunt, ut homines ibi degentes tam iucundissimo aquarum recreentur aspectu, tum etiam auras frigidiores, quæ ex riuis per totam urbem passim discurrentibus attolluntur, solstitiali tempore capent (plerq; enim Venetarum ædium frontes riuis sinibus expositæ apparent) tum demum quia ad nauales pompas nauallæque certamina, quæ in ea præclarissima urbe sæpius exercentur, contemplanda, huiuscemodi loca maximam utiq; præstant opportunitatem: Adde, quod ad ornatum & elegantiam ædificiorum quamplurimùm eadem conducere existinantur. Quibus tamen non obstantibus, hæc Menianorum extruções uitiosas esse, nec ædificiorum utilitati, nec eorundem forsitan ornatui eas admodum consulere pronuntiamus. Cùm enim huiuscemodi Meniana extra solidam quasi in aere suspensa constituentur,

præter mutulos nihil quicquam, quod ea sustentet fulciatque, suppositum habent: Quæ autem firmo stabilique fundamento delituuntur, parietes incommodo ac detrimento sæpius afficiunt, quod antiquorum exemplo confirmari optimè potest. Ipsi nanque, præter coronices proprijs membris mutulis'ue suffultas, haud alia quidem proiecturarum genera extra solidum procurrentia adhibuisse comperiantur. Attamen si in huiusmodi Menianis extruendis rationi auscultare uoluerimus, primi parietis corticem ea crassitudine efficiemus, ut in secundo pariete deinceps ad ædium interiora magis secedente planities propositorum Menianorum extructionibus accommodata relinquatur: quemadmodum ex subiecta Ichnographia cuius perspicere licet. Quinetiam in mediano interuallo, cum Menianum ibi in media sede collocatum in maiorem quàm lateralia Meniana latitudinem excurrat, paries prominentior aliquantulum constitui debet. Quod nisi ad tantam crassitudinem medianum hunc parietem perducendū esse rati fuerimus, in interioribus ædium firmiorem atque ualidiorem arcum, cui pars hæc mediana, quæ uacua undique & leuior existit, superincumbet, substituemus. Præfens autem Ichnographia super rustici ordinis infimam sedem sibi deligentis fasciam, mox aptari accommodarique debet: & mehercle subterfluentibus aquis Rusticus hic ordo perbellè nimirum congruere & conuenire uidetur. Primo igitur hoc ordine, ut habitum fuit, iam expedito absolutoque, frontis distributio supra eum deinceps ita collocabitur ac statuetur, ut si medianum interuallum partium trium latitudinem intra parietes ipsos obtinuerit, lateralia spatia deinde partium trium ac semis latitudinem intra parietes eisdem sibi uendicent. Secundus autem hic ordo, propter rationem superius à nobis adductam, ad primi ordinis æqualem altitudinem efferetur: Podiumque iustæ altitudinis ad superincumbentium commoditatem ac usum in primis excitabitur: Reliquoque spatio deinceps in partes quinque diuiso, partium illarum una epistylia, zophoro, coronicique simul, æqua tamen, ut supra iam admonuimus, distributione confecta, tribuetur. Medianæ apertionis, quam superior complectitur hemicyclus, latitudo apertiones utroque in lateribus consistentes dupla antecellat proportionem: eademque duorum quadratorum altitudinem petat. Vnde epistylia postmodum ad arcum fulciendum super columnas imposita, fenestræ cunctæ ad libellam eandem penitus dirigentur. Ut autem tum ædes interiores uberiori lumine compleantur, tum frons ædis exterior elegantioris aspectum præferat: oculi illi rotandiores, & quadratarum insuper fenestrarum apertiones, quemadmodum aliàs etiam dictum fuit, in superiori parte constituentur. Quod si parsimonie atque frugalitati attendentes marmora, insigniorumque huiusmodi lapidum genera in ædificando adhibere noluerimus; perquam artificiosis picturis eorum formas speciesque nobis imitari, & ut ita dicam, æmulari profectò licebit. Tertius ordo in postrema atque altissima sede collocatus à secundo, quem modò exposuimus, quarta parte deficiat, membraque singula pro rata pariter diminuantur portione: in eisque conficiendis ante habitis præceptionibus necessariò erit nobis utendum. Quauis autem Dorico huic ordini Ionitum antiqui in compluribus ædificijs superposuisse spectantur, ut distinctè tamen ac Methodicè procedamus, Ionici ordinis symmetrias atque commensus separatim postea explorabimus & persequemur.









Quauis sapiens Architectus, tot Doricorum operum formis atque rationibus, quas haecenus recensui-  
 mus, conspexit, eas ad ignium quoque spiracula, quae ex Dorico item opere deducuntur, extruenda exor-  
 nandaque traducere possit: attamen duas spiramentorum huiuscemodi formas è Dorico ordine acceptas  
 depromptasque nunc afferemus; quarum altera ampliori cœnaculo inseruet, & extra muri ipsius crassitu-  
 dinem, mutulis adhibitis, statuetur; altera uerò mediocri uel exiguo cubiculo potius usui futura uidetur, to-  
 taque in interiori parietis crassitudine collocatur. Hæc enim minorum seu mediocrium cubiculorum ge-  
 nera fornacibus mutulorum extructis apparatu nonnunquam impediri occuparique contingit. Necnon id  
 adde

adde præterea, quòd super huiuscemodi cubicula fornaces aliæ superiores constitui possent: Vnde in eadem eodem focus duobus tunc communiter inseruente, focus inferiorem intra muri crassitudinem totum consistere necessariò oportebit. Quapropter si è Dorico genere propositi operis extructio erit à nobis petenda, apertionis altitudine pro cubiculi ipsius captu ac magnitudine ad Architecti libitum definita, in partes quatuor ac semis primùm ea diuidetur: ipsarumque una antepagmentorum frontibus assignabitur, epistylisq; dimidia pars tantummodo tribuetur. Quadra seu Regula circuncurrens septima parte definiatur: necnon Regula cunctæ, quotquot fuerint, eadem prorsus latitudine terminentur. Triglyphorum Mutulorumque frontes, dimidiam epistylis latitudinem assequantur: eorumque altitudines ita accipientur, ut foci latitudine ad cubiculi magnitudinem ambitumque præscripta, mutulisque super antepagmenta, quemadmodum hic cernere fas est, aptatis compositisque; medianum spatium deinde, prout subiectum ostendit exemplar, ea ratione diuidatur, ut spatia inter triglyphos constituta ad epistylis æqualitatem redigantur, & in eandem pariter altitudinem efferantur: adeò ut spatia intermedia perfectorum quadratorum formositatem ac elegantiam imitabuntur, triglyphisque duplam proportionem, ex duobus quadratis uidelicet constantem, obtinebunt. At spatia, quæ in angulis sita & inter mutulos collocata spectantur, exactam absolutamue quadratorum perfectionem mehercle nequaquam attingent: Triglyphorum Mutulorumque capita, dimidias mutulorum ipsorum latitudines sortientur. Coronæ, Simæ atque Cymatio simul acceptis, paræm epistylis altitudinem consequetur: Quæ in duo æqua segmenta diuisa, una coronæ applicabitur ac tribuetur: Mox eo, quod superest, in tres partes distincto, una Cymatio regulæque ipsius condonabitur, duabus cæteris Simæ & eius regulæ simul distributis. Coronæ proiectione sic utique instituetur, ut pars eius ima inter binos triglyphos collocata perfectum absolutumque imitetur quadratum; ut si fortè sculpturis pars ea illustranda exornandaque uideatur, spatij propositi magnitudo id nobis assatum concedat permittatque. Simæ atque Cymatij proiectione, eorundem altitudinem æquet. Ornamenta coronæ in superis partibus succedentia, ad Architecti libitum apponentur: quintiam partes illæ superiores, absque ulla ornamentorum adiectione, simplices puræque ab eodem constitui poterunt. Verùm illud imprimis te admonitum uolumus, quòd moduli hucusque à nobis traditi atque præscripti operibus, dummodo mediocri aut ampla magnitudine fuerint, egregiè quidem respondebunt. At si pusilla, cubiculorumque angustijs accommodata eadem extiterint, antepagmentorum frontes ex apertionis totius altitudine septimam partem accipient: membraque cætera deinceps antepagmentorum proportionem ac symmetriam, superioribus adhibitis præceptionibus consequentur.








Focus hic propositus extra parietis crassitudinem ita constituetur, ut eius altitudine latitudineq; pro cubuli ipsius captu dimensa ac definita, altitudo, à solo uidelicet ad epistylum usque, in partes quatuor diuidatur: earumq; una epistylis, zophoro, coroniciq; simul assignetur, æqua, prout superius tradidimus, horum membrorum distributione confecta. Quauis autem in præsentis designatione membrorum horum altitudines modulos à nobis iam præscriptos excedere uideantur, excessus tamen huiusce ratio in aspectum infernè collocatum conijci debet: Oculus nanque propositum opus ex inferna suspiciens regione, præter iam assignatos modulos, amplius quiddam profectò complectitur ac comprehendit. Mutulorum frontes septimam altitudinis partem explebunt, capitulaque dimidias mutulorum eorundè frontes adæquabunt: ipsaq; , prout superius in Doricorū capitulorū pertractatione habitū fuit, diuidentur. Imas quidem mutulorum horū crassitudines nonnulli quarta parte diminuendas existimarunt: Cùm. n. pes inferior in quartā partē extendatur postea ac dilatetur, plinthū pedi substratū latitudinē parti superiori prorsus æqualē assequi tandè contingit.

Quòd

Quòd si totum mutuli ipsius corpus æquè crassum efficere uolueris, hoc in ampliori aliquo opere quammaximè certè nobis probabitur; pars enim inferior cum ad parietem magis inclinet, ab aspectuq; nostro longius secedat, contrahi aliquantulum atq; diminui profectò uidebitur. Quoniam autem in immodica altitudine pars illa foci, quæ fumum excipit ascendentem, & in pyramidis formam attollitur, aspectui iniucunda & inuauis existeret; primæ coronici præsens structuræ, quam hic designauimus, species tunc superaddi commodè posset: quæ, prout Architecto libuerit, cubiculique ipsius altitudo efflagitauerit, in altum modò maior modò minor insurget. Et hæc quidem præceptiones institutaq; in ampliori aliquo opere constituendo diligentius obseruabuntur. At si opus pusilla mediocri'ue forma conficiendum nobis proposuerimus; diuersa quadam tunc incedemus ratione. Altitudinè ab epistylio ad solam usq; in partes quinq; diuidemus: earumq; unam epistylio, zophoro, coroniciq; simul regulam superius traditam persequentes tribuemus. Mutulorum frontibus nonam altitudinis partem tantummodo concedemus, Capitulaq; dimidias mutulorù frontes explebunt. Et hæc ratio utiq; mediocribus exiguis'ue operibus quamplurimum uenustatis adijciat: quod quidè usu atque consuetudine edocti, uerum esse asseueramus. Cum enim opera huiuscemodi nonnulla minoribus formis pro cubiculorum angustijs designata à nobis fuissent, prioremq; regulam in eis constituendis essemus persecuti, solidiora profectò crassioraq; opera mox euaserunt: At superiori illa præceptione in hanc, quã nouissimè attulimus, permutata, opera & aspectui iucundiora & uenustiora mehercle reddidimus.



DORICO AVTEM ORDINE IAM EXPEDITO, AD IONICVM  
DEINCEPS NOS CONFERAMVS.



## DE IONICO ORDINE, PROPRIISQVE IPSIVS ORNAMENTIS. Cap. VII.



**D**E IONICO quidem opere Vitruuium quarto uolumine capite primo doctè copioseque differentem habemus: hancque ædificandi rationem ueteres è matronali forma deduxisse memorantur; Ionicasque ædes, quemadmodum libri huiusce exordio traditum à nobis fuit, Apollini, Dianæ, & Baccho dedicare olim solebant. At nos, qui Christianam profite-mur religionem, si templum ex hoc ordine depromptum exædificauerimus, sanctis ijs nimi-rum, qui nec seueram omnino nec molliorem, sed mediam quandam uitam traduxerunt, mox ipsum applicabimus atque addicemus: itemque sanctioribus illis sceminis, quæ matronale uiuendi ge-nus complexæ olim fuerunt, sacras huiusmodi ædes deuonere nobis licebit. Quòd si publicum fortasse pri-uatum uel ædificium doctissimis uiris, qui in otio degentes nec horrido omnino nec lautissimo prorsus, sed medio quodam uiuendi genere delectantur, construendum nobis proposuerimus, ad Ionicam hanc ædifi-candi consuetudinem statim confugiemus. Quinetiam si matronis Architectonicum aliquod opus erit assi-gnandum, à Ionicis moribus atque institutis nequaquam desciscemus. Verùm de his aliàs: nunc propositi ordinis modulos persequamur. Columnarum Ionicarum præceptum illud communissimum inprimis solet afferri, ut ex, basibus capitulisque simul adiunctis, ex octo partibus constituentur; quanuis Vitruuius octo partibus ac semi eas definierit: Quinetiam ex nouem quandoque, & ex pluribus partibus nonnunquam, pro uarijs nempe locorum atque ædificiorum rationibus, eadem constabunt. At nos, ut iam admonuimus, Ionicæ columnæ modulos octo assignandos censemus, quorum modus ac terminatio ab ima columnæ ipsius crassitudine capietur. Basis igitur dimidiam columnæ crassitudinem adæquabit: quam quidem basim à Vitruuio libro tertio capite tertio perquam accuratè descriptam comperimus, isque descriptionis totius sen-sus existit. Basis in dimidiam columnæ crassitudinem assurgat: Plinthus tertiam sibi uendicet crassitudi-nis portionem. Quo dempto reliquum in partes septem distinguatur: quarum tribus toro ascriptis, qua-tuor reliquæ duabus scotijs, earumque astragalis & regulis ea ratione distribuentur; ut partibus hisce qua-tuor in duo æqua segmenta diuisis, eorum utrunque astragalum unà cum regulis pariter sortiatur. Astraga-lus octaua parte scotiæ terminetur, & regula dimidio astragalo æqualis constituatur. Quanuis autem sco-tiæ ambæ eandem altitudinem prorsus attingant, scotia tamen inferior cum uehementiore quàm superior prominentiam & proiecturam exteriorem obtineat, maior quoque & amplior quàm illa intuentibus appa-rebit. Basis proiectura octauam & decimam sextam crassitudinis columnæ ipsius expleat portionem: itaque plinthi undequaq; latitudo columnæ totius crassitudini quartam & octauam partem insuper addet. At quo-niam Regula sub toro constituta ab immodica tori ipsius crassitudine obscuratur & quodammodo obten-ditur, eam regulis cæteris duplo maiorem idcirco nos utique efficeremus: & in membris singulis effingen-dis, prout in Dorica basi iam admonuimus, summam certè æquitatem atque dexteritatem adhiberemus.

Torus superior, uulgò Baculus seu Orbiculus


Quadra, aliter Limbus aut Regula

Scotia seu Trochilus, uulgò Capetum


Astragalus, uulgò Orbiculus

Scotia.


Plinthus, uulgò Soccus.



Verùm cum Ionica basis à Vitruuio tam eleganter descripta, tum propter immodicam tori crassitudinem, tum etiam propter astragalorum sub eo existentium tenuitatem gracilitatemq; plerisq; nunc minimè satisfacere uideatur; quin etiam doctissimos uiros complures, quorum de hac re colloquentium disputationibus sæpius interfuimus, sibi aduersantes infestosque habeat: idcirco nos tanti uiri ueniam pacemque præfati basim aliam, prout nostra fert sententia, superiori fortasse moderatiorem & castigatiorem in medium nunc proponemus. Plintho igitur, quemadmodum suprà iam habitum fuit, constituto, quod superest deinde, in tres partes diuidatur: earumque una toro superiori attributa, altera sub toro mox collocata in sex partes distinguatur: quarum una astragalo condonetur, regulaque inferior dimidium astragalum sortiatur; at regula superior, quæ toro mox subest, ad astragali æqualitatem efferatur: Vnde quod reliquum extat interualli, Scotiæ, quam Trochilum Orbiculum'ue alij appellant, necessariò continget. Pars tertia demum, quæ nobis superest, in sex partes item diuellatur: quarum una astragalo assignetur, dimidiaque astragali portio regulæ cum mox consequenti applicetur; necnon regulæ inferiori, quæ plintho superior imminet, tantundem tribuatur. Quod autem remanet, inferiori scotiæ reseruabitur. Proiectura denique modulus à Vitruuio suprà iam traditos atque statutos minimè egredietur: & linearum, quas subiecimus, ductu, necnon ratione, quam subscriptam intueris, obseruata, ad exitum commodè perducetur.



At in Ionico capitulo deinde formando effingendoque hac ratione utique procedemus. Ad tertiam crassitudinis columnæ partem capitulum efferemus, Abaci que frontem imo columnæ ipsius scapo latitudine parem constituemus: Eoque in partes xvij diuiso, ad ambas laterum extremitates pars una insuper adijcitur, ita ut lateri unicuique pars dimidia seorsum obueniatur atque contingat, partesque omnes simul acceptæ xix numero existant. At spatio hoc parte una dimidiaque insuper utrinque ad interiora contracto, linea partium nouem ac semis, quanta uidelicet est Abaci ipsius latitudo, ad perpendicularum demittetur, quam qui-





dem Vitruuius catheton appellare consuevit; nouenisque partibus mediaque insuper ibi signatis, pars una cum dimidia Abaco tribuetur: quem quidem Architecto, prout ipsi magis libuerit, tam ad læuam quam ad dexteram (ambo enim Abaci hic designati latera ex antiquorum operibus certè deprompta fuerunt) formandum atque perficiendum relinquimus. Partes octonæ, quæ sub Abaco collocantur, Volutæ, quam Helicem Græco uocabulo nonnulli appellant, deinceps inseruient. Quoniam autem hic propter uolutæ, oculique præsertim exiguitatem numerorum appositio, eiusque constituendæ modus ratioque; perquam obscura atque intellectu difficilis esset: idcirco & uberiolem eius explicationem, & clariorem eiusdem latioreque designationem in sequentem paginam mox differemus; necnon quo pacto sulci seu canaliculi, quos strias Architecti frequenter appellant, in columnarum truncis perducendi uideantur, ibidem ostendemus: quintam lateris ipsius capituli typum legentium oculis subiiciemus. Columna autem, si eius altitudo infra quindenos pedes extiterit, sexta quidem parte in summo contrahetur atque diminuetur, ea præceptione, quam de Tuscano ordine agentes superius tradidimus, ad columnarum omnium conformationes adhibita. Quod si eæ pedes quindenos excesserint, & ad pedum quadragenam altitudinem usque excreuerint, quid obsecro tunc erit agendum, inquires? Vitruuium libro tertio capite secundo de hac re uberrimè pertractantem conuale, ipseque omnes scrupulos ex animo tibi radicitus extrahet atque reuellet.


**Capitulum Ionico, quemadmodum ostendimus, iam formato absolutoque, Volutæ modò constitutionem aggrediamur.** Catheti ipsius lineæ, quæ infra Abacum statuitur, & in partes octo seiungitur, partibus quaternis, quæ mox sub Abaco collocantur, prætermittis; quinta deinceps oculo tribuetur, quem tres reliquæ postremò consequentur: adeò ut segmenta cuncta octonarium numerum tandem explebunt. Oculi diameter postmodum in sex partes diuidatur, numerorumque characteribus eo ordine, quem in sequenti conspicias designatione, instructis dispositisque; altero circini pede unitatem attingito, reliquoque ad catheti signum sub abaco mox repertum extenso, hinc usque ad catheti ipsius uestigium partem inferiorem uersus eum circumducto, ibique quiescito: Deinde pede circini stabili binario innitente, alterum ab inferiori ad catheti partem superiorem circumagito, ibique consistito: Item altero circini crure ternarium comprimente, reliquum ad cathetum usque in gyrum deducito: Rursus immobili circini uestigio quaternarium cooperiente, alterum ad partem catheti superiorem reflectito, ibique maneto: Haud aliter circini cuspe fixa quinarium feriente, reliquam ad inferiorem usque catheti ipsius partem circumuoluito: Demum altero circini latere ad senarium traducto, reliquum ad superiora circumductum oculi ipsius peripheriam continget. Voluta autem iam completa atque absoluta, intra cicli oculi uel ipsius ambitum tam ad dexteram quam ad læuam parua quedam rosæ insculptæ ornatus gratia statuentur. Cæteri moduli deinceps haud difficulter ex sequenti intelliguntur designatione, circinoque adhibito statim inuenientur. Columnarum striæ, quas tum sulcos tum canales quoque appellare tibi licebit, xxxiii numero existent: & earum qualibet in partes quinque diuisa, cauo ipsius strigis quaternæ, & quinta demum striæ eiusdem plano applicabuntur ac tribuentur: Moxque inter duo plana recta linea constituta, in medio eius ligno strigis centrum capiatur. Quod si quando columnam, cum gracilior existat, aspectui crassiolem reddere concupieris, strias xxvii perduces: Opticus nanque radius cum propter striges numerosiores magis expandatur ac dilatetur, artificis astu dissipatus quodammodo atque dissectus rei ampliorem, quam reuera sit, speciem intuentibus exhibebit. Capituli propositi Abacus, quemadmodum aliàs diximus, latus fronti prorsus gestat æquale: At latus ipsius in subscriptis designationibus, A littera apposita, tibi retulimus, quod & mensura & symmetria capitulo in superiori pagina proximè designato ad amulsim respondet. Et hæc de Voluta quidem sufficiunt; quam, prout ingenij nostri infirmitas tulit atque imbecillitas, Candidissime Lector, nunc tibi exponere ac declarare contendimus: eoque magis laborauimus, quòd Vitruuius in ea describenda breuitati & obscuritati quodammodo studuisse uidetur; præsertim cum & rei huiusce designationem, & alia nonnulla insuper scitu quammaximè digna ipsemet author in extremo libro sese traditurum pollicitus fuerit: quæ quidem pollicitationes cum nullibi appareant, librum hunc uel temporum iniuria fortasse, uel alia quauis de causa amissum fuisse suspicamus.

Superiorum retractatio, & noua quædam aliorum superadditio.


**C**apituli Ionici parte, quemadmodum supra iam demonstrauius, perfecta & expedita, ad uolutæ circinationes conuolutionesque formandas effingendasque nunc accedamus. Eam autem hac utique ratione construemus. Cathetos linea infra abacum mox constituta in partes octo diuidatur: & quaternis partibus supra, ternis autem infra Oculum remanentibus, pars quinta uolutæ ipsius ciclo oculo ue continget, itaque octonarius partium iam acceptarum numerus tandem explebitur. Postmodum oculi diametro in sex partes distincto, numerisque, prout in subiecto schemate apparet, dispositis & collocatis; crus circini immobile unitati applicetur, & alterum sub abaco mox statutum usque ad catheti partem inferiorem circunducatur, ibique consistat: Deinde altero circini pede ad binarium traducto, ad catheti partem superiorem alter reflectatur, ibique quiescat: Mox priori circini cuspide ad ternarium transeunte, cuspis altera ad catheti inferiora circumferatur, ibique firmetur: Postmodum circini latere ad quaternarium diducto, alterum ad catheti superiora usque circumagatur, nec ulterius procedat: Deinceps priori circini uestigio ad quinarium translato, ad catheti inferiora in gyrum alterum delabatur, ibique ipsum comprimito: Demum superiori circini uertice ad senarium progrediente, uertex inferior ad superiora circunuolutus cum oculi peripheria coniungetur: Intraque oculi ipsius ambitum, uoluta ad exitum iam perducta, ornatus gratia tam ad dexteram quam ad læuam rosarum exiguarum nonnullæ similitudines sicuti sculpturæ genere postremo effingentur. Verumenimvero ei inprimis ut mentem adhibeas uolo, quod, nisi præter principia è disciplinarum scientiarumque fontibus petita diuturnior quoque usus solerti suffragabitur Architecto, complura certè reperiuntur, quæ solis conscriptionibus doceri ostendique ægerrimè possunt. Quapropter cum uolutæ conficiendæ rationem iam exposuerimus, balthei, quem B littera hic annotauimus, constructio, eiusque pro decrecente uoluta diminuendi modus ratioque nunc superesse uidetur. Baltheum igitur aggredientes superiorem eius latitudinem, quæ sub abaco mox collocatur, tertia oculi parte primùm definiemus. Deinde altero circini crure inter unitatem ac ternarium quiescente, reliquum ad extremam nuper acceptæ latitudinis oram diductum usque ad catheti inferiora circunducatur, nec ultra pertranseat: Mox altero circini uestigio inter binarium & quaternarium consistente, reliquum ad catheti superiora reflectatur, ibique permaneat: Alteraque deinceps circini cuspide ad unitatem traducta, reliqua ad catheti inferiora circumcurrat, ibique consistat: Postea altero circini latere quaternarium comprimente, ad catheti superiora reliquum circumactum ibi quiescat: Mox stabili circini pede quinario innitente, ad catheti inferiora alter circunuoluatur, ibique eum obfirmato: Demum altero circini uertice ad senarium translato, & reliquo ad superiora circunuoluto, ambæ uidelicet tum uolutæ tum balthei ipsius peripheriæ cum summo oculo coniungentur. Totaque operis huiusce, quemadmodum supra etiam admonuimus, constructio usum potius & artificis manus alsiduo operandi labore consumptas defatigatasque, quam præceptiones monumenta uel ulla scriptorum efflagitare uidetur. Balthei nanque magis minus uel diminuendi ratio Architecti acumen atque iudicium circini cuspidem ad altiora modò, modò autem ad humiliora traduentis profectò requirit. Commensuum quoque haud una perpetuaque ratio semper existit: Capitulo nanque ampliolem magnitudinem obtinente, diametri oculi ipsius quadrantem baltheo tribuimus: Sin capitulum mediocri magnitudine fuerit, baltheo tertia diametri pars perbellè conueniet: Quod si capitulum denique pusilla exiguaque forma extiterit, dimidia tunc oculi diameter baltheo concedetur. Hocque ad perspicacis Architecti nutum ac libitum referuandum existimamus: quotquot enim in antiquitatibus uolutæ à nobis conspectæ fuerunt, cunctas tum operibus tum symmetrijs quoque differre profectò animaduertimus. Cæteri deinceps commensus facillimè perspicui adinueniri que possunt: omnesque, circino adhibito, à uiro natura paulò diuigentiori celerimè expedientur. Columnarum striarum in canaliculorum morem à summo ad imum xxiiij numero perducuntur: & earum qualibet in partes quinque per transuersum diuisa, strigis ipsius cauo quaternæ, & quinta eiusdem planicie perbellè distribuentur. Moxque à plano ad planum recta linea perducta, medium eius signum strigis ipsius centrum nobis quamprimùm determinabit. Quod si columna tenuior fortasse extiterit, nosque eius speciem crassiolem atque prominentiolem effingere uoluerimus; striarum multitudinem ad xxvii usque amplificantes, probè id utique consequemur: Opticus nanque radius cum per striges numerosiores peruola uerit atque discurrerit, ab ijs quodammodo expansus ac dilatatus rei maiorem, quam reuera sit, formam intuentibus referet. Capituli autem abacus, quemadmodum aliàs dictum fuit, & laterum & frontis perfectam sortietur æqualitatem. Latusque en tibi, A littera apposita, nunc designauimus atque subiecimus, quod cum superiori capitulo à nobis proxima pagina iam descripto & modulis & symmetrijs conuenire omnino comperies. Et de uoluta tot quidem dixisse sufficiat, quam, prout imbecilliores ingenij nostri uires pertulerunt, ad exitum perducere certè conati sumus: Idque inprimis laborem nostrum ingeminauit & auxit, quod Vitruuius in uolutæ explicatione breuior nimirum ac subobscurior existit; præsertim cum & uolutæ descriptionem, & alia complura elegantiora præterea in extremum librum reiecerit atque distulerit: quæ cum nullibi profectò reperiuntur, in diuersas sententias homines induxerunt. Nonnulli indoctos complures, & fortunatos potius quam peritos Architectos Vitruuij quoque non secus ac præfenti tempestate extitisse arbitrantur: Arrogantia nanque cum ignorationi tanquam comes & germana perpetuò alsistat, tantam in imperitorum uulgus commendationem sibi & auctoritatem acquirit, ut sapientes ijs longè inferiores, & præ illis nullius ferè pretij habeantur. Quapropter Vitruuium, ne fastuosum hoc hominum genus aliena inuenta quandoque sibi arrogaret, admiranda hæc nequaquam in lucem edidisse, nec




nec aded præclara cum ijs communicare ullo pacto uoluisse affirmant. Alij Vitruuianarum conscriptionum hæredes designationum harum elegantia atque formositate delinitos, eas apud sese domi priuatim occlusas continuisse tradiderunt. Alij demum figurarum tam explicationes quàm designationes difficiles aded inuolutasque fuisse suspicantur, ut Vitruuius quasi perterritus eas consultò prætermisisse uideatur. At nouissimam horum sententiam minimè accipiendam admittendam ue esse arbitramur: Vitruuium enim, quemadmodum eius scripta passim testantur, doctum aded ac eruditum extitisse constat; ut nihil profus, nisi ipse tum per sese, tum ad alios instituendos erudiendosque illud optimè antea tenuisset, in medium cæteris exponere deinde ausus unquam fuisset.



Ionicæ capituli à Vitruvij sententia constituendi rationem satis, ni fallor, in superioribus explicuimus: nunc capitulorum quorundam à Romanis olim extruendorum formas speciesque declarandas aggrediemur. Capituli que in primis M litera inscripti, quod in Marcelli ipsius theatro adhuc extare conspicitur, communiores modulos persequemur. Abaci frons imam columnæ crassitudinem explet, uolutæque sexta ipsius abaci parte ad exteriora procurrunt, & pro dimidio abaco ad inferiora dependent: Capitulum ad tertiam crassitudinis imæ columnæ partem ascendit. Quoniam autem capitula hæc priscis illis Architectis ad ornatum & elegantiam parum forsitan conducere uisa fuerunt, idcirco præsentem zophorum, quem in capitulo P depictum expressumque intueris, addendum illi existimarunt, capitulo ad duas crassitudinis imæ columnæ tertias in altum assurgente. Huiusce autem capituli speciem, præter capitula alia complura eadem ratione constructa, Romæ nunc quoque attendere & conspici licet.




At quoniam illud nonnunquam occurrere posset, ut quadratum claustrum, uel magnæ ædis alicuius finum, Ionicis columnis adhibitis, Architectus extruendum aggrediretur: qui nisi angularium columnarum diligentem rationem habuerit, in illud erratum imprudens fortasse incurret, ut columnarum aliæ quidem uoluntarum frontes ad finum conuersas, aliæ uerò uoluntarum latera ad finum eundem spectantia obtineant; quod à recentioribus Architectis nonnullis admissum cognouimus. Ne in fæda hæc igitur turpiaque errata quandoque ædificator impingat, in angularibus capitulis extruendis subiectæ A Ichnographiæ exemplum imitabitur ac persequetur. Quinimo capituli id genus Romæ compertum olim meminimus, cuius finis ac usus, acutioribus ingenijs quamuis id acriter meditantibus, nulla certè ratione explicari posse uidebatur: adeò ut homines insolubile quoddam ænigma esse rati, confusionis capitulum illud passim appellarent. Post multas tamen disceptationes concertationesque, capitulum hoc interiori, quemadmodum supra iam habitum fuit, columnationis angulo quondam inseruisse, statutum determinatumque fuit. Quòd si in exterioribus angulis quadratæ columnæ nobis collocandæ proponentur, ut uoluntarum frontes undequaque conspici possint, ex subiecta Ichnographia B modum atque rationem petemus.






Epistylj deinde, quod Architrabem uulguſ appellat, conſtituendi ratio ac ſymmetria talis exiſtet. Coium na à duodenis pedibus ad pedes quindenos in altitudinem excitata, epistylium ad dimidiam imæ columnæ craſſitudinem efferetur: Sin à quindenis ad uicenos pedes columna in altum aſſurget, eius altitudine in partes tredecim diſtributa, una epistylij ipſius altitudini aſſignabitur ac tribuetur: Quòd ſi à uicenis ad uigintiquinque pedes columna extolletur, eius altitudine in partes duodecim ſemiſque diuiſa, una epistylio reſeruabitur & concedetur: Si à uigintiquinque demum ad triginta pedes columna eadem aſcenderit, epistylium ex columnæ ipſius altitudine duodecimam ſibi partem uendicabit. Pariter etiam quò columnæ ardua magis atque ſublimia perent, eò epistylia pro rata portione maiora amplioraque ſemper conſtituentur: quò enim res ab oculorum aſpectu longius longiusq; recedunt, propter aeris intermediij ſpatium uera propriaq; earum magnitudo eò magis magisque inminui gradatim uidetur. Epistylio igitur conuenientem altitudinem quamprimùm naſto & aſſecuto, in partes ſeptem mox ea diuidetur: quarum una Cymatio, quod inuerſam gulam Itali appellant, condonabitur; necnon tantundem Cymatij proiecturæ pariter tribuetur. Reliquoque deinceps in duodecim partes diſtincto, tres primæ, quatuor ſecundæ, & quinque tertix poſtremæq; faciæ tranſmittentur. Ima epistylij craſſitudo ſummo columnæ ipſius ſcapo æqualis ſtatuetur: at ſummum deinde epistylium imo ſcapo columnæ æqualem altitudinem ſortietur. Zophorus, quem Freggium uulguſ appellat, ſi ſcalpturis exornandus atque cohoneſtandus cenſebitur, epistylio quarta parte altior efferetur: Sin abſque ullis ſcalpturarum illecebris ſimplex ac purus relinquetur, quarta parte ab epistylio ipſo deficient. Zophoro Cymatium deinceps ſuperſtat, quod in ſeptimam tantummodo zophori ipſius portionem aſſurgat, proiecturamq; altitudini proſus æqualem obtineat. Cymatio mox denticulos ſuperponito, quorum altitudo medianæ faciæ æqualis eſto, proiecturæq; altitudini par omnino conſtituatur. Denticulorum frontes altitudinem latitudinis duplam aſſequantur. Caua autem denticulis interiecta, tertia parte ab eorum deficient latitudine. Cymatium denticulis ſuperinductum, ſexta eorum parte definiatur. Corona, unaq; ipſius Cymatium (Sima tantum excipio) medianæ faciæ æqualem ſibi uendicet altitudinem. Coronæ Denticulique ſimul proiectura, zophori unà cum eius Cymatio altitudinem æquet. Sima, quam rectam gulam paſſim nuncupari iam diximus, ad coronæ, octaua parte amplius ſuperaddita, æqualitatem dirigatur. Eius autem regulæ ſextam ſimæ ipſius partem tribuemus, ſimæque eiſdem proiecturam altitudini æqualem proſus conſtituemus. Id uerò in primis memoriæ ut mandes uelim, quòd ſingula coronicum membra, coronis duntaxat exceptis, proiecturas altitudinibus æquales habere quammaximè decet.




At quoniam antiqua Romanorum operum monumenta à Vitruvianis conscriptionibus quamplurimum differre conspiciuntur, idcirco aliud columnæ genus in medium nunc proponere libet; cui epistylum, zophorus, coronique superstant: tria; hæc simul accepta ad quartam altitudinis columnæ portionem conscendunt. Vniuersoque spatio in decem segmenta distributo, tria epistylion, in eo diuidendo rationem superius traditam persequentes, tria item zophoro puluinato, & quatuor coronici de-

num impertiemus. Coroniceque rursus in sex partes distincta, una Denticulo condonabitur, & Cymatio altera mutulos sustinēti ascribetur, mox duæ mutulis, unaque coronæ, firmæque una pariter tribuentur. Totius autem coronicis proiectura, eiusdem altitudinæ æqualis statuatur. Huiusmodi generis coronicem ad Sabinam Romæ in Ionico quodam ordine compertā olim fuisse accepimus.




Quòd si columnarum amplificationibus exaggerationibusque magis consultum esse uoluerimus, nisi perpetua connexionis series impedimento nobis extiterit, hæc utique ratione procedemus. Stylobatæ proportio ac symmetria talis excogitabitur, ut frons quidem ad Plinthi columnaris perpendicularum statuatur, & tetragonus insuper stylobatæ ipsius ambitus quadrati ac semis altitudinem assequatur: Quæ rursus in sex partes distincta, infimæ basi una, summæque coronici altera applicetur, adeo ut segmenta omnia in unum composita coaceruataque octonarium numerum procreabunt. Vnde hac ratione totius stylobatæ, eius appendicibus simul adiunctis, altitudo ex partibus octo constabit; ipsique columnæ, quæ ex octo partibus item componitur, perbellè nimirum quadrabit atque consentiet. Præceptionem autem hanc nostram tanquàm communiozem in medium nunc proposuisse sufficiat, prudentis Architecti iudicio arbitrioque compluribus deinde relictis.






Cùm Romanas antiquitates à Vitruuianis constitutionibus longius secedere obseruauerimus, idcirco ex ipsis nonnullas, & eas quidem illustriores, hic duximus seligendas apponendasque; quarum pars Romanis operibus adhuc insertæ conspiciuntur. Coronæ, zophorus, epistylumque, T littera hæc tria communiter indicante, ad Theatrum Marcelli Ionico operi intertextæ, & supra Doricum ordinem extructa collocataque extant. Exigua pila unâ cum superaddita basi, T littera designante, in eodem ordine Ionicis columnis subdita reperitur. Coronicem A, mutulis simul adiectis, Romæ inter Adriani Diuique Laurentij ædes comperam olim accepimus. Epistylum F, Opitergio ad Forum Iulium inuentum fuisse autumant: quod quidem epistylj genus cùm tres fascias absque ullo astragalorum habeat comitatu, Ionicum esse existimauimus. Singulos autem membrorum propositorum commensus in præsentia minimè recensemus: satis enim id esse arbitramur, quòd ex ueris propriisque formis ad typos hosce minores, maxima adhibita diligentia, ea traduximus. Quinetiam illud insuper addimus, quòd proprios modulos, circino adiuuante, quiuis facilimè expediet atque cognoscat.




Et si Vitruuiana Ionice portæ descriptio & constitutio proportionem eam, quæ reliquo ædificio congrueret, haud perfectè nobis assecuta uideatur: eius tamen explicationem, prout nostra fert sententia, in præsentia minimè reticendam existimamus. Vitruuianam itaque orationem, quod ad luminis altitudinem spectat, ad Doricæ portæ genus referendam esse pronuntiamus: adeò ut à pavimento ad lacunaria partes tres dimidiaque præterea statuatur, crucis nota lacunaria seu cælum ipsum nobis significante, binæque partes luminis altitudini concedantur; ex quo coronam, haud secus quàm in Dorico genere, per amplam fore certè continget. Huic illud quoque absurdum accedit, quòd cùm ima ostij latitudo tres, & altitudo quinque partes, prout ex Vitruuij oratione colligitur, sibi uendicet; parsque superior, quemadmodum in Dorico genere, contrahatur: Ionicam ostij apertionem latiore quàm medianam intercolumnium hac ratione fore consequitur, si moduli ij, quos à Vitruuiio tertio libro præscriptos inuenimus, ad Tetrastylam ædem extruendam à nobis adhibiti obseruati que fuerint. Cuius quidem rei exemplum infra subiecimus, ut portæ huiusce templique totius symmetriam intueri, faciliusque dijudicare possimus: quæ haud numeris quidem omnibus perfectè absoluta ue uidetur. Si nanque in Dorico ordine, cuius columnæ Ionicis humiliores existunt, ostium ad duorum quadratorum altitudinem & paululum amplius effertur; Ionici ostij genus, cùm columnæ in sublime magis assurgant, altiorem profectò lucis ingressum quàm genus Doricum nancisci oporteret: attamen Vitruuium lucis usuram & ubertatem ei quodammodo subduxisse reperimus, cùm tres latitudini, & quinque duntaxat altitudini partes ille tribuerit atque assignarit. Hæc omnia tamen tanti uiri ueniam pacemque;

pacemque præfati dixisse uolumus. At nos partibus ijs, quæ ad rem magis conducunt, ex Vitruuio assumptis, aliam huic proximo loco designationem absque ulla superum partium contractura apponemus. Quod si quis morem sibi gerere studens superas partes duxerit contrahendas, Doricæ ianuz iam expositum ordinem imitabitur ac persequetur. Id autem, humanissime Lector, te præmonitum uolumus, ut, quæcunque Vitruuianis dogmatibus aduersabuntur, maxima reuerentia à nobis enunciari atque proferri semper existimes.




Rem igitur aggredientes, luminosam præsentis ianuz apertionem duorum saltem quadratorum spatium ex pleturam esse affirmamus: Antepagmenta duodecimam è luminis totius altitudine sibi partem acquirunt, ea nempe ratione, quæ in Ionico epistylion tradita fuit, disposita & absoluta; fascijsque, prout ex figura F perspicitur, astragali adijciuntur: Zophorus ianuz superstans, si aliquo sculpturarum genere exornandus censetur, quarta parte altior antepagmentis insurget; sin nudus simplexque relinquetur, quarta parte antepagmentis iisdem humilior constituetur: Corona, membraque cætera altitudinem antepagmentis æqualem sortientur; &, quemadmodum ex F habetur figura, distribuentur. Ancones siue Prothyrides, quæ Mensulæ item uocantur, frontes antepagmentis æquales habebunt: in æque partes, quæ supra ianuam ad lucis libramentum collocantur, à partibus superioribus quarta parte contrahentur atque deficient; indeque mox folia, quemadmodum ex ipsa constat designatione, exoriantur atque dependent. Arcus circumferentia, quæ ianuz uerticem undequaque complectitur, Remenatumque uulgo appellatur, eo nempe artificio iustam altitudinem assequetur: ut ambobus circini cruribus ad extrema sinæ ipsius latera in superiori parte diductis, alterum quidem ad crucis signum deferatur, reliquum uerò ab uno ad alterum sinæ latus circumcurrat; & hac utique ratione peripheriæ altitudinem statim expedies. Circulati autem seu, ut uulgus loquitur, Remenati fastigij huiusce confectionem omissionem uel Architecto, prout ipsi libuerit, integram referuamus. Nec ad portas solummodo, uerum ad fenestras quoque aliaque ornamenta appingenda, hæc eadem ratio tibi optimè inferuitura uidetur.





Subsequentis ianuz lumen ex dupla constat proportione, ad duorum uidelicet quadratorum summam pertingente. Antepagmentorum frontes ex apertionis latitudine octauam sibi partem arripient: Imique columnarum scapi bis tantumdem crassitudinis obtinebunt, superiores uerò ab inferioribus sexta parte deficient: Scaporum autem, basibus capitalisque simul adiectis, altitudines nouem sibi partes acquirunt: Commensusq; ij, quos à principio tradidimus, diligenter in primis obseruabuntur. Nec quanuis columnarum modulos iam à nobis statutos partis unius additione exuperent, in ullum uitij aut reprehensionis genus incurunt; cum binarum tantummodo extra muri ipsius crassitudinem tertiarum earum partes eminent; nec præter fastigium quicquam aliud oneris sustineant perferant'ue. Quinetiam si propositarum columnarum altitudines modulos nouem forte fortuna excefferint; cum tamen ornatus solius gratia, nec ulla necessitatis ratione adhibitæ, & cum interiori pariete connexæ insuper colligatæque appareant, haud improbandæ quidem calumniandæ'ue erunt. Epistylum ad antepagmentorum æqualitatem educetur: Zophorus, siue scalpendum eum existimes, seu purum simplicem'ue malueris, aliorum, quos iam explicuimus, zophororum rationes ac modulos persequatur: Coronæ ad epistylj æqualitatem deinde efferetur: Cæterorum membrorum commensus ex superius à nobis traditis præceptionibus deducetur: Fastigium uel in sublime attollendum uel depressius constituendum, prout ipsi uisum fuerit Architecto, relinquimus; ad proprias, quas in Dorico ordine rei huiusce tradidimus, præceptiones eum utique dimittentes. Hoc autem commenti genus ad complura nimirum aptare atq; transferre Architecto licebit: quinetiam, prout necessitatis ratio membrorumq; cæterorum series atque connexio efflagitabit, Ionici ostij lumen quadrati nonnunquam ac semis, & quadrati duarumq; tertiarum quandoque constituetur. Attamen, nisi uis aliqua diraque necessitas aliò nos compulerit, duplam hanc symmetriam atque proportionem alijs semper anteponendam existimamus.


Cum




Cum in superioribus Rusticum genus haud Tuscano tantummodo, cum quo mirifice conuenit, ordini applicuerimus atque adiunxerimus; uerum Dorico insuper operi in portae cuiusdam constitutione illud idem permiscuerimus: cum Ionico ordine Rusticum genus quoque consociare nunc libet. Nec tamen Ionicis aedificijs quibusque rusticitate hanc aptandam siue adhibendam censemus, uerum delectam quendam hac in re habendum magis existimamus. Si enim ruri, uerbicausa, aedes aliqua nobis conficienda proponitur; uel urbanum aedificium uitae austeritate insigni alicui uiro, qui uel literarum studia proficitur, uel mercaturae questum exercet, extruendum aggrediemur: duorum huiusmodi ordinum, Ionici uidelicet Rusticique; permixtio nequaquam auersanda respuenda ue, quinimo concedenda admittendaque; potius tunc esse uidebitur. Verum ubicumque subiectae portae huiusmodi speciei Architecto excitare libuerit, si ordinem alterum in Podij seu Meniani formam redactum compositumque; superaddendum existimauerit, extra muri ipsius solidum tantum utique; erit ei procedendum, ut Meniani planities, quemadmodum ex subiecta perspicitur Ichnographia, in murali crassitudine contineatur. Propositi autem operis symmetria talis existet, ut iucis ingressus ad imam usque; arcus circunductionem, in duorum quadratorum altitudinem efferatur: Parastatae, quae in ambobus columnarum lateribus statuuntur, octaua est luminis totius latitudine sibi portionem acquirent: Columnarumque; deinde latitudines quarta, earumque; altitudines, basibus capitulisque; simul adiectis, nouem luminosi hiatus partes explebunt: Hemicycli ipsius ambitus seu circunductio in partes tredecim & quartam insuper diuidatur; Medianoque; cuneo parte una & quartam illam amplius occupante, partes duodecim reliquae senis senisque; cuneis utrinque; interiectis summa nimirum aequalitate distribuatur. Epistylium, zophorus, coronisque; ad quintam columnaris altitudinis partem conscendant: quo quidem intervallo in partes undenas distincto, quaternae epistylia, ternae zophoro, & coronici demum quaternae condonabuntur. Plutei Meniani, seu Podij ipsius altitudo, dimidia ostij latitudinem assequetur. At membrorum singulorum deinde comensus ex ordinis huiusmodi stylobate




Stylabate capientur. Propria auiem basium, capitulorum, epistylij, zophori, coronicisq; membra, quemadmodum ab initio traditum fuit, expedientur. Cuneorum deniq; tum eorum, qui ad centrum contendunt, tum aliorum, qui columnas circumambiunt, conficiendorum modus ratioq; ex sequenti satis, ni fallor, constat designatione.



Et si infra designati arcus, quemadmodum aliorum, quos hactenus recensuimus, plerique duplæ proportionis altitudinem nacti minimè uideantur: haud mendum tamen aliquod ibi adesse, quin consulto potius & cogitato ita à nobis factum fuisse existimato. Id enim nonnunquam occurrere posset, quòd in frontibus ædium distribuendis statæ forsitan alicui determinatæque altitudini necessariò esset acquiescondum: Nec non illud insuper adde quòd cum arcus, ut primarium ostium in medio resideat & collocetur, impari numero semper sint extruendi; ad tantam utique altitudinem propter impedimenti id genus educi minimè possent. Nisi tamen consimili quadam necessitate adducti astrictique fuerimus, duplicatam latitudinis altitudinem, in Ionicis apertionibus fornicibusque dirigendis, cuiuscunque alterius proportionis speciei semper utique præferemus. Intercurrens igitur pilarum duarum latitudo tres, earumque altitudo quinque partes explebit: Verùm latitudine postmodum in quinque partes distributa, pilarum frontes duas, columnarumque crassitudines partem unam tantummodo sortientur. Ad columnarum autem singularium latera parastatæ, quas pilastras uulgo appellat, dimidiarum columnarum crassitudinem assecutæ statuentur: parque item ratio arcuatæ circumductionis existet. At incumbæ arcum sustinentes fulciantesque, ad semicolumnarium eorundem modulorum altitudinem erigentur: eademque prorsus ratione, qua incumba in Theatro Marceli quinta abhinc designatione figurata, atque T litera inscripta, extruuntur. Columnæ, basibus capitulisque simul adiunctis, ad partium nouenarum altitudinem excitabuntur: earumque formandarum modus ratioque ex superiori præceptione capituli, huiusce exordio à nobis iam tradita deducetur. Mediani ostij intercapedo dimidiatam intercurrentem pilarum æquabit apertionem, & in id altitudinis insurget: ut antepagmentis sexta luminis parte definitis, & coronice ad incumbarum, quibus arcus ipsi innituntur, libellam extensa, simaque præterea superaddita, & zophoro, qui ab antepagmentis quarta parte imminuetur, demum adiecto; ibi altitudinis terminus finisque constituatur, quæ ad duorum propemodum quadratorum summam pertinet. Fastigiatam frontem deinceps, præceptiones in Dorico ordine iam traditas explicitasque repetentes perficiemus. Epistylum, zophorus, coronique in quartam altitudinis columnæ partem assurgant; &, quemadmodum in superioribus præceptum iam fuit, ad exitum perducantur. Superior ordo deinceps in secunda sede mox collocatus, primo iam exposito quarta parte humilior depressiorque constituetur: pariterque epistylum, zophorus, coronique; quinta totius altitudinis parte, quæ cum columnæ ipsius altitudine collata quadrantis rationem subibit, definientur. Verùm de membrorum singulorum exquisita accurataque distributione, de Composito ordine peragentes uberius in posterum disceremus. Curuatæ deinceps & in arcus formam sinuatæ circumductæque fenestræ, præexpositam ostij latitudinem adæquabunt: Nec dissimilis antepagmentorum, arcuarumque conuersionum ratio prorsus existet: At fenestrarum earundem apertiones, ut interiora cubicula lucis quamplurimum accipiant atque combibant, ad duorum quadratorum semisque altitudinem efferentur: Corinthiæ columnæ planæ nimirum existent, quæ, prout dictum iam fuit, ab inferioribus columnis quarta parte deficient: Scapharum, quæ columnis fenestrisque mediæ interiacent, latitudines unius dimidiæque columnæ crassitudinem expleant; earumque altitudines ad quatuor columnarum crassitudines educantur. Quòd si membra nonnulla superesse adhuc uidebuntur, ad propositi ordinis canones mox erit confugiendum: Quinetiam proprii Corinthiarum columnarum moduli atque commensus, in Corinthio ordine à nobis appositi explicitique statim comperientur. Ordini huic nuper exposito ambulatio, ut ab imbrum pluiiarumque stillicidijs ædificium tutum incolumeque reddatur, tesseris inter sese quamartissimè copulatis atque coniunctis instrata complanataque superstrui posset: Podiumque ad eam nimirum, cui commodè inniti ualeamus, altitudinem excitabitur. Nouissima autem hæc ambulationis podiumque superadditio tum ædificij ipsius fronti ornatus ac uenustatis non parum adijceret, tum habitantibus iucunda & percommoda utique foret.









At Architecto, quemadmodum suprà iam diximus, id nonnunquam occurrere posset, quòd etsi iustum columnarum numerum nactus forsitan crit, humiles tamen illæ depressæque adeò existent; ut, nisi qua ratione membra hæc ad ædificij propositi usum aptari accommodari ue queant, cognouerit, inutilia prorsus ei fore uidebuntur. Quapropter si maior porticus ipsius quàm columnarum erit altitudo, in media fronte arcus epistylis columnis desuper innitente suffultus statuatur, quod quidem epistylium incumbæ testudinatum conuersionem sustinentis ui & munere potiatur: quò autem arcus residebit, camera quædam extruetur: & propter testudinis ipsius robur ac munimentum, à singularum columnarum capitibus ferreæ zneæue sublcudes, prout de eadem re pertractantes in Dorico ordine iam admonui-

mus, perducentur. Frontis autem propositæ distributio ea utique existet, ut medianum intercolumnium columnarum unius sexies repetitam crassitudinem expleat; Columnarumque singulæ, basibus capitulisque simul adiunctis, partium octo altitudinibus terminentur: Epistyliû, necnon arcus pariter ad summæ columnarum crassitudinem excitabuntur: Arcui deinde coronæ superimposita, absque astragali regulæque adiectione, quarta parte epistylia altior constituetur; ipsaque coronæ minoribus pilis, quæ summas columnarum crassitudines adæquabunt, capituli cuiusdam usum atque opportunitatem præstabit: Lateralia intercolumnia, triplicata columnarum crassitudine constant: Ostij altitudo ita definitur, ut epistylium testudini fulciendæ suppositum coronicis uice locoque ostio eidem inseruiat; membris nonnullis tamen, quemadmodum ex ipsa habetur designatione, innouatis permutatisque: Sub coronicæ zophorus quarta parte epistylia ipso depressior collocetur; antepagmentisque ad altitudinis tantundem, quantum ab ipsidem ad ianuarum gradationem interest, excitatis, pars dimidia ianuarum ipsius latitudini deinde assignabitur; & sic ianuarum totius lumen ex duobus quadratis tandem constituetur: Fenestrarum apertiones ad ostij libellam dirigantur, earumque latitudines duplicatas columnarum crassitudines expleant, altitudines autem ex diagonica constant proportionem. Secundus ordo deinceps primo ordine nuper exposito quarta parte depressior conficiatur, pluteusque ad commodam altitudinem excitetur. Mox eo, quod superest, in quinque partes distributo, columnarum altitudinibus quaternæ ascribentur; quintaque demum epistylia, zophoro, coronicisque referuabitur: proprios tamen ordinis huiusce, quos supra iam præscripsimus, modulos in singulis membris adhibeto. Fenestrarum medianæ unâ cum antepagmentis utrinque assistentibus latitudo, portæ inferioris hiatum adæquabit; altitudoque latitudinis dupla perficietur. Quod autem ad superam partem exornandam illustrandamque spectat, præceptionem in hisce portarum generibus à nobis iam traditam & constitutam obseruato. Quæ uerò in lateribus utrinque extant fenestrarum, fenestris inferioribus pares latitudines habeant; earumque altitudines ad medianæ apertionis libramentum æqualitatemque dirigantur. Mediana deinceps, quæ in uertice statuitur, eductio à secunda, quam iam iam exposuimus, classe quarta parte imminuatur atque deficiat; membraque omnia pro rata portione minora humilioraque sensim reddentur. Lumina autem eodem ordine eademque prorsus ratione hic, sicut in prima classe cæterarum infima, disponentur: par etenim utrobique argumentum uersatur. Attamen an tertius hic atque nouissimus ordo cæteris superaddi debeat necne, id Architeceto integrum referuamus.









Cùm Ionicum opus è matronali figura originem suam deduxisse, mox libri huiusce exordio ostensum iam fuerit: si focus forsitan aliquis ex Ionica officina erit nobis depromendus, ut ordinis huiusce modus propriaq; natura seruetur, Ionicos ritus moresq; in eo construendo ad unguem certè imitabimur ac persequemur. Subsequens igitur designatio focum ea ratione exstructum proponit, ut conuenienti primùm spiramenti ipsius altitudine definita, à pavimento ad epistylum usque octo partes constituentur, exemplo uidelicet à Ionicis columnis accepto; unde muliebris portenti etiam, quod descriptum intueris, mixta quodammodo species, & à Ionicis institutis nequaquam aliena consurgit: quæ mutulorum uicem munusque satis aptè, ni fallor, expletura uidetur. Epistylum, zophorus, coronixq; ad altitudinis mutuli quartam partem efferantur; ea nempe distributione, quam à principio explicuimus, adhibita atque seruata. Etsi autem membra hæc altiora, quàm reuera sint, spectantibus uideantur: id tamen, prout aliàs dictum fuit, ab aspectu infernè sito collocatoq; proficiscitur; qui duas membrorum partes potissimum, frontem uidelicet, & quan-

dam proiecturæ ipsius portionem complectitur ac comprehendit . Abacum capitulis superpositum, qui epi stylio zophoroque obtenditur, antiquiores nonnullos, ut literarum conscriptionibus peragendis exarandisq; amplius forsitan spatium suggererent ( nisi novis quibusdam & inusitatis eos studuisse potius existimamus ) addere solitos esse conspiciamus . At nos Abaci huiusce constitutionem Architecto, prout ipsi libuerit, vel adiungendam vel prætermittendam certè relinquimus. Alterum ordinem deinceps, Delphinorum imaginibus scilicet distinctum atque insignitum, duabus rationibus ita extruxisse uidemur : tum ut os fumum excipiens latius apertiusq; reddatur : tum etiam ut pyramidata illa figura, quæ foci ipsius gulæ in altiorib. ædium contignationibus pæssim tribuitur ac assignatur, hac ratione euitetur . Huiusce generis autem cuncta uel maiora uel minora pro Architecti arbitratu conficiantur : quinimo ab eodem, si ita placuerit, nonnunquam etiam audacter prætermittentur.





Subiecti foci species angustiorib. atq; humiliorib. locis mirificè conuenit; infraq; hominis os faciemq; de primiti ac ut ignis, nobis præsertim assurgentib. uniuersi corporis partes absq; ullo aspectus, cui ualde infensus existimatur, detrimento incòmodo uel calefacere possit. Foci autem apertura perfectò absolutoq; concludetur quadrato: Antepagmenta, quas uulgus pilastratas appellat, apertura sextæ parte definientur: Cymatiù septimâ antepagmentorù partē obrinebit: Reliquo deinde in partes duodecim distributo, tres primæ, quatuor secundæ, & quinq; nouissimæ partes demû tertiæ postremæq; fasciæ concedentur: Quinetiâ, ornatus maioris gratia, astragalos, prout ex subiecta patet designatione, ad latera collocare licebit. Voltæ postmodum altitudinē ad triū fasciarù, absq; Cymatio tamen, æqualitatem educemus: Qua in tres partes rursus diuisa, una striato zophoro, echino altera eiusq; astragalo regulæque pariter assignabuntur; tertiâq; uolutæ ad Cymatij libramentù utrinq; dependenti deniq; tribuetur. At folia ex epistylio usq;, ad libramentù eius pendentia stauerunt. Coronæ cum ambobus cymatijs simæque pariter altitudo, ad secundæ tertiæque fasciæ unâ cum cymatio æqualitatem dirigatur: Coronæ proiectura deinde uniuersam, quam modò diximus, altitudinem expleat: Simæque præterea atque Cymationum proiecturæ, eorundem altitudinibus æquales existant. Et nos quidem huiusce formæ atque dispositionis spiracula in operibus nonnunquam adhibentes, ea & uenustam & magnificam admodum speciem præferre cognouimus. Verùm quia operis nuper exposita symmetria, propterea quòd immodicè quoquouersus expanditur ac dilatatur, latius forsitan patet; idcirco antepagmenta ad octauam apertionis tantummodo partem contrahere satius erit: eademque obseruata proportione, membra omnia gradatim diminuenda uidebuntur. Vnde mox opus uniuersum & partium cunctarum exactam retinebit symmetriam, & membrorum uenustiore[m] gracilitatem utique nanciscetur. Summam denique partem, quam ornatus cuiusdâ gratia à nobis superadditam cernis, Architectus, prout ipsi magis libuerit, formare atq; effingere poterit: totus nanque spiraculi propositi sinus intra parietis ipsius crassitudinem residet. Quinetiam & Ionicis ostijs, & Ionicis quoq; fenestris idè ornamenti genus haud parum certè conducet. At nos, Ionico ordine iam expedito, ad Corinthij declarationem modò accedemus.




DE CORINTHIO ORDINE, PROPRIISQUE EIVS  
ORNAMENTIS. Cap. VIII.

**ITRUVIUS** Corinthij operis explicationem aggrediens, de capitulis tantummodo Corinthio more formandis extruendisque quarto volumine capite primo uerba fecisse uideatur; quasi id significare uoluerit, quod si generis huiusce capitula Ionicis imponantur columnis, mox Corinthium opus totum euadet: etsi capite secundo mutulorum sub coronis originem deductionemque postea subiunxit; cæterorum membrorum tamen nullas præceptiones nullosue commensus ab hoc præstantissimo habemus authore. Verùm antiquiores Romani cùm Corinthij ordinis, ut aliorum quoque, studiosi imprimis extiterint, Corinthiarum columnarum bases & ornamentorum elegancia & membrorum multitudine insignes quammaximè conspicuasque reddiderunt: quarum ut firmas aliquas præceptiones afferre possimus, basis unius speciem ex Pantheo, quod Rotundam nostrates appellant, Romanorum ædificiorum quippe pulcherrimo formosissimoque depromptam acceptamque; nunc seligemus, cunctosque eius modulos quam diligentissimè persequemur.


Illud igitur tanquam Corinthiæ columnæ quammaximè proprium perpetuumque constituamus, ut scapi totius, basi capituloque superadditis, altitudo ad partes nouem primum excitetur, capitulo altitudinem imo columnæ ipsius scapo æqualem sortiente. At basis ad dimidiam columnæ eiusdem crassitudinem efferatur, eaque in partes quaternas distincta, Plintho, quem Soccum uocari frequenter audimus, una ascribetur. Duabusque partibus, quæ deinceps sequuntur, in quinque segmenta diuisis, superiori toro unum conceditur segmentum, & torus inferior quarta parte superiori amplior constituetur. At reliquo in duas æquas portiones distributo, inferiori scotiæ eiusque astragalo simul cum duabus regulis pars una assignabitur; astragalo quidem sextam scotiæ totius sibi portionem uendicante, & regulis singulis dimidium astragalum adæquantibus: regula autem supra torum inferiorem constituta ad duas astragali ipsius tertias educatur. Quæ uerò pars reliqua superest, ea ratione diuidatur; ut astragalus sextam quidem partem obtineat, regulaque ipsius dimidium astragalum consequatur: regula autem sub toro superiori collocata, altera sub toro inferiori residente quarta parte amplior existat. Basis proiectura, quæ *ἐκπόρῃ* Græcè nuncupatur, siquidem ea altero columnarum ordine superior fuerit, Ionicæ basis proiecturam ad unguem imitabitur: at si stereobatæ in ima planicie constituto innitetur, proiectura tunc non secus ac Doricæ ad dimidiæ basis æqualitatem statuetur. Verùm pro basium positionibus atque collocationibus sapientem Architectum opera quoque sua perpendere moderarique decet. Si etenim bases contemplantium oculis inferiores extiterint, commensus à nobis hæcenus assignati optimè nimirum conuenient: At si uisu obtutuque nostro superiores eadem constituentur, cuncta profectò eiusmodi membra, quæ propter longinquitatem à membris alijs propinquiorebus obscurabuntur atque præpedientur, modulos à nobis iam traditos excedere debebunt. Quò autem bases ad altiora loca traducentur, eò ex paucioribus membris, iisque formosioribus componendæ uidebuntur. Quo quidem nomine Architecti, qui Pantheum construxit, acumen atque solertiam quammaximè commendamus: in interiori namque æde planis columnis, quæ primo ordini superiores impendent, bases scotijs quidem duabus, at uno duntaxat astragalo duorum astragalorum, quos hic annotauimus, loco distinctas subiecit.

Regula, Limbum alij, alij Teniam appellant  
Torus Superior  
Regula  
Scotia superior  
Astragali  
Scotia inferior  
Regula  
Torus inferior






Capitulum Corinthium inueniendum Corinthiam olim uirginem occasionem præstitisse constat. Nec in eius origine recensenda laborare nos quicquam oportet: id enim à Vitruuio libro quarto capite primo abundè explicatum reperimus. Illud tamen in præsentia prætermittendum minimè existimamus, quòd si sacra ædes aliqua ex Corinthijs profuxerit institutis, illa Mariæ nimirum Iesu Christi Redemptoris Seruatorisque nostri genitrici quam accommodatissimè consecrabitur ac sancietur: quæ tum antequam pareret, tum pariendi temporibus iam exactis, uirginitatem suam integram perpetuò incorruptamque seruauit. Quinetiam uiris illis ac fœminis sanctioribus, quibus uirginalis uita, dum in humanis agerent, cordi quammaximè fuit, sacra huiuscemodi ædes quamaptissimè deuouebuntur: Nec cœnobita septaue illa, quibus Vestales uirgines diuinis mysterijs & sacris addictæ includuntur, dissimili ratione componenda uidentur. At si publicas dein de priuatasue domos, sepulchraliaque item monumenta uiris syncerum innoxiumque uiuendi genus sectantibus exædificauerimus, ut capituli Corinthij symmetriam & conuenientiam retineamus, hæc utique adhibebimus ornamenta. Capituli quidem altitudo imam columnæ crassitudinem adæquabit, parsque uniuersæ altitudinis huiuscæ septima Abaco tribuetur. Eo, quod superest, deinde in tres partes distincto; pars una imis folijs, folijsque medijs altera, & cauliculis demum uolutisue, quocunque membrum id nomine appellare malueris, tertia ascribetur. At uolutas inter medianaque folia spatium quoddam ad minora summaque folia scalpenda intercurret, unde mox cauliculi exorientur. Verumenimvero capitulo B simplicem nudamque suam conformationem iam assecuto, cuius pars ima summam columnæ crassitudinem adæquabit: corrigia seu cingulum uolutæ mox statuatur, cuius altitudo dimidio Abaco æqualis existet: Abacoque deinceps in tres partes distributo, Cymatio & eius regulæ simul una, Abaci autem ipsius corpori reliquæ duæ applicabuntur: Mox sub quaternis abaci eiusdem extremitatibus maiores uolutæ circinentur, in eoque medio flos tantæ magnitudinis statuatur, ad quantam abacus altitudinem pertingit: Sub flore minores uolutæ deinde apponentur: At infra tum maiores tum etiam minores helices mediana folia scalpentur, è quibus minora summaque folia pullulant atque consurgunt, & ex his demum cauliculi exorientur. Mediana folia octo numero constituentur, totque ima folia etiam existent: quæ quidem, prout ex figura C perspicere licet, inter sese complicabuntur ac disponentur. Diagonales abaci ab angulo ad oppositum angulum latitudo, imæ columnæ duplicatum diametrum adæquabit. Eius namque peripheria intra quadratum composita, & extra quadratum deinde alio maiori circulo descripto, qui quaternos tetragoni angulos circunquaque contingat; postmodum, extra circuli maioris peripheriam quadrato alio adhuc designato: singulas diagonales lineas quadratum hoc nouissimum secantes ac diuidentes columnæ ipsius crassitudini bis repetite, quemadmodum ex Vitruuiana habetur oratione, æquales fore mox certè constabit. Ex B C autem linea triangulum æquilaterum procreabitur atque consurgat, & in angulo X Abaci quidem sinuandi excauandique signum constituatur. Spatium uerò, quod medium inter maiorem ac minorem circulum intercedit, in partes quaternas dissoluetur: quarum una supra A remanente, tres reliquæ simul ab ea ita abscedentur, ut stabili circini pede signo X innitente, & pede mobili à B ad C circumactò; quòd curua linea duo trianguli latera interfecabit, ibi capituli ipsius cornua proprios terminos nanciscentur. Rei huiuscæ exemplum ex figura D satis superque perspicitur. Et hac utique ratione Abacus ad Plinthi basis ipsius perpendicularum statuatur: adeò ut tot linea sum nulla quidem temerè aut inconsultò perducta, quinimo cunctæ Geometrico artificio, probabilique ratione à nobis in præsentia excogitatae adhibitæque fuisse uideantur.



D. Imæ  
Columnæ  
Diameter  
seu Cras-  
situs.


G. Flos.  
Cymatium.  
Abacus.  
Caulis seu Cau-  
liculus.  
Folia Minora  
& Summa.  
Folia Media.  
Folia Ima.

C. Summa Co-  
lumnæ Cras-  
situs.



Corinthij quidem epistylj, zophori, & coronicis Vitruuius, quemadmodum capitis huiusce exordio iam admonuimus, nullos omnino modulos nullos ue comensus tradidisse reperitur; etsi mutulorum originem atq; deriuationem attingat: qui quibusq; tamen coronicum generibus, quemadmodum antiquitatum constat obseruatione, consociari adiungiue possunt. Verum ne modestiæ fines transire, ne ue à Vitruuianis conscriptionibus longius secedere uideamur; Corinthio capitulo Ionica superinducemus ornamenta, astragalos epistyljo adijcetes, Echinumq; ipsi coronæ supponentes; à Romanis nonnullis & modestioribus Architectis exemplo nimirum accepto. Epistyljo igitur, quemadmodum in Ionico ordine traditum fuit, quamprimum perfecto & absoluto, medianæ fasciæ astragalum octaua fasciæ eiusdem portione definitum subiiciemus; itemq; fasciæ superiori astragalum alterum ad octauæ partis fasciæ illius æqualitatem substituemus: astragalus quidem utrisq;, prout ex apposita liquet designatione, sculptis elaboratisq;. Mox zophoro cum eius cymatio, denticuloq; cum cymatio pariter extructo, ouiculatus Echinus altitudine primæ fasciæ pari omnino superaddetur: qui quidem Echinus, tum proiectura tum sculptura quoq; opitulante, speciem mediana fasciæ ampliorem certè exhibebit. Echino demum corona & sima unà cum cymatio, quemadmodum in Ionico ordine traditum fuit, superiores constituentur.

At Romæ alij deinde paulò licentiores Architecti haud Echinum denticulo superiorem tantummodo posuisse, uerum mutulos præterea denticulosq; in eadè coronicè consociasse atq; permiscuisse comperiuntur: quod à Vitruuius quarto uolumine capite secundo quammaximè certè reprehenditur ac improbatur. Denticuli namque trigillorum quorundam, quos asseres Vitruuius appellat, capita referunt: mutuli uerò tignorū aliorum capita (Canterij) ab eodem hi nuncupantur auctore) imitantur. Quapropter cum asseres canterijq; unà coniungi copulariq; nequeant, nec mutulos denticulosq; pariter in eadem coronicè ferendos admitteudos ne esse existimamus; etsi antiquitatum monumenta tum Romæ tum alijs Italiæ locis nobis aduersari passim conspiciuntur. Verum si in proposito ordine modum seruare, intraq; modestiæ fines nos continere uoluerimus, à communioribus hisce præceptionibus nunquam utique discedemus. Columnæ ipsius, basi capituloque superadditis, altitudo in quatuor partes primùm diuidetur; earumque una epistyljo, zophoro, coronicæque simul assignabitur: hæc q; trium commemoratorum altitudo tum egregiè quidem responsura, tum






cum Dorico opere, in quo membra eadem ad columnæ quadrantalem altitudinem efferuntur, mirificè consensura uidetur. Quadrans hoc igitur in partes denas postmodum seiungatur: Tres epistyljo ratione superius à nobis tradita formato atq; distincto concedentur, tresq; item zophoro condonabuntur, at quatuor reliquæ demum in coronicis ipsius confectionem hoc pacto instrumentur. Quaternis partibus hisce in nouem segmenta distributis, pars una Cymatio supra zophorum collocato continget: Echino & eius regulæ simul partes binæ, binæque partes item mutulis eorumque Cymatio ascribentur: Coronæ postmodum partes duæ, duæque reliquæ partes simæ, cymatio eius adiuncto, nouissimè tribuentur; quod quidem cymatium ad quadrantis simæ ipsius æqualitatem constituetur. In membrorum autem proiecturis definiendis terminandisque, ad superiores præceptiones confugito. Verum id te admonitum uolumus, quod terna hæc membra simul, epistyliam uidelicet, zophorum, & coronicem ad quintam columnaris altitudinis partem educere tibi fas erit: quemadmodum Vitruuius libro quarto capite septimo de Theatro sermonem instituens, nobis testatum reliquit.





Corinthiæ columnæ haud aliter,quàm de cæteris columnarum speciebus habitum fuit, prout uidelicet earum altitudines exigunt, imminuendæ contrahendæque uidentur: At si infra pedes sexdecim earum continebitur altitudo, sexta utique parte diminuentur; præceptione illa nimirum, quæ Tuscani ordinis initio à nobis tradita fuit, adhibita atque seruata. Quòd si Corinthia columna canaliculis quibusdam medijs distincta striataque extiterit, columnam Ionicam sibi æmulandam imitandamque proponet; eo tantum discrimine intercedente, quòd pars tertia ad inferiora decurrens strias pleniores atque compactiores habebit: quemadmodum ex altera ad latus appositarum designationum hic satis superque perspicitur. Epistylum, zophorus, coronique absque mutulorum comitatu, commensuum ratione ita inter sese distinguuntur; quòd epistylum dimidiam columnæ crassitudinem explet; zophorus, propter sculpturarum adiectiones, quarta parte epistylis altior constituitur; coronique demum, zophori cymatio secluso, epistylum altitudine æquat. Trium autem horum membrorum, si simul accepta fuerit, altitudo columnæ totius altitudine quinta parte minor esse perspicitur. Attamen si corona uehementius præcurrerit, tum intuentibus maioris certè, quàm

re ipsa fuerit, altitudinis speciem exhibebit, tum reliquo ædificio leuior utique superincumbet. Quapropter quæcunque ex usu magis esse uidebuntur, ab Architecto audacter mox eligentur; dummodo nec à Vitruuianis constitutionibus, nec à probatis antiquorum operibus, quæ ad authoris eiusdem placita tanquam ad certissimam regulam diriguntur, longius ille secedat.

Quòd si forte fortuna ad Corinthiam columnam sustinendam stylobata generis eiusdem efflagitabitur, nisi aliud quidpiam fortè nos impederit, talem adhibebimus proportionem; ut stylobatæ propositi latitudo plinthis, qui basi substernitur, fines minimè excedat: qua quidem latitudine tripartita, partibusque duabus ei superadditis, ad tantam nimirum altitudinem stylobatæ solius area, demptis eius appendicibus, educetur. Appendices autem hosce modulos assequentur, ut puri simplicisque stylobatæ altitudine in partes septem diuisa, pars una basi deinde, coronique altera tribuatur: quapropter altitudo ad partes nouem tota conscendet. Et hac ratione inter stylobatam columnamque perbella certè proportio ac symmetria intercedet, siquidem ipsa quoque columna ex partibus nouem constituitur atque coagmentatur. Verùm quod ad propria tum basis tum coronicis stylobatæ membra spectat, complurium antiquitatum exempla mox designabimus & apponemus, quæ perspicaci Architecto usui quamplurimum fore uidebuntur. At tertio antiquitatum libro hæc uberius à nobis explicata fuisse constat: ibi nanque complurium diuersorumque stylobatarum imagines ex antiquioribus exemplaribus deductæ, iustissimaque ratione commensæ profectò reperiuntur.




Ex Corinthijs antiquitatibus, quæ in Italia passim conspiciuntur, duo in primis ædificia, Pantheum uidelicet Romæ, & triumphalem Anconitani portus fornicem, tum elegantix tum artificij ratione quammaximè commendanda censemus. Nosque arcus huiusce capitulum A litera infra notatum ad ueri similitudinem penitus expressimus, & ex amplioribus ad minores modulos, summa adhibita diligentia, huc certè traduximus; cuius quidem altitudo et si Vitruuianis dogmatibus aduersatur, egregiè tamen respondet, optimamque retinet symmetriam: Nisi Vitruuianum codicem hoc loco deprauatè corrupteque potius legi uelimus, eamque authoris mentem fuisse dicamus; ut ille Corinthium capitulum, sine Abaco, ad altitudinem columnæ ipsius crassitudini æqualem educendum esse intellexerit. Nec enim præsens capitulum hac ratione extructum tantummodo reperimus: uerùm cætera capitula insuper complura, quorum omnium, demptis Abacis, altitudines columnarum crassitudinibus æquales statuuntur, nos passim conspexisse meminimus. Arcus huiusce columnæ hac nimirum, qua intueris, ratione striatæ apparent, & extra solidum paulò plus quàm mediæ procurrunt. Stylobata, basisque ei superstant inter fornicis eiusdem membra reponuntur, amborumque structuræ exactas propriasque retinent symmetrias. Coronices, quæ deinde sequuntur, in foro Romæ transitorio inuentæ olim fuerunt. Coronicem A, si Corinthiæ coronicis mutulis destitutæ genus & conditionem perpendas, modestiorem esse fateberis. Coronix B, cum duo naturæ eiusdem eiusdemque proprietatis membra sortiatur, licentior aliquantulum esse uidetur. At coronix C, tum propter geminata duplicataque membra, quorum infra coronam aspectus inuenustior existimatur, tum quia tam amplæ coronicis corona modicam admodum obtinet proiecturam; in maximam utique libertatem, & immensam propemodum licentiam præcepss effunditur. Stylobatæ basim D signo notatam, elegantissi-






nam quidem esse reor, Quinetiam stereobata E, quod Bassamentum vulgus appellat, etsi secundum edifi-  
cij alicuius longitudinem perpetuus extendebatur; attamen basis quoque stylobatam fulcientis usum haud  
ineptè forsitan præstitisset, Membra autem hæc omnia Corinthijs operibus eleganter quidem adiungi ac-  
commodari que possunt: Quinetiam in Ionicis ædificijs membra consimilia apposita quandoque conspexi-  
mus. Epistylum V, Veronæ in triumphali fornice extat, in quo fasciarum dispositiones à Vitruuiana ex-  
plicatione perquam diuersè comperiuntur: Nosque, ut differentiam ostenderemus, tale epistylum con-  
sultò hic apposuimus. Quoniam autem designationes nostræ proprijs exemplaribus ad amussim respon-  
dent, & ex maioribus formis ad typos hosce minores summa cura animaduersioneque traductæ à nobis fæ-  
runt: nihil est quòd in antiquitatum propositarum modulis recensendis laboris aut temporis quicquam  
nunc infumamus.




De Corinthiorum ostiorum dispositionibus Vitruvius ne uerbum quidem ullum attigit; idcirco ad eas, quæ incolumes adhuc extant, antiquitates necessariò confugiemus. Subscripta ianua S & Y, Tyburi ad Anienem templo rotundiori Corinthij operis apposita iacet: parsque eius superior decima octava parte gracilescit atque contrahitur, altitudoque duorum quadratorum summam excedit. Reliqua membra deinceps proprijs quamsimillima existunt. Fenestra T & X literis distincta, templo eidem adiungitur, & non secus ac porta in superiori parte contracta conspicitur. Antepagmenta, membraque cætera fenestræ perbellè quidem congruunt atque consentiunt: membrorumque cunctorum modulos, circino in manibus sumpto, si paulò diligentiores fuerimus, quamprimùm utique expediemus.






Subsequens ostium P & Z literis notatum, pro Pantheo, quod Rotundam nostrates appellant, Romę è Corinthio opere constitutum apparet: quod in palmos maiores xx latitudinis patet, & ad palmorum xl altitudinem effertur. Antepagmentorum autem interiores extremitates, quę telaria uulgò nuncupantur, ex uno perpetuoque lapide constare dicuntur: nec nos, quanuis diligentissimè speculati, iuncturas commissuras'ue ullas profectò ibi conspeximus. Ostij huiusce antepagmenta è luminis totius latitudine octauam sibi partem acquirunt: quod inde potissimum contingit, quia antepagmentorum ipsorum latera crassiora utique existunt; nec frons, absq; partis lateralis etiam comprehensione, à nobis cerni aut conspici potest: quę quidem lateris perceptio crassiorem, quàm reuera sit, frontis speciem contemplantibus exhibet. Præsens autem ostium cum ad insignem altitudinem efferatur, idcirco ad perpendicularum dirigitur; nec in superioribus partibus, quemadmodum ostia cætera à nobis hætenus exposita, ullam recipit contracturam. Reliqua membra deinceps cum ostij ipsius structura atque dispositione quamoptimè certè cohærent, in eisq; ad minorem hanc formam transferendis maximam nimirum adhibuimus diligentiam. Basis supra ostium co-

locata, planarum columnarum primo ordini in Pætheo superincumbentium bases, quas de basi Corinthia pertractantes ordinis huiusce initio in mediū adduximus, refert ac representat.





Subscriptum ostium Palestinae, quae Palestina corrupto uocabulo iam nuncupatur, existit; Corinthioque opere constat, parsque interuacua ad bina pertingit quadrata. Antepagmenta sextam latitudinis partem obtinent, quae quidem ratione superius iam assignata distribuentur: zophorus antepagmentis quarta parte amplior constituetur: Corona, membraque caetera ad antepagmentorum aequalitatem dirigantur; eaque praesentem, quam cernis, distributionem nacta fuerunt: Mensulae, prout uides, ad inferiora dependent: Fastigium denique rationem à nobis in Dorico ordine pagina 262, dum de porta grauioris aspectus extruenda sermonem habuimus, iam traditam persequetur.







Præsentis ostij species etsi à cunctis antiquorum, quotquot conspeximus, ostiorum generibus differt; aspectui tamen & iucunda, & magnificum quid præferre uidetur: & Spoletio quatuor stadijs propemodum, si iter aliquantulum deflexeris, abest; uetustæque ædi Corinthio opere elaboratæ adiuncta conspicitur. Symmetrijs autem proprijsque commensibus recensendis, cum hæc omnia studiosus quilibet, circino adiuuante, per sese consequi possit, haud immorandum profectò arbitramur.



Cùm Corinthio opere mirificè omnes homines delectentur, etsi ex membris id constat compluribus, ne studiosorum utilitati defuisse tamen iudicemur, tum communiores præceptiones nonnullas modò afferemus, tum uaria Corinthiorum ædificiorum genera deformabimus ac proponemus. At quoniam antiquiores Architecti operum suorum firmitati & immortalitati pariter consulentes pilas, quibus arcuum deluper iacumbentium moles ac pondus committitur, crassiores effecisse reperiuntur; ideo nos præsentem excogitauimus designationem: quæ usum pro Architecti acumine solertiaque multiplicem præstans, pilarum frontes tantæ latitudinis obtinet, quanta arcuum ipsorum existit apertio, at earum crassitudo apertionis quadrantem tantummodo assequitur: Columnarum crassitudines è pilarum frontibus sextam sibi partem acquirunt: Scaphæ seu Conchæ, quæ binis columnis mediæ intercurrunt, duarum columnarum crassitudines explent; eademque ad paulò maiorem quàm duorum quadratorum altitudinem educuntur: Stylobatæ ad triplicatas columnarum crassitudines effertur: Arcus deinde ad duorum quadratorum erigitur altitudinem: Columnæ, basibus capitulisque simul adiunctis, ad partes nouem sublimes excitantur: Arcuum antepagmenta dimidijs columnis paria æqualiaque constituuntur: necnon & arcuatæ circumductioni tantundem, & incumbis quoque arcum ipsum sustinentibus eadem prorsus assignabitur altitudo. Incumbæque ad eius nimirum, quam de Ionico ordine superius pertractantes Theatro Marcelli adesse iam diximus, similitudinem extruentur: eademque, ostio coronicis usum speciemque exhibebunt. Ostij autem altitudo ita expedienda uidetur, ut sub prædicta coronice epistylum pari altitudine statuatur; infraque epistylum binæ partes ad gradationes usque sumantur, quarum altera epistylj ipsius latitudinem terminabit. Quapropter coronix ostio superincumbens fenestrarum, quæ à lateribus astant, coronicibus, summaque stylobatarum cymatia imis fenestrarum earundem planiciebus ad libellam quamoptimè respondebunt. Fenestrarum autem apertiones diagonæ constabunt proportionem, earumque antepagmenta sexta luminis parte definientur. In stylobatis, basibus, capitulisque, & minutioribus huiuscemodi membris expediendis, præceptiones ordinis huiusce initio à nobis iam traditas persequemur. Epistylum denique, zophorus, coronixque, accommodata earum, prout à principio tradidimus, distributione confecta, superis columnarum partibus adiungentur. Subsequentis ordinis altitudo primo, quem hætenus exposuimus, ordine quarta parte minor constituetur: membris singulis, quemadmodum ex ipsamet designatione cuius perspicere, propriosque modulus, circino adhibito, explorare insuper licet, pro rata item decrescentibus portione. Mediana demum educitio, quæ cùm humilior existat, integri ordinis nequaquam appellationem meretur, altitudinem arcuum inferiorum apertionibus æqualem obtinet: eiusque coronix, quæ epistylj insuper zophori que munere fungitur, quinta totius altitudinis parte circumscribetur: propriique moduli è capitulo Dorico à nobis deducuntur. Quinimo ornatus ac uenustatis maioris gratia fastigium, quod frontis aspectum seu Frontispicium nostrates appellant, superaddetur: cui si mediam sedem tribuimus, triangula deinde fastigia, quæ in lateribus scaphis supereminent, uitiosa mehercle improbandaque uidebuntur. Quapropter eorum loco circulata potius, quæ Remenata uulgo nuncupantur, fastigia erunt substituenda: ita uanque magis uarium, aspectuique iucundius ædificium profectò reddetur.









Si quando Architectus ad sacram ædem aliquam construendam accedet, id pro comperto inprimis ut habeat uelim, quò templi solum ac pauimentum in sublime è terra magis excitabitur, ædificium ed maiorem dignitatem & amplitudinem utique retenturum: quod probatis antiquorum operibus confirmari dilucidè potest, etsi aliæ quippe templorum formæ atque dispositiones nostris quamdisimillimæ apud ueteres extiterunt. Illi nanque corpus unum tantummodo, idque perpetuum fabricari consueuerunt. At nos, qui Christi fidem & pietatem sectamur, templorum nostrorum pleraque in tres partes, medianam uidelicet, binasque lateribus insistentes distinguere distribuereque solemus; sacellaque intra latera resident nonnunquam, aliàs autem extra latera ipsa protruduntur, quemadmodum ex sequenti perspicitur Ichnographia.

Frontis hic designatæ latitudo in partes xxxij extenditur, quarum una columnarum singularum crassitudinibus assignabitur, intercolumnijs autem medianis partes septenæ contingent: Laxioribus intercolumnijs, quæ in lateribus statuatur, partes quaternæ dimidiaque insuper ascribentur: Intercolumnia angustiora, quibus scaphæ mediæ intercurrunt, binas partes demum explebunt. Et hac utique ratione partes xxxij perbellè, ni tallor, consumptæ fuisse uidebuntur. Antepagmenta, quæ arcum sublimem extollunt, dimidias columnarum crassitudines æquant: Ostij apertura partes tres ac semis in latitudinem extenditur, septenasque partes in a latitudinem peruagatur: Incumbarum, quibus proximè arcus innititur, altitudo antepagmentorum latitudini æqualis esto; incumbæque hæ nimirum haud ianux tantummodo uerùm fenestris quoque coronicis uice locoque inseruiunt: Stylobatæ ad partium trium altitudinem efferentur: Columnæ, basibus capitulisque unà acceptis, ad partium nouem ac semis altitudinem erigentur: Epistylum, Zophorus, coronixque è columnarum ipsarum altitudinibus sibi quadrantem assument: Itemque ad membra reliqua sigillatim expedienda superiore præceptionem adhibeto. Quod autem ad fenestrarum, scapharum, cæterorumque ornamentorum dispositiones spectat modulosque, ex præsentis designatione cuncta tibi clara apertaque reddentur. Ordo proximè huic succedens, primo ordine iam exposito quarta parte humilior depressoque constituetur: membraque singula pro rata parte item diminuentur. At epistylj deinde, zophori, coronicisque æqua ac tripartita diuisione confecta; epistyljo una, zophoro mutulisque simul altera, & coronæ demum ac simæ reliqua tribuetur. Fastigium, prout in Dorico ordine ex Vitruuij sententia docuimus, à nobis postremo loco tandem superaddetur. Alæ ornatus ac munimenti gratia utrinque assistentes circuli quadrantem tantummodo complectuntur, earumque centra in A & B signis resident ac collocantur. Singulisque arcibus, qui sacella inter sese dirimunt atque distinguunt, singulæ huiusce generis alæ, quasi ualidum quoddam medianæ partis fulcimentum, superaddi commodè possent: per quas imbres à culmine ad inferiora sensim delaberentur atque descenderent.









Sequens opus ea nempe ratione distribuetur, ut uacuitas duabus pilis interiecta in tres partes diuidatur, earumque una pilarum latitudines metiatur, parsque dimidia pilarum earundem crassitudines æquet: Columnarum crassitudines dimidias pilarum frontes absoluant; eademque, basibus capitulisque superadditis, ad partium decum ac semis altitudinem educantur: Parastatæque sublimem arcum extollentes, dimidias columnarum crassitudines expleant. Necnon incumbis, quibus arcus innititur, tantundem quoque tribuetur: quarum certi proprijque commensus è capitulo Dorico, membris tantummodo permutatis, deduci quamoptimè poterunt: Incumbarumque earundem ratio & ianux coronicis usum exhibebit, & fenestris tabernas inferiores despectantibus tanquam fulctura quædam inseruiet. Arcus, quoniam, ut aliàs ostendimus, partium symmetriæ atque connexiones eum humiliorem quandoque requirunt, in partium trium expanditur latitudinem, & in partium quinum altitudinem crescit: eademque proportionis species ostio quoque tribuetur: ostijque eiusdem antepagmenta sextam latitudinis partem occupabunt. Quòd si fortè Architectus arcus duplo altiores quàm latos effinxerit, ad duplam quoque proportionis rationem ostij apertionem moderabitur: at columnarum basib. ut ueterum exempla imitemur, quadrati plinthe tunc subiiciendi uidebuntur. Epistylj, zophori, coronicisq; altitudo, duarum columnarum crassitudines simul explebit: ternaq; hæc membra, uel ut supra iam præcepimus, uel ut nonnulla antiquorum exempla in retro habitis iam designata descriptaque proponunt, distribuentur. Quoniam autem secundi ordinis pa-

uimentum

uimentum ad coronicis primi ordinis libellam statuitur, adè ut ab imo arcu usque ad pauimentum superius satis spatij pro concamerationibus extruendis habeatur: idcirco nos loci commoditatem nacti ad columnarum singularum perpendicularia singulos fornices perduceremus, intermediaque spatia sphericis & orbiculatis conuersionibus utique extolleremus. Secundi ordinis altitudo à primo, quem hæcenus exposuimus, ordine quarta parte deficiet, eumque ita distribuendum esse iudicamus. Podium, quod Pluteum quoque nuncupare solemus, ad imarum columnarum duplicatas crassitudines excitetur. Quod reliqui spatij deinde ad superiora contendit, in partes quinque diuidatur: supremaque parte epistylio, zophoro, coronicique reddita, quatuor reliquæ deinceps columnis descendentes tribuentur: Parastatæque arcum sustinentes, itemque arcuum circunductiones dimidijs columnarum crassitudinibus æquales conficiuntur. Cæterorum membrorum conformationes ex supra iam traditis præceptionibus deducantur. Quòd si frons ædificij forum uel plateam aliquam despexerit, quemadmodum subiectæ hic significant innuuntque tabernæ; podium summæ coronicis nouissimo loco tunc superstructum, & ad commoditatem & ad ornatum quammaximè certè conducet. Quod quidem ut ab imbris atque pruinis tutum incolumque seruetur, lapideis latastris, quarum cohesiones albarijs operibus quàm firmissimis, quæ Stuccha uulgò nuncupantur, obfirmabuntur, solum insternemus: idque, ne aquarum defluuia impediuntur, decliue constituemus. Verùm si plumbeis laminis huiusce generis sola cooperta contactaque fuerint, operis robori atque securitati magis adhuc consuluisse uidebimur. Quauis autem peritiores Architecti à columnis pilis'ue supra inanes aliquas apertiones collocandis quammaximè caueant abstineantque, quinimo nec nos huic rei assentimur: cum tamen Romæ in Pompeiana porticu consimilem structuræ rationem, Dorico tamen opere constatam coagmentatamque, aspexerimus; tale exemplum alijs quoque, si quem eius imitandi fortè cupido ceperit, audacter hic proposuimus.








Quoniam Veneti in suis ædificijs Corinthijs operibus fenestrarum Menianorumque multitudine exhibentibus quammaximè delectantur, idcirco nos ædem luminibus ac Menianis refertam in præsentia tibi conspiciendam, iucundissime Lector, exhibemus: in qua ambulationes ambulationibus idcirco superpositimus ac superstruximus, tum quòd ad usum longè quàm Meniana aptiores illæ commodioresque censentur, tum quòd operi maiorem auctoritatem & gravitatem utiq; adiungunt: ad quorum enim interiora aspectus pertingens latius uagari expatiarique potest, contemplantibus gratiora iucundioraque ea proculdubio existunt.

Frons,

Frons, quam hic designatam intueris, ea nempe ratione distribuetur, ut tota latitudine in triginta partes distributa, singulis partibus columnarum singularum crassitudines absoluantur: Medianum intercolumnium quaternas columnas explebit, intercolumniaque minora ternis sigillatim columnis definientur; itaque partes triginta consumptæ exinanitæque uidebuntur. Columnæ, si bases capitulaque adiunxeris, in partes denas semique attollentur: Epistylum, zophorus, coronique è columnæ totius altitudine quintam sibi portionem assument. At membrorum conuenienti, prout supra habitum fuit, distributione confecta, fenestrarum lumina deinde in columnæ unius semisque latitudinem pateant; cunctæque ad perpendicularum dirigantur, eo tantum discrimine intercedente, quod inferiores fenestræ cum in tres partes dilatentur, in quatuor partes deinde excitabuntur: at superiores fenestellæ, quæ angustioribus cellulis separatim inseruiunt, ex diagonea constabunt proportione. Ostij mediani latitudo duarum, altitudoque quatuor columnarum crassitudines adæquabit: Epistylum, zophorus, coronique, prout superius dictum iam fuit, expediuntur: Ianuæque coronæ ad coronicum aliarum fenestris inferioribus desuper incumbentium libellam statuetur. Secundus ordo deinceps primo ordine iam declarato quarta parte humilior conficietur. Et Podio de prefioribus quibusdam latioribusque columellis, quas Balustrias uocant, ad altitudinem fenestrarum singularum latitudinibus æqualem educto, cætera postmodum altitudo in partes quinque diuidetur: quarum unam epistylion, zophoro, & coronice obtinentibus; columnarum scapis deinde, basibus capitulisque item adiunctis, quatuor reliquæ tribuentur. Fenestrarum singularum altitudines ad duo quadrata utique insurgent. Cætera demum ornamenta ad consimilium structurarum species iam declaratas dirigentur: Pariter quoque tum medianæ ambulationis ostium, tum fenestrarum apertiones ex primo ordine iam exposito deducentur. Subsequens ordo, cui tertia sedes ascribitur, ab ordine secundo nuper exposito quarta parte cæsciet, membraque singula pro rata diminuentur portione; fenestras tantum excipio, quarum altitudines ex duobus quadratis, & ex ampliori potius quam ex humiliori interuallo constituentur: Cum enim ardua iummaque loca ipsæ occupauerint, propter longinquitatem minores utique à suspicientibus iudicantur atque censentur. Mediana demum eductio in tectorum residens summitate, altitudinem tertio ordine iam declarato quadrante minorem obtineat, prout de medianis huiuscemodi eleuationibus, diminuendis aliàs quoque determinauimus. Epistylum, zophorus, coronique quartam sibi prædictæ altitudinis partem uendicabit: Fastigiumque, prout in Dorici templi explicatione descriptum fuit, nouissimo loco tandem imponetur. Quod si qui moduli deinceps reliqui fuerint, ut certam exactamque eorum assequaris cognitionem, ad superiores præceptiones mox reuerteris. Præsensque ædificij genus haud urbanis tantummodo ædificijs Veneto more disponendis collocandisque inseruiet, uerum ad rusticana quoque ædificia translatum summam profecto auctoritatem atque magnificentiam eis induceret ac afferret. Quod si ruri talis species contemplanda proponetur, id imprimis te admonitum uolumus; quo è terra in sublime magis illa excitabitur, eò ædificium conspiciendum & in aperto magis futurum, locaque subterranea salubriora insuper fore. Sequentis autem Orthographiæ nullam Ichnographiam antea subiecimus: porticum nanque seu ambulationum prospectus cuncta dilucidè admodum, ni fallor, nobis aperit ac patefacit.








Architecto illud nonnunquam, prout aliàs diximus, occurrere posset, quòd etsi complures afforent columnæ, tenues tamen & graciles adèò omnes existerent, ut si aptum aliquod commodumque pro domino- rum nutu ac uoluntate ædificium ei extruendum proponeretur; præsentibus columnæ, nisi Architecti indu- stria ac perspicacia suppleuerit, usui nequaquam ipsi utique forent. Frontis igitur hic designatæ coag- mentatio constitutioque ita distribuetur, ut arcus apertura altitudinem latitudinis duplam obtineat, pila- rumque ad arcus fulciendos appositæ frontes dimidiam apertura ipsius latitudinem sortiantur: Quo quidem spatio in partes tres semique diuiso, partium earum una columnarum singularum crassitudines me- tietur, mediumque duarum columnarum interuallum semicolumnæ crassitudinem adæquabit, nec non pa- rastatis antepagmentis que tantundem pariter assignabitur: Stylobatarum, absque plinthis tamen, quos Soccus uulgius appellat, altitudines pilarum frontibus æquales constituentur; eorumque membra, quemad- modum in Corinthij stylobatæ pertractatione habitum fuit, distribuentur. Columnæ, basibus capitulisque unà assumptis, partium undenum altitudinem petent: nec tamen cum binæ columnæ geminatæ, & in unum congregati

congregij propemodum uideantur, ibique ornatus potius quam oneris alicuius perferendi sustinendiq; gratia posita fuerint, altitudinis id genus reprehendendum aut improbandum censemus. Epistylum, zophorus, coronique ad quadrantalem columnarum altitudinem excitabuntur; ad columnarumque ipsarum perpendicularia membra cuncta resilientia constituentur, corona simaque tantum exceptis, quae absque ulla interpellatione perpetuae extendi continuarique debent: sic enim antiquorum praestantiores magisque probatos fecisse constat: Quinimo Bramantem, qui aedificatoriam artem tempestate nostra primus instaurauit atque restituit, consimile ueterum exemplum Romae in Vaticano, quod Beluedere Itali passim appellant, imitatum & persecutum uidemus. Ostij mediani latitudo quaternas columnarum crassitudines expleat, bisque tantundem in altitudinem excitetur: Antepagmenta zophorusque eam dispositionem atque collocationem assequantur, ut coronae, cui arcus innititur, & ianuae & fenestris item inseruiat; quarum quidem fenestrarum latitudo trium, & altitudo quinque columnarum crassitudines absoluet. Mox alter ordo a primo ordine iam exposito quarta parte decrescat. Vniuersaque eius altitudine in sex partes diuisa, podio, quod plutei nomine quoque significatur, pars una tribuetur: fenestrarum apertionibus quatuor deinde partes assignabuntur: epistylis, zophoro, coronaeque, congrua eorum, prout in Composito ordine postea dicitur, distributione confecta, pars nouissima demum continget. Fenestrarum latitudines fenestris inferioribus ad perpendicularum respondebunt, quae quidem bis tantum mox in altitudinem educentur. Ad fenestrarum autem scapharumque ornatum ac elegantiam quod reliquum esse uideatur, membrorum consimilium rationem in Ionicae portae constitutione a nobis superius iam traditam persequeris: indeque principijs &, ut ita dicam, rudimentis acceptis, sculpturisque praeterea summo artificio elaboratis atque perfectis, necnon ornamentorum copia & multitudine superaddita, Corinthium quamprimum opus reddetur. Scapharum siue Concharum latitudines, antepagmentaque simul, summis columnarum inferiorum partibus ad perpendicularum utique insistent: quo quidem intervallo in partes septem distincto, partes quinque scapharum apertionibus, antepagmentisque duae reliquae ascribentur. Altitudo autem, cum membra haec supernè collocata propter longinquitatem breuiora suspicientibus uideantur, latitudinis tripla constituetur. Acroteria demum, ornamentum cuiusdam gratia, coronae superposita superstructaque a nobis fuerunt: quamuis in eorum utilitas ipsorum deprehenditur, quod ignium spiraculis naribusque huiusmodi acroteria ex usu esse competentur.




Quaeque;






Quæcunq; ex ueteri instituto uulgataq; aliorum consuetudine deducuntur, quanuis emendatis symmetrijs atque proportionibus elaborata perfectaq; appareant, homines quidem ad seipsa laudanda probandaq; alliciunt, at in admirationem eos nequaquam pertrahunt raptissime. At quæ nouam formam insolitamq; speciem intuentibus exhibent, si exactam rationem laudabilemque symmetrias retinuerint, non solum plerisque hominibus probabuntur, uerum stuporem insuper admirationemq; in animos eorum inducent. Præsentis igitur structuræ species sacram tibi ædem proponens, ex solida primum rusticaq; prout ostensum iam fuit, constituitur substrucone; ad eam nimirum, quam loci situsque conditio efflagitabit, altitudinem peringente: nec minori tamen quam humani corporis duplicata altitudine, eam

finiendam terminandamque censemus. Ut autem propositam planiciem attingamus, ab A gradatione, quæ prima in vestibulo adituque statuitur, exordiemur; & ad B usque ascendentes, ibi planiciem, quæ latiori ambitu ambulationis cuiusdam more templi circumdat atque complectitur, podijs undique assurgentibus, offendemus; templumque ab hac planicie sublatum, trium graduum adiectione podij ipsius altitudinem exuperabit. Quod quidem ut assequamur, à C gradatione rursus incipientes ad planiciem D iterum conscendemus; quæ in podij formam redacta ad parem inferioris podij altitudinem excitabitur atque educetur: indeque ad templi ipsius stratum ac pavementum tres intercedent gradationes. Frontis autem latitudine in partes xxiiij distributa, partium illarum una singularum columnarum crassitudines metietur: Mediano intercolumnio partes quatuor assignabuntur: Inter columnijs utrinque assistentibus, quæ fenestrarum apertiones excipiunt, tres partes sigillatim ascribentur: At intercolumnia demum scaphis seu conchis suscipiendis designata, partem unam dimidiamque præterea explent: Itaque partes xxiiij distributæ consumptæque omnino uidebuntur. Stylobatæ in exteriori podio residentes columnis, quæ in fronte collocantur, fulciendis item inseruiunt: Stylobatæque prædicti, basium plinthis detractis, ad partium trium altitudinem erigentur: Columnæ, basibus capitulisque superadditis, partium denu ac semis altitudinem petent: Epistylum, zophorus, coronique, prout in primo ordine dictum fuit, quarta columnæ altitudinis parte definiuntur; membraque cuncta ad eandem distributionem utique redigentur: Ostij mediani latitudo ex tribus, altitudoque ex septem partibus ac semi, quasi ex duobus quadratis dimidioque insuper dixeris, constabunt; quod distantie nimirum atque longinquitatis ratione, quæ rei breuiorem, quam sit, speciem infernè eam contemplantibus exhibet, ita contingit: Fenestræ in partis unius dimidiæque latitudinem extendentur; at propter diminutionis, ut iam diximus, ex longinquitate prouenientis rationem, ad maiorem quam duorum quadratorum altitudinem efferentur: Scaphæ partis unius tantummodo latitudinem absoluentes, triplicem deinde propter rationem eandem altitudinem obtinebunt. Alter deinceps, cui fastigium superstruitur, ordo ad inferiorum stylobatarum altitudinem extolletur, coronique quæ tam altitudinis partem habebit: Indeque ad orbiculatam testudinem tantundem spatij intercedet, quæ tantò plus quam hemisphærium circumambiet & complectetur, quanta conicum ipsarum erit proiectura. Ad quater nos demum sacræ ædis angulos, ornatus ac uenustatis gratia, quaterni excitabuntur & erigentur Obelisci: quorum, si uertices detrahas, altitudines ex orienti fastigio ad libellam utique respondebunt; ipsique uertices ad summi fastigij libramentum constituentur. In fastigio autem perficiendo, quam in Dorici templi extruptione tradidimus, rationem modumque obseruato. Subterranea loca sub templi strato ac pavemento latitantia, sacrarijs quibusdam ad preces in Deum effundendas accommodatis, quæ Confessionalia uulgo nuncupantur, inseruiunt: cuiusmodi quidem sacraria sub primarijs aris per uniuersam Italiam in templis sita & collocata passim conspiciuntur.









Et si mos ille ueterum Romanorum, marmoreos uidelicet lapideosue fornices in triumphantium nono-  
rem & gratiam erigentium, obsoleuisse nunc penitus uideatur: attamen institutum id hodiernis quoque  
temporibus retinetur, ut si magnæ authoritatis atque exultationis uir aut animi gratia, aut ad imperij ac  
dignitatis insignia accipienda, urbem aliquam ingredi adireq; uelit; locis illustrioribus ciuitatis triump-  
hales arcus ex intestino opere picturarum uarietate conspicuo ei extruantur. Quapropter si Corinthij ordinis  
arcum aspectu elegantiori effingere uoluerimus, talem formam atque proportionem ei tribuemus. Aper-  
tura ex duobus quadratis & sexta parte amplius constituetur: Columnarum crassitudines ex apertionis to-  
tius latitudine quintam sibi partem uendicabunt: Stylobatarum altitudines, columnarum triplicatas crassi-  
tudines sigillatim explebunt: Columnæ ad partium denum ac semis altitudinem erigentur: Epistylum,  
E E 2 zoporus,

zophorus, coronixque quartam altitudinis columnæ partem absoluent. Ab inferiori autem arcus circumductiōne ad epistylum usque mensula, duabus columnarum crassitudinibus altitudine æqualis statuatur, cuius lineæ ad arcus ipsius centrum utique deducuntur. Quod ad membra singula demum, stylobatas uidelicet, bases, capitulaque, & epistylia insuper, zophorum, coronicemque spectat; præceptionem ordinis huiusce initio iam traditam expositamque obseruato. Arcus antepagmenta semicolumnaria existent: Intercolumnia utraque, quæ in lateribus resident & collocantur, columnæ unius dimidiæque crassitudinem explebunt: Scaphæ columnæ unius latitudine terminabuntur, altitudinemque latitudinis triplam habebunt; & hac nempe ratione stantibus simulachris commodas aptissimasque sedes præstabunt. Secundus ordo deinceps eam altitudinem assequetur, ut columna, absque stylobate tamen, in partes quatuor ad coronicis usque summitatem diuisa, pars una propositi ordinis altitudinem metiatur: Qua in partes quatuor rursus distributa, summæ coronici pars una ascribetur; cuius distributio è Dorico capitulo, membrorum tantummodo facta permutatione, deducetur. Bases è substante coronice pro columnæ inferioris crassitudine in altum atque in apertum constituentur: quicquid enim infra bases relinquitur, à columnarum proiecturis nimirum obtenditur ac præpeditur. Coronices, quemadmodum ex ipsamet apparet designatione, nonnihil resiliunt. Fastigium, præceptionum, quas in Dorico ordine attulimus, aliqua adhibita, formam propriam & conuenientem altitudinem pasciscetur. Arcus autem præsentis constitutio ab Anconitani fornicis specie haud omnino disidet atque dissentit. At nos, celeberrimi illius Architecti autoritate posthabita, ut symmetriæ facilius percipi queant, cunctos arcus propositi modulos ad certam & communiorem quandam præceptionem redigendos existimauimus.








De Corinthio quidem genere, quantum rei ædificatoriz usus ratioque postulauit, satis locuti fuisse uide-  
mur; etsi complura quippe ornamentorum genera explicanda adhuc superessent. Veruntamen cum flamm-  
marum anhelitus ac spiramenta, propter iugem assiduumque ipsorum usum, perquam necessaria in ædibus  
habeantur; haud alienum forsitan erit, si de eorum ornatu pauca quædam in præsentia subiungemus. In cu-  
buculis enim quanuis angustioribus ignem accendere nonnunquam solemus, ibique propter locorum an-  
gustias spiracula intra parietis crassitudinem tota conduntur, quod genus Itali Caminos Franciscanos pas-  
sim appellant: ijque Corinthijs operibus multipliciter nempe exornari illustrarique possent. At si consimili  
specie spiraculum aliquod extruere uoluerimus, talem utique formam atque dispositionem ei tribuemus.  
Apertura pro loci captu & conditione uel maior uel minor primùm constituetur. Antepagmenta sexta ina-  
nis latitudinis parte definiuntur: Quòd si octauam partem tantummodo expleuerint, gracilius & uenustius  
totum opus mehercule reideat. Antepagmentorum autem, prout de Corinthio epistylis supra habitum  
fuit, diuisio distributioque conficietur. Zophorus antepagmentis superior, ut sculpturis spatium idoneum  
relinquatur,

relinquatur, quarta parte antepagmentis ijsdem maior & amplior existet. Coronix uniuersa, eaque pars simul, quæ mensulis superior resilit, ad antepagmentorum æqualitatem dirigetur; tripartitoque, ad Corinthiæ coronicis superius à nobis traditæ exemplum, diuidetur, quanuis è loco inferiori eam suspicientibus altior aliquantulum uideatur. Mensularum frontes superiores antepagmentis æquales; at inferiores, quæ ad apertionis libellam statuuntur, antepagmentis ijsdem quarta parte minores perficientur. E' mensulis autem, quemadmodum ex ipsa constat designatione, bina folia proficiscuntur atq; dependent. Proiecturæ modum atque rationem Architecto, prout ille duxerit, integram reseruamus. Quæ autem coronici ornatus gratia superadduntur, & adiungi & omiti quoq; commodè possunt. Commentique huiusce ratio haud spiraculis tantummodo, uerùm ostijs insuper, alijsque consimilibus exornandis aptissima fore censebitur: Summumque fastigium si ad ostij alicuius ornatum adhibebitur, egregiè utique respondebit.






Quoniam cœnacula & spatiosiora cubicula spiracula quoque, ut eorum magnitudini amplitudiniq; consentiant, latiora efflagitant atque requirunt: idcirco si uehementioribus spiraculorum proiecturis idonei mutuli erunt substituendi, ambo latera illi nimirum explebunt occupabuntq;. Quapropter nos duas columnas, planam quidem alteram & parùm eminentibus expressioibus, alteram autem rotundiorẽ, ad ambo latera seorsum atque diuisim tunc apponendas erigendasq; censemus, ad eò ut inter columnam utranque media quædam uacuitas relinquatur: hacq; ratione commoditati & uenustati operis scitè admodum consuluisse uidebimur. Quoniam uerò, ut capitis huiusce exordio admonuimus, Corinthium genus è Corinthiæ puellæ forma effluxit atque emanauit: idcirco nos ad originem alludentes, pro rotundioribus columnis uirginum simulachra collocauimus atque posuimus. Foci autem tum altitudine tum latitudine definita, necnon utraque ad loci propositi magnitudinem accommodata, in partes nouem altitudo mox diuidetur: earumq; una ad uirginis faciem componendam effingendamq; traducta, reliquum corpus ita, prout uides, figurabitur, & fasciæ cuiusdam more inuoluetur. Planæ quinetiam columnæ symmetrias easdem, eandemq; proportionis rationem consequentur, proprijq; moduli ex superioribus præceptionibus deducuntur. Columnis epistylium, zophorus, coronixq; desuper inducantur: ternaq; membra hæc simul columnæ quadranti æqualia constituentur, apta inprimis conuenienti; eorum, ut supra habitum fuit, distributione confecta. Quæ à coronice demum ad superiora conscendunt, pro data loci ipsius altitudine præsentis ornatus specie conuestiri atque cohonestari quamoptimè poterunt. Quinimo inuenti eiusdem ratio, columnis parieti innitentibus, & ad ostium, horti alicuius præsertim, exornandum; & ad triumphantium fornices condecorandos; & ad cõplura alia, prout perspicaci uisum fuerit Architecto, illustranda illustrandaq; haud inepta forsitan esse comperietur.

Verùm nos Corinthio operi suprema manu imposita, ad Compositi modò explicatio nem descendemus.





CORINTHIO AVTEM ORDINE IAM EXPEDITO, AD COMPOSITVM  
DEINCEPS NOS CONFERAMVS.






**L** T S I Vitruuius Architectonicæ facultatis prima simplicioraq; elementa complexus, quadripartitam columnarum distributionem, in Doricam uidelicet, Ionicam, Corinthiam, atq; Tuscanam attulerit: nos tamen Romanarum, quas ipsi conspeximus, antiquitatum exemplo atque authoritate compulsi, quantum genus ex simplicium societate permixtio neque constans superioribus annexendum adiungendumque meritò existimamus. Quinimo artificis ingenium in eo quammaximè eminet atque refulget, ut usu quandoque id postulante, ex simplicioribus naturis mixtum quoddam corpus, quod ab incepti operis argumento nequaquam dissentiat, perbellè componat atque deducat. Quinetiam Architectus, ad quem operum complures formæ diuersæque rationes ut ad Delphicum quoddam oraculum iudicandæ deferuntur, in huiuscemodi permixtionibus Vitruuij auxilium opemque frustra nonnunquam implorabit: nec enim cuncta unus ille complecti seu perstringere ualuit. Quapropter Architectus alienis uiribus destitutus, totus ex semetipso tunc necessariò pendebit. Nullibi enim de Composito hoc genere, quod Latinum nonnulli, alijque Italicum uocant, Vitruuium sermonem habuisse reperimus. Ordinis autem huiusce Romani inuectores olim extitisse creduntur. Cùm enim ipsi Græcos, qui Doricam columnam à uirili forma acceptam, & Ionicam è matronali specie deductam, & Corinthiam è uirginali gracilitate desumptam primi excogitarunt, antecelere minimè posse uiderentur: Corinthio capitulo Ionicam uolutam & Echinum pariter inserentes, Ionicum & Corinthium genus hac ratione inter sese conciliarunt atque permiscuerunt; eaq; mixtura ad triumphantium fornices extruendos potissimum usi fuerunt. Nec temerè quidem id factum ab ijs existimes uelim. Cùm enim Romani Græcos, unde huiuscemodi opera profluxerunt, armis deuicissent ac prostrigassent, belli iure Græcorum inuenta quoque pro arbitrato commiscere & confundere potuerunt: quemadmodum in præclaro illo Amphitheatro, quod Colosseum appellant, perspicitur. Ternis nanque ordinibus, Dorico uidelicet, Ionico, Corinthioque gradatim instructis, unoque alteri superstante ac insidente; Compositum hoc opus (ita nanque omnes id nuncuparunt) summo atq; nouissimo loco cæteris tandem adiunxerunt, etsi capitula Corinthio more perfecta conspiciuntur. Verùm Architecti iudicium quis obsecrò non admiretur? Cùm enim Compositum hunc ordinem à contemplantium aspectu quamlongissimè distantem in summa Amphitheatri parte collocasset: si epistylum, zophorum, & coronicem, Ionico Corinthioque genere ad eorum conformationem in unum conredientibus, super columnas imposuisset; propter distantiam atque longinquitatem tenue ac imbecillum opus utique reddidisset. At cùm mutulos zophoro inluserit, tum operis amplitudini atque uarietati prospexit, tum coronæ proiectionis stabile quoddam fundamentum subiecit, tum denique id assecutus uidetur; ut propter mutulorum aptissimam in zophoro inscriptionem atque interpositionem epistylum, zophorus, coronæq; simul, coronicis unius tantummodo formam speciemque exhiberent: quod, membris singulis proportionibus ac symmetriis suas obtinentibus, ad operis dignitatem atque magnificentiam quammaximè certè conducit.


Compositæ, quam hic designatam intueris, columnæ, basi capituloque superadditis, altitudo ad partes de nas conscendit; subiectaque basis dimidiæ columnæ crassitudinem æquat, cuius quidem forma moduli que ex Corinthio genere accipientur: & basis consimilis speciem Romæ in Titi Vespasiani fornice conspiciere adhuc licet. Columnæ ipsius striges modò ad Ionicæ, modò ad Corinthiæ columnæ similitudinem pro Architecti libito perducentur. Ad capituli conformationem præceptiones in Corinthio ordine iam traditas adhibeto, eo tantùm discrimine intercedente, quòd hic uolutæ Corinthiis cauliculis ampliores aliquantulum perficientur. Capituli que forma consimilis in eodem Vespasiani fornice apparet, nosq; eius typum hic separatim expressimus. Epistylum, zophorus, coronæq; si ab aspectu procul abfuerint, ea instituentur ratione, ut epistylj altitudo superiorem columnæ crassitudinem expleat: & zophoro mutulos suscipienti tantundem quoq; altitudinis tribuatur. Mutulorū autem cymatium, sextam sibi altitudinis eorum uendicabit portionem: ipsorumque proiectione eorundem altitudini æqualis constituetur. Coronæ & Cymatij simul altitudo epistyljo æqualis existet: qua quidem bipartita, altera coronæ, cymatio reliqua tribuetur. Cymatij proiectione cum eiusdem altitudine omnino conueniet, idque tanquam communissimum quoddam præceptum tibi semper ante oculos obuersetur: quanuis in sequenti, quam C litera inscripsimus, designatione coronicis, quæ Romæ in præclaro extat Amphitheatro, membra modulosque ad unguem expressisse uideamur. Quoniam autem Composita columna cæteris columnarum speciebus gracilior existit, ne communissimam symmetriæ rationem unquam deseramus, stylobatam reliquis graciliorè quoq; ei supponemus: cuius altitudo (de area intermedia tantummodo loquimur) si cum latitudine conferatur, ex dupla nimirum constabit proportione. Altitudinemque postmodum in octo partes sciuncta, basi una, necnon tantundem uertici condonabitur. Membrorum autem singulorum commensus ex binis, quas separatim hic apposui-

mus, designationibus cuius innotescunt, quarum ex arcus in Titi Vespasiani gratiam extructi stylobatis de prompta deductaque exempla fuerunt. Quapropter cum tota columna ex denis partibus componatur, stylobata subiectus ex denis item partibus constans, columnæ modum atque rationem perbellè sequetur. Verùm et si stylobatæ cuncti ad perpendicularem normam ac regulam exiguntur; attamen Athenis, uetustissima nempe ciuitate, stylobatas nonnullos, quorum summæ partes contractæ aliquantulum imminutæq; apparent, adhuc cernere licet: quod quidem stylobatarum genus nequaquam improbandum utiq; existimamus.







Cùm Romani diuerſa olim permixtionum genera excogitauerint, ut Architectus graui iudicio & ingenij acumine præſtans, pro rerum ingruëtium multiplici uarietate, quod ſibi commodius duxerit, ſeligere queat; earum illuſtriores atq; elegantiores nonnullas in medium nunc proponemus. Capitulum T infra ſignatum, è tribus generibus, Dorico uidelicet, Ionico, atque Corinthio conſtituitur: Abacus nanque & Cymatium è Dorico, Echinus & Striæ è Ionico, Aſtragalus demum Foliaque è Corinthio genere deducuntur. Baſis etiam, ſi torum utrunque ſpectaueris, Dorica; ſin ambas ſcotias, & aſtragalum inſuper, necnon operum elegantiam ac uenueſtatem perpenderis, Corinthia eſſe uidetur. Et cuncta hæc Romæ trans Tyberim utiq; extant. Capitulum X & Baſis pariter duobus generibus, Dorico ſcilicet atque Corinthio conſtant: Capituli nanque abacus, & baſis item Doricum redolet opus; at baſis deinde, propter ſculpturarum ibi exiſtentium præſtantiam atq; ſubtilitatem, ad Corinthium genus accedit. Folia quoque capitulo inſculpta, Corinthium quid præſeferunt. At cum Abacus quadratam obtineat figuram, membra autem reliqua in quaternis angulis rotundentur & in gyrum ſeclantur: idcirco roſarum exiguar quædam ſimilitudines, prout ex ſubieclâ conſtat designatione, ſub Abaco inſculptæ ſtatuentur. Capitulum A, propter alatum equum uolue ſeu cauliculi uice inſculptum, Compoſitum appellari merito poteſt, & in Fori tranſitorij baſilica extat. Columnæ ipſius ſtriæ, à reliquis ſtriarum ſpecieb. perquam diuerſæ uidentur, quemadmodum ſub A exemplum earum ſubiecimur. Baſis X, è Compoſito ordine profluit, & Romæ adhuc ſeruatur atque conſpici- tur. Capitulum B, Corinthium genus ſimpliciter imitatur; & ad ternas columnas, pulcherrimum quippe ac formoſiſſimum opus, proxime Amphitheatrum, quod Coloſſeum uulguſ appellat, offenditur. Capitulum C ex Ionico Corinthioque compoſitum, Veronæ in triumphali quodam fornice reperitur. Capitulum D, ibidem in fornice eodem planis quibuſdam columnis impoſitum, & ſima ſculptura perfectum elaboratumq; extat. Baſis Y, aſtragali ſuperiori toro imminentis ratione, Compoſita exiſtit, & Romæ tanquam opus antiquum fanè aſſeruatur.




T




X



X







Præter triumphantium arcus pauca admodum alterius generis ædificia Composito opere distincta perfectaque cernuntur : quinetiam triumphales fornices plerique ex aliorum ædificiorum manubijs extructi fuerunt . Nos tamen cum communiora quædam ordinis huiusce præcepta tradiderimus, ijs contenti alias Compositarum extructionum formas atque rationes minimè persequemur : prudens nanque Architectus, formis superioribus, pro rerù occurrentiù diuersitate, ad Compositù opus translatis atq; traductis, sibi optimè nimirù prospiciet, resq; suas in tuto mox collocabit. Verùm quia in singulis ordinib. duo caminorum genera, alterù quidè intra, alterum autem extra parietis crassitudinem componere constituereq; decreuimus : idcirco in Composito ordine, quem exponendum recepimus, idem quoque præstare nunc enitemur ; ut quacunq; polliciti sumus, bona fide soluisse denique uideamur . Præsentis igitur foci structura, quæ tota intra parietis crassitudinem residet, si in angustiori aliquo cubiculo apponetur, ad hominis iugulum duntaxat humerosq; debet attolli ; ne astantium ora, luminaq; præsertim, ab ignis afflatu incommodi aut detrimenti quicquam patiantur : Latitudo autem, prout ipsi cubiculo magis expediet, à nobis determinabitur atq; constituetur.



constituetur. Altitudine deinceps ad epistylum usque in partes quatuor distributa, frontibus antepagmen-  
torum ita, prout uides, sculptis elaboratisque pars una assignabitur. At quoniam Compositum genus in ma-  
iorem, quàm cæterorum ullum, licentiam ac libertatem effunditur: idcirco antepagmenta à cæteris per-  
quàm diuersa, appetitu magis quàm ratione id nobis suadente, & quibuscunque uisum fuerit, libera eorum  
imitatione proposita, hic designauimus. Noui tamen inuenti huiusce argumentum è uetustissima sede, quæ  
Romæ in Lateranensi Diui Ioannis Basilica adhuc asseuatur, nos surripuisse fatemur. Verùm ad modulos  
iam reuertamur. Epistylum dimidias antepagmentorum frontes assequetur: Cymatium sextam sibi partem  
uendicabit: Reliquo deinde in partes septem diuiso, tres primæ, & quatuor secundæ fasciæ partes tribuen-  
tur: Astragalus ex dimidia parte constabit, & membrorum utrorumque particeps erit: Zophorus, propter  
sculpturas ibi insitas appositæque, epistylis quarta parte altior existet. Coronæ ad epistylis æqualitatem re-  
digetur: Quæ in partes septem distincta, duæ cymatio sub coronâ, ipsique coronæ duæ partes item tribuen-  
tur, cymatio supra coronam existenti pars una continget, duæque nouissimæ partes demum simæ condona-  
buntur. Totius autem coronicis proiectora eiusdem altitudinem adæquabit. At si antepagmentorum  
frontes sexta altitudinis parte finientur, membraque; reliqua item pro rata parte minora constituentur; opus,  
si breui pusillaque forma præsertim extiterit, elegantius nimirum nenustiusque reddetur. Ornamenta co-  
ronicæ demum superaddita, pro domini ipsius iussu atque autoritate, & adiungi & prætermitti commodè  
poterunt.



Ex composito hoc opere, tanquam cæteris ædificandi rationibus licentiori & minus astricto, alia insuper spiraculorum ornamenta, formarumq; differentium institui possent. Et nos, ut eorum, qui uarietate delectantur, studijs morem geramus, speciem hanc perquam diuersam à cæteris nunc proponemus: eiusq; moduli ita definiantur. Epistylio ad mediocris hominis altitudinem pertingente, talis altitudo in partes octo postmodum diuidetur, quarum una mutulorum frontibus assignabitur: Stylobatz ad commodam subsellij alicuius altitudinem excitentur: Ordo mutulis superstructus, cum nulla certa stabiliq; lege teneatur (extra regulam enim opus hoc constitui iam diximus) mutulorum frontes duplicatas dimidiatq; insuper assequetur: Folia membraq; cætera, pro ut Architecto libuerit, disponentur. Quinetiam mutulis modò Doricum, modò Ionicum, & Corinthium opus nonnunquam, præceptionibus, quas in singulorum ordinum explicatione separatim tradidimus, ritè obseruatis, imponere nobis licebit. Id quoque reticendum minimè existimamus, quòd gula fumaria ut in maiorem latitudinem pateat, nouissimum supremumq; illum ordinem perquam commodè admittet: ita nanque formosior atque elegantior, quàm uulgata illa, quæ ad pyramidis formam contendit, species utiq; euadet.




Gravi nempe & maturo in tanta formarum & ornamentorum, quæ in re ædificatoria passim perspicitur, uarietate Architecti iudicio opus esse uidetur: nonnulla etenim in Architectonica facultate eam obtinuerunt naturam, ut de ijs certa firmaq; præcepta à scriptoribus tradi afferriq; possint; nec enim noua aliqua, & præter ædificantium opinionem ibi contingunt. Quinimo, ne ab instituto nostro recedamus, eæ frequenter uisuntur columnæ, quæ pro locorum, ubi collocantur, opportunitatibus uarias dissimilesq; positiones sortitæ, differentes modulos atque commensus profectò sibi requirunt: Columnæ autem, quod ad earum situs positionesq;




positionesq; attinet, quadrifariam ædificijs aptari accommodariq; possunt. Primò quidem, ut ipsæ, absq; adminiculis ullis uel à lateribus uel à tergo insidentibus, per sese ac separatim tanquam insulæ quædam à continenti seiunctæ constituantur: Et hæc utique columnarum genera cum maxima onerum desuper incumbentium ui & grauitate premantur, altitudinis modum à nobis iam definitum nequaquam excedent. Rei huiusce exemplum in prima columna A delineauimus. Secundò, columnæ cum totæ extrà promineant, parieti à tergo nonnunquam tamen incumbunt atque innituntur: cuius nempe fulcturæ auxilio & munimine adiutæ, crassitudinis unius additione in maiorem, quàm præcedentes columnæ, altitudinem erigentur. Rei q; huiusce exemplum in secunda columna B descriptum apparet. Tertiò, columnarum duæ tertiæ tantummodo extrà parietis crassitudinem procurrunt atque progrediuntur: quæ quidem secundarum, quas modò commemorauimus, columnarum altitudinibus columnæ unius crassitudinem, & amplius adijcere percommode possunt. In ædificijs enim nonnullis similibus altitudines columnarum, nouem ferè earundem crassitudines semiq; complectuntur: Rei q; huiusce exemplum ex Romano præsertim Amphitheatro in Dorico ordine habetur, quemadmodum ex columna C, quam tertio loco hic apposuimus, satis utique constat. Huiusmodi autem columnæ eò firmiores atque stabiliores existunt, quòd parastatis pilis'ue ad latera constitutis adiunguntur; quibus ponderis totius molem sustinentibus, graciliores deinde pro Architecti arbitrato columnæ perfici queunt: Quinimo adeò graciles quandoque tenuesq; redduntur, ut ad ornatum potius ac uenustatem, quàm ad usum ullam'ue necessitatem ibi inductæ appositæq; uideantur. Postremò, columnarum duæ tertiæ item, ut in superioribus, extra parietis crassitudinem egrediuntur: uerùm in eo differunt, quòd hic duæ planæ semicolumnæ ad columnæ intermediæ latera utrinque statuuntur; quæ quidem planæ semicolumnæ medianæ ipsi columnæ id roboris & firmitatis præstabunt, ut ad columnæ unius crassitudinem altior adhuc ea attolli excitariq; possit. Et tunc, quin epistylum, zophorus, coroniq; extra columnæ tam planæ quàm rotundioris perpendiculum resiliant atque procurrant, nihil utique obstabit: semicolumnæ etenim epistylis, zophori, & coronicis latera optimè sustinebunt. At singulari columna superposita, trabeationis superioris latera in exteriorem partem deinde resilire, absurdum præsertim & perquam uiosum censetur: laterales nanq; huiusmodi excursions proiectioneq; fulcturis quibuscunque destitutæ tunc utique remanerent. Exemplum autem in quarta columna D subscriptum apparet. Verùm si quando solæ columnæ absque adminiculis ullis oneri alicui ferendo substituentur, intercolumniaq; præterea iusta & conuenientia spatia fuerint assecuta, terminos iam præscriptos egredi nequaquam mehercule licebit. Quòd si inferioris ordinis columnæ ordines alios superpositos & superstructos habebunt, tunc nos ædificij diuturnitati perpetuitatiq; prospicientes, crassiores nimirum atque robustiores eas constituemus. Et quantum stylobatæ ad columnas subleuandas firmamenti & opis quamplurimum afferre comperiuntur: si tamen iustam & fabricæ ipsius usui consentaneam columnæ naturæ fuerint altitudinem, absque stylobatarum suppositione, si primorum ordinum præsertim extiterint, optimè tunc quidem agetur. At in secundis deinceps tertijsq; ordinibus, tum propter podia separanda atque definienda, tum propter columnas ad maiorem altitudinem excitandas proferendasq;, stylobatarum subiectiones quammaximè probabuntur: hocq; à prisca illis Romanis in Theatris atque Amphitheatris obseruatum fuisse sanè constat. Verùm quo pacto super columnas columnæ aliæ rursus sint instruendæ & collocandæ, diuersæ hac in re tum rationes tum auctoritates occurrunt. Prima quidem ratio ea solet adduci, ut stylobatæ superiorem columnam fulcientis proiectione nequaquam longius excurrat, quàm sit columnæ inferioris crassitudo; & ut basis columnæ superioris proiectione stylobatæ sibi subiecti solido innitatur: hæc ratio tuta nempe & firma quammaximè existet. Verùm quia secundi ordinis huiusce post primum diminutio nimia utique foret, tertius ordo deinceps propter summam adhuc eius diminutionem secundo huic superaddi minimè posset. Quapropter ratio altera longe q; accommodatior talis affertur, ut superioris stylobatæ frons ad inferioris columnæ perpendiculum saltem statuatur; cui columna deinde, cuius tam crassitudo quàm altitudo quartæ partis detractio ne ab ipsa inferiori columna excidat atque deficiat, innitatur: utq; basis columnæ, proiectionem stylobatæ ipsius fronti æqualem obtineat. Et hec ratio cum ea, quam Vitruuius in theatri conformatione tradidisse reperitur, mirificè quidem conuenit. Modi autem huiusce exemplum supra columnam A apposuimus. Quòd si columnas superiores minus diminuendas nobis proposuerimus, earum partes inferiores superioribus columnarum inferiorum partibus æquales constituemus; sed tunc stylobatæ solidum extra solidum ipsius columnæ nonnihil excurrat atque progredietur: Stylobatasq; Theatri in Marcelli honorem extructi ita dispositos esse constat. Exemplum autem modi huiusce supra columnam B deformauimus. Tresq; iam expositæ rationes, satis idoneæ quidem probabilesq; fore uidentur. Verumenimvero Romani in magna illa ad mirandâq; Colossiæ Amphitheatri constructione Ionicas, Corinthias, Compositasq; columnas, æquali crassitudine omnes effinxerunt: at columnas Doricas, quæ in infima sede primoq; ordine collocantur, uigesima parte cæteris crassiores constituerunt, nec temerè quidem. Si nanque cunctorum ordinum sibi inuicem succedentium columnæ quarta parte gradatim imminuerentur; nouissimè demum, quæ summum uerticem occupant, columnæ in tam excelsa sublimiq; structura propter immodicam longinquitatem suspicientibus exiguè admodum perpulsileq; uiderentur: quæ tamen ad tantam altitudinem excitatæ, optimè nihilominus egregieq; respondent. Rei huiusce exemplum supra columnam C appositum obsecrò contemplare. Columnam quoque superiorem, quæ D inferiori innititur columnæ, quarta parte post eam contrahi imminuique comperies. Quapropter si, mediocri altitudine oblata, ædificium ad ternos columnarum ordines efferendum excitandumque proponetur; superiorem ordinem ab inferiori sibi que proximo quarta, prout sæpius iam diximus, parte diminuendum esse censemus.

Asi edificium ad insignem altitudinem educere uoluerimus, Romani Amphitheatri exemplum utique persequemur. Ibi nanque tribus ordinibus, Dorico uidelicet, Ionico, & Corinthio parem altitudinem propemodum obtinentibus, summus tandem atque nouissimus ordo quinta parte ferè ceteris altior existit: quod quidem, ut aliàs diximus, distantie atque longinquitatis ratione ita factum esse constat. Nanque summus ordo, cum longissimè à nobis distet, quinta hac parte amplifiatus & auctus ceteris, qui substant, ordinibus par & equalis ab intuentibus propemodum existimatur. Quauis autem propositarum columnarum exempla à nobis hic designata, Doricum genus imitantur ac præferunt: hæc tamen, quæ nuper tradidimus, documenta cunctis columnarum generibus, singularum symmetrijs diligenter examinatis atque perpensis, applicari quippe accommodarique possunt.





Cum tot ac tam varia lapidearum structurarum lapideorumq; ornamentorum genera hucusq; complexi fuerimus, modò id superesse uidetur, ut, quopactò naturales uiuq; lapides cum excoctis atq; artificiosis lapidibus componi consociariq; debent, in præsentia enarremus: quod quidem opificis diligentiam & iudicium quammaximè certè requirit. In re nanque ædificatoria excocti lapides carniū, uiui autem ossium uim atque similitudinem referunt: quæ quidem ambo nisi firmiter inter sese deuinciantur atq; cohæreant, ætate progrediente mox deinde fatiscunt ac dissoluuntur. Quapropter substructione, prout ad situm ac usum aptior ea fore censebitur, perfecta absolutaq; ; prouidum Architectum tam naturales quàm excoctos lapides sibi peparasse, & si qui eorum artificis manus efflagitauerint, iam antea elaboratos in promptu tunc habere oportet; necnon materiam omnem, quæ ad fabricæ ipsius usum expediet, comportatam ei præstò ad se conuenit. Quo quidem astante apparatu, mox opifex ipse parietum constructionem aggressus, uiuos & excoctos lapides simul instruet atq; compinget. Viuosq; lapides parietis interiora ingredi eatenus decet, ut de eorum intra murum firma ualidaq; adhæsiōe siue compactione, absq; calce etiam eos simul agglutinante, nequaquam sit nobis uerendum: Quæ quidem in structuris si adhibebitur animaduersio, temporis diuturnitate non tam facilè opera certè dissilient aut dissoluentur. Rei huiusce exemplum ex figura A, quam hic apposimus, perspicui potest: ex qua illud item habetur, quopactò extra fenestrarum apertiones Meniana rectè, & absq; ulla reprehensionis nota sint nobis constituenda. Quod quidem ea proculdubio ratione assequemur, si rustico opere primus ordo constabit; uel si ex urbano mollioriq; opere ita coagmentabitur, ut parietis inferioris crassitudo idoneam Menianis planiciem suppeditet atque relinquat. Quòd si stereobata stylobata uel ex uiuis coctisque lapidibus compacti, ad columnarum onera perferenda erunt substituendi: tunc, ut suprà etiam admonuimus, nisi naturales cum excoctis lapidibus ita, prout ex B designatione perspicitur, consociati conæxi uel fuerint; operum diuturnitati haud satis quidem prospectum uidebitur. Quòd si columnæ ex compluribus componentur cæmentis, tunc cæmenta minora, propter maiorum tutiorem firmioremq; compactionem, parietis interiora admodum ingredi certè oportebit. At si columnæ ex uno perpetuoq; lapide fortè constabunt, pars earum crassitudinis tertia saltem intra murum impingetur: bases autem capitulaq; ita comparabuntur, ut parietis intima magis adhuc ingrediantur atq; per rumpant. Coronasq; inprimis & coronices, quæ extra parietem perpendicularia sese proferre, longiusq; procurrere conspiciuntur, parietum interiora eatenus ingredi decet; ut pars earum non sculpta parte sculpturis elaborata grauior & ponderosior existat: ita nanq; huiusmodi proiecturæ absque ullis futuris per sese in sublimi perquam tutò consistent. Verùm si quando uel cæmentorum defectu, uel immodicos marmorum pretiosorumq; generis huiusce lapidum sumptus effugientes, fronti uel parieti crustas tectoriaq; superinducere uoluerimus: tunc perspicacem Architectum, antequam supra tellurem parietes construere aggrediat, uiuos lapides iam antea perpolitos elaboratosq; necnon quæcunq; usui sibi futura uidebuntur, apparta expositaq; ad manum habere decet: itaq; ille, naturalibus unà & excoctis lapidibus firmiter inter sese reuinctis & arctissimè copulatis, structuram suam gradatim & pedetentim absoluet. In quo quidem opere perficiendo crassiora lapidum fragmenta intra parietum uiscera eatenus ingredientur, ut cæmenta subtiliora deinde, securiclati nonnullis, quas Hyrundinum caudas uulgus appellat, coagmentis cardinibusq; intercedentibus, ab ijs firmiter contineantur; ne quandoq; in posterum egredi exilire uel possint. Hæc autem, dum lateritij paulatim extruuntur parietes, securiclatorum coagmentorum illorum beneficio, ad opus sensim ipsa quoque promouebuntur ac perducentur. Verùm ne lateritij subsidant quandoq; parietes, suoq; casu uiuos, qui substant, lapides ponderis irruentis ui oppressos perfringant; ex coctis & læuigatis lapidibus, necnon ex optima macerataq; calce murum compingi oportet: inter singulos autem lapidum ordines calcis exiguum quid apponatur, inferioresq; lapides à superioribus optimè calcantur & comprimantur. Idq; inprimis memoriæ ut mandes uelim, quòd in huiusmodi operibus extruendis nulla uis prorsus est adhibenda, nec in lapidibus coaceruandis accumulandisque præproperè festinare debemus: quinimo in singulis lapidum ordinibus perducendis, ut melius firmentur atque cohæreant, quietis aliquantulum interponendū existimamus. Si enim, ut opus citius perficiatur, intempestiua celeritate usi fuerimus, onere oneri statim imposito ac superaddito: paries mox utique subsidet, lapidesq; ponderis ui ingruente proculdubio frangentur atq; dissilient. Quòd si huiusmodi opera temporū interuallis distincta, gradatim & paulatine perficientur; structuræ & tutiores erunt, & intra proprios fines continebuntur. Verùm si nostram quoq; hac de re sententiam interponere licet, quæcunq; parietum opera inter sese tota colligantur connectanturq;, longè magis quàm crustarum tectoriorum uel inductiones nobis certè probantur; & exteriorib; præsertim ædificiorū frontib; nunquam huiusmodi tectoria meherclè essent inducenda. Quæcunq; enim marmoratis, aliorum uel lapidum firmioribus crustis contacta oblitaq; ædificia olim fuerunt, nunc corticibus planè exuta destitutaq; conspiciuntur; aded ut sola excoctorum lapidum, quanuis temporis diuturnitate absumptorum, coagmentatio atq; congeries superesse iam uideatur. At uetusta illa ædificia, quæ naturalium simul excoctorumq; lapidum firmas ualidasq; obtinuerunt connexiones, præsentis æuo structuram suam incolumem utiq; seruant. Si igitur generis huiusce opera nobis extruenda conficiendaq; proponentur, expositam hucusq; rationem tanquam tutiorem persequendam esse existimamus. Nec illud certè nos præterit, nonnullos locis Italicè compluribus Architectos, lapidum naturalium sedibus cubilibusq; relictis, simplices parietum structuras primùm effecisse, propriaq; postmodum ornamenta adiecisse. Veruntamen cum huiusmodi parietum connexiones infirmæ & imbecilliores existant, & quasi tenuissimo quodam glutine inter sese cohæreant; complures casus idcirco, & frequentes diuulsiones ibi contingunt, ipsaq; structura præsens exitium quotidie ibidem minatur.



## DE LIGNEIS AVT AENEIS VALVIS.

Cap. x.




**D**E lapideis ædificiorum singulorum ornamentis abundè, ni fallor, in superioribus differuimus: nunc de claustris atq; repagulis, quæ ualuz fores uel dicuntur, siue æneæ siue materiæ illæ extiterint, pauca quædam subiungemus, figurasq; nonnullas insuper apponemus. Nec de cardinibus ianuas sustentibus, quos Harpagones Cancherios uel Italicorum uulgius appellat, nos quicquam fari in præsentia oportet. Nec enim in Italia solùm, uerùm in alijs quoq; passim regionibus obtusus ad eò indotusq; faber reperitur, cui cardinum ratio non sit cognita atq; perspecta. Id unum tamen te admonitum uolumus, cardines nempe, quibus ueteres olim usos fuisse accepimus, quibus, prout ex A designatione perspicitur, fores suspensas continebant, & ædificijs minori oneri incommodoq; extitisse, & ad fores aperiendas occludendasq; maiorem facilitatem præstitisse; quàm id cardinum genus, quos ab Italis omnibus figura B eorum exemplum nobis proponente, nunc passim adhiberi conspiciamus. Verùm siue ex ære siue ex materia fores constituantur, ornamentorum deinde ea ratio isq; delectus habebitur; ut si lapideis ornamenta solidiora forsitan erunt,



erunt, forium quoque ornatus, ne proprios quandoque fines egrediantur, eandem prorsus imitentur soliditatē :


Cōtraq; si lapidea structura deliciarum quodā

opere fuerit exculta ac insignita, lignea item aeneaue forium compactio deliciarum operis eiusdem genere affulgeat atque splendescat. Rerumque consimilium delectus prudentis Architecti iudicio semper utiq; reseruabitur. Ut autē talium ornatum specimē aliquod afferamus, quinque genera, quae ex antiquorum exemplis pleraque deduximus, en tibi conspicienda hic proponuntur.



Aeneæ ualuz hæud uno perpetuoq; metallo semper constare uidentur; nec enim ad illarum constructionem tunc ligni aut ferri quicquam profectò requiritur: quin etiam cardines ex eadem prorsus æris lamina ibi constituuntur. At fores ex materia nonnunquam constantes, ære postea commodæ crassitudinis inducto tegi coopeririq; solent: quæ si iuxta positæ unaq; aptatis asseribus constructentur, quanuis benè compacti illi coagmentatiq; fuerint, propter materiz naturam atque proprietatem eo tamen incommodo laborabunt; ut pro cœli arida humida'ue constitutione modò comprimi astringiq; modò autem expandi & relaxari conspiciantur. Si igitur eiusmodi fores, quæ ære uel alio metallo quopiam obducendæ fuerint, construere uouerimus, ut tutius cautiusq; incedamus, duarum, A nempe & B, quas hic apposimus, designationum exempla sequemur. Nec enim ligna secundum longitudinem crescunt aut extenduntur, uerùm intra proprios terminos perpetuò consistunt. Et huiusce quidem generis opera, pro operis eis imponendi maiori minori'ue magnitudine, modò crassiora modò subtiliora, prout Architecto uisum fuerit, perficientur. Item q; inter medias uacuitates transuersis seseq; decussantibus asseribus undequaque implere obstruereq; licbit, ne materies ex una magis quàm ex altera parte ullum suscipiat incrementum. Quanuis autem uetustiora tam publica quàm priuata ædificia quadrata ostia habere comperiuntur (urbes tantummodo & triumphantium fornices excipio, quibus

testudinatz apponuntur conuersiones) nostræ tamen ætatis homines, an fortitudinis munimentiq; gratia, an ædificij comodo utilitatiq; consulentes, ignoro, pleaque ostia in arcus circuliq; formam inflectunt. Nos igitur ut studiosorum uoluntati morem geramus, circulatorum ostiorum speciem unã saltem hic duximus apponendam: nec enim singula completi aut assequi certè ualemus. Complura nanque eiusmodi accidunt, quæ Architecti, pro rerum quotidie ei occurrentium diuersitate, acumen imprimis iudiciumq; requirunt.





DE AEDIFICIIS TVM INTERIORI, TVM EXTERIORI  
PICTVRA EXORNANDIS. Cap. XI.

**N**E QVICQVAM, quod ad ædificia tam picturis quàm alijs quibuscunq; rationibus honestanda perpoliendaque spectat, prætermissum à nobis uideatur; Graphicæ facultatis quæcunque ex usu magis fore iudicamus, summam nunc perstringemus. Architectum igitur haud de marmoreis tantummodo lapideisque ornamentis, uerùm de picturis insuper, quæ penicillo uenustatis gratia parietibus inducuntur, sollicitum esse quammaximè decet: eumque pictori haud secus quàm fabricis omnibus, quorum operæ in re ædificatoria manuumque labores requiruntur, præesse, & quid agendum sit, singulis præcipere conuenit. Nonnulli etenim pictores usu quamplurimum certè præstantes, cæteri uero iudicio ita falluntur; ut colorum uenustati nimium utique tribuentes, nec aliud quicquam præterea curantes, cum de picturarum conuenienti distributione aptaque earum collocacone solliciti minimè forent, ordinem aliquem sæpius euertisse, fædeque admodum deturpasse comperiuntur. Quapropter si ædificiorum frontes coloribus illustrandas exornandasque tibi proposueris, cæli aut regionum similitudines tanquam nimis apertas latiusque patentes inprimis effugito: hæc enim firmam stabilemque ædificij structuram dissipant potius atque perturbant, & pro solida concretaque forma tenuem magis errabundamque speciem ei præstare uidentur, haud aliter certè quàm si imperfectum confractumque foret ædificium. Nec uirorum item aut animantium simulachra coloribus expressa ibidem apponentur; nisi fenestrarum forsitan quarundam apertiones, quibus homines quiescentium potius quàm sese obnixè mouentium speciem exhibentes incumbunt, callidè imitati fuerimus. Quinetiam animantia huiuscemodi locis accommodata uel, ut iam diximus, fenestrarum apertionibus, uel coronicibus quoque insidentia ibidem statuentur. Quòd si uel ædium dominus, uel pictor ipsemet colorum uenustati ac elegantia paulo plus concedendum existimaauerit: ne operis ordo aut perturbetur aut funditus deleatur, aulæ nonnulla parietibus affixa quasi res, quæ subduci & reuelli quamcommodè possunt, effingentur; ibique, quæcunque magis libuerint, coloribus deinde exprimentur. Ita nanque nec ordo quippe interpellabitur, nec à uero imitatio, prout decet, longius abesse censebitur. Licebit quinetiam, triumphantium ludosque; apparantium more, frondium, fructuum, & florum fasciculos, necnon clypeos, trophæa, aliaque consimilia, quæ huc & illuc transferri transportarique possunt, coloribus inductis, artificiosè admodum ibidem appingere ac simulare; aræque huiusce generis figmentorum germanum parietis ipsius colorem imitabuntur: & hac demum ratione si picturæ dispositæ fuerint, proprijsque sedibus collocatæ, ne minimam quidem notam calumniam uel subibunt. At si ædium frontes penicillis accuratius adhuc excolendæ elaborandæque erunt, marmoreo lapideo uel colore primùm inducto, sculpturarum effigies deinde, quæcunque magis placuerint, affabrè componentur: & in scaphis nonnullis præterea ænea simulachra tota undique prominentia effingentur: quinetiam historiae alicuius argumentum ex ære confingi simularique poterit. Ita nanque operis species & soliditatem suam optimè retinebit, & omnium, quotquot uerum à falso discernere queunt, sententijs approbantibus, fauorem & applausum haud mediocre sibi conciliabit. In quo quidem, sicut in cæteris omnibus, Balthasar Petruccius Senensis ingenij sui acumen ostendit: qui, Iulio Secundo Pontifice Maximo Ecclesiam administrante, cum Romæ frontes ædium nonnullas penicillo illustrandas sibi proposuisset, marmorea simulachra, ueluti sacrificia, bella, uirorum illustrium facta, & Architectonicas constructiones miro quodam iudicio ibi delineauit atque depinxit: quæ non solum ad ædificiorum ornatum pariter atque soliditatem conducunt, uerùm amplitudine & maiestate cumulatisimè eadem insuper donant. Quid autem de aliorum complurium, qui Romæ ædificiorum tectoria penicillis distinguere & illustrare summo opere studuerunt, solertia iudicioque dicemus? Qui quidem etsi nullum aliud præter clarum & pullum, coloris genus in hac pingendi ratione adhibuerunt, id tamen excellentia ac uenustatis eorum opera affecta fuerunt; ut quotquot ingenij acumine præstant, eaque diligenter attenderint, in summam quippe admirationem pertrahant atque perducant. In quo Polydorum Carracensem, & Maturinum ei coniunctissimum quammaximè excelluisse reperimus: ambo enim Romæ ædificiorum frontes adeò eleganter hisce picturarum generibus inductis excoluerunt atque perpolierunt, ut (pace aliorum dixerim) nullus ad hæc usque tempora in hoc genere cum ijs conferendus aut æquandus profectò uideatur. Doxi quinetiam & fratris acerrimum iudicium quis obsecrò non admirabitur, summisque laudibus prosequetur? Qui cum nobile atque superbum Ducis Ferrariensis palatium, frontesque præsertim, peniculis adhibitis, exornare sibi in animum induxissent, claro nubiloque colore tantummodo usi fuerunt; Architectonicis operibus, quæ figuris suppositis innituntur, egregiè quidem expressis, & admirando nempe artificio simulatis. Nec nos pictorum omnium, qui in Italia quammaximè claruerunt, exempla sigillatim nunc adducere recensereque oportet: qui ne Architecturæ perpetuum ordinem abscinderent aut præpedirent, nulla alia, præter claros & obscuros, colorum genera ibi permiscuerunt. Verùm si interiora ædificia uersicoloribus picturis honestanda uidebuntur, nobis, intra rationis monita tamen mandataque insistentibus, in peristylorum hortos seu cauos ædium sinus circumambientium parietibus nonnullas apertiones effingere certè licebit: in quibus proximarum longinquarum uel regionum, cæli, ædium, animantium, hominum, aliarumque rerum effigies, uultus, & simulachra colorum quippe uarietate distincta atque illustrata deinde apponemus. Nec procul à uero certè hæc aberit imitatio cum eiusmodi cuncta extra ædificij ipsius ambitum mox intueri ualeamus. Haud secus etiam si cenacula, cubicula, alias uel terrenas habitationes depingendas proposuerimus; pictori quidem in parietibus, nonnullis Architecturæ



chitecturæ præceptis legibusq; seruatis, aeris ac regionum apertiones effingere & simulare licebit: talium ta-  
 men apertionum altitudine animaduersa atque perspecta. Si nanque eæ contemplantium aspectu supe-  
 riores extiterint, nihil quiequam præter cælum, aut montium cacumina, aut ædificiorum uertices discerni  
 aut percipi poterit. Quòd si in solidiorum parietum summitatibus apertæ & patentioris rei alicuius spe-  
 ciem exhibere uoluerimus, nihil præter aerem à nobis ibi cerni apprehendiue permittetur. At si in huiusce  
 modi locis figuræ designandæ disponendæque erunt, lineæ cuidam tanquam basi eæ rectius profectò in-  
 nitentur: nec enim subiectam planiciem, qui ex inferiori suspiciunt regione, oculis assequi tunc certè uale-  
 bunt. In quo quidem Andree Mantinæ iudicium & perspicaciam quammaximè admiramur, qui Cæsaris  
 triumphos in Francisci Gonzagæ splendidissimi Mantuæ Principis gratiam coloribus exprimere studens,  
 cum imas figurarum plantas atque uestigia intuentium oculis superiora fore animaduertisset, nullam plani-  
 ciam eis omnino supposuit: uerùm simulachra lineæ cuidam tanquam stabili fundamento substrato firmi-  
 ter, ut iam diximus, insistent atque innituntur; apteq; ad eò composita esse ea demum intelliges, ut numeris  
 omnibus, ut aiunt, absoluta tibi singula uidebuntur. Quinimo præsentis operis constitutionem & quamma-  
 ximè commendandam, & plurimi insuper faciendam existimamus: ibi nanque & exactam Graphidos scien-  
 tiam, & summam Optices ipsius eruditionem, & inuēti nouitatem, & figurarum aptam compositionem, nec  
 non exquisitissimam earundem perficiendarum rationem uix pro meritis laudari unquam posse censemus.  
 Quòd si pictor Optico artificio edoctus, cœnaculum aut cubiculum longius, quàm re ipsa extiterit, exhibe-  
 re uoluerit: in parte uestibulum ipsum respectante nonnullos Architecturæ ordines tam appositè effingere  
 & instruere poterit, ut locus ille in maiorem utique longitudinem extendi ab intuentibus iudicabitur. Et  
 hoc Balthasarem Opticæ facultatis tempestate nostra primas obtinentem, apprimè affectum fuisse con-  
 stat: qui cum Romæ Augustini Chisij, amplissimi negociatoris, cœnaculum cohonestare sibi proposuisset,  
 columnarum, aliorumq; Architectonicorum operum eo artificio simulachra ibi constituit; ut perspicacissi-  
 mi ingenij uir Petrus Aretinus, qui non minus pictorum quàm poetarum opera acri iudicio examinare solit-  
 us erat, in splendidissimo illo ædificio nullam ea perfectiorem, maioriq; artificio elaboratam picturam sese  
 conspexisse pronunciarit: quanuis Urbinatis Raphaelis, quem diuinum uno ore omnes appellant, opera  
 complura ibidem habeantur. Verùm quid de admirandis ingentiq; artificio compositis Scenarum appa-  
 rationibus quæso dicemus, quæ Romæ ab eodem Balthasare constructæ olim memorantur? Eæ nanque,  
 quò ab eruditissimo & sapientissimo uiro minori impensa, quàm cætera tum ante tum post illum Scenæ,  
 perfectè fuerunt, eò magis laudandæ commendandæq; profectò uidentur. Quamprimùm autem parietes  
 propria affecti fuerint ornamenta, si laquearia insuper, quæ diuersis rationibus inslecti incuruariq; solent,  
 coloribus illustranda nobis proponentur, à prisca Romanorum uestigijs ne utiquam recedemus: qui uaria  
 distributionum genera tum ædificiorum tum camerarum ipsarum generibus accommodata perficere con-  
 sueuerunt, ibiq; monstra & portenta complura, quales Itali Grotescas appellant, ab illis effingebantur: quæ  
 quidem, propter summam eiusmodi picturarum licentiam, & ad ornatum & ad commoditatem quam maxi-  
 mè certè conducunt. Ibi nanque folia, frondes, flores, quadrupes, aues, & figurarum uarias & qualescun-  
 que permixtiones inducebant. Nonnunquam etiam, animantium foliorumq; formis separatas diuersasque  
 obtinentibus positiones, uela nonnulla ab ipsis modò figuris sustentata, aliàs autem cæteris quibusdam hæ-  
 rentia deformabant: ibiq; penicillo quæcunque ad libitum effingebant. Quinetiam sigillum nonnunquam  
 ex insigni & egregio lapide, quem Cameum appellant, uel aliud quippiam ex consimili materia, aut edicula  
 quædam, aliaue Architectonica opera cum his permixta fictè constituentur: quæ quidem omnia aut colo-  
 rum uarietate distincta, aut signinis operibus dealbata, aut claro duntaxat nubiloq; colore constantia, pro-  
 ut pictori magis libuerit, in testudinatis tectis citra reprehensionem ullam apponentur. Ita nanque proba-  
 tos quoque ueteres authores olim fecisse conspiciamus, quemadmodum antiquitatum, quæ Romæ præfer-  
 tim, Puteolis, & Baijs adhuc asseruantur, uestigia nobis significant: Rerumque consimilium exempla illu-  
 striora profectò numerosioraq; forent, nisi immitti inuidioq; ingenio preclari homines preclara antiquorum  
 artificum monumenta crudeliter nimium lacerassent atque comminuissent; ne fortè quibus ipsi affluabant,  
 alij quandoque participes redderentur. Horum autem, propterea quòd ijs, qui tempestate nostra huiusce-  
 modi studijs sese addixerunt, nimis certè cogniti & familiares extiterunt, & genus & nomina in presentia  
 conticebimus. Hanc autem pingendi rationem Ioannes Vtinensis summo studio, summaque diligentia  
 complexus fuisse perspicitur: quem antiquitatum in hoc genere doctum ad eò imitatore, & nonnullarum  
 eiusmodi picturarum præclararum ad eò inuentorem authoremq; constat extitisse, ut ad integram absolutam  
 que perfectionem talem utique pingendi rationem haud immeritò perduxisse ille uideatur. Quinimo uete-  
 ribus quoque uirum hunc preferendum mehercle iudicamus, quemadmodum & Romæ in Vaticano ambu-  
 lationes secretum Pontificis hortum despectantes, & Clementis septimi uinea in Mariano monte extracta,  
 & Regalis illa ac splendidissima Mediceæ familiæ domus Florentiæ composita satis superq; ostendunt: quæ  
 quidem loca uir celeberrimus picturis, quas diximus, ad eò egregijs coq; artificio elaboratis atque perfectis  
 cohonestauit; ut pictorum aliorum ueniam pacemq; præfati, unicum illum & singularem in hoc picturarum  
 genere extitisse pronunciemus. Necnon cum diuini Raphaelis præclarus fuerit alumnus, Architectoni-  
 cam quoque ille scientiam egregiè est affectus. At si pictor in summis tectorum conuersionibus imagi-  
 nem, quæ ad rei ueritatem quamproximè accedat, effingere atque referre uoluerit; cum in Optica facultate  
 & iudicio & usu præstare quammaximè decet. Iudicium nempe in eo requirimus, ut quæcunque & loci  
 & subiecti ipsius conditioni magis conueniunt, seligere ualeat: Cælestia nanque, æthera, & uolatilia simu-  
 lachra longè aptius quàm terrena ibi congruere uidebuntur. Vfus quoque eidem accedere debet, ut figu-



rarum diminutiones ea ratione perficere sciat, ut quauis proprijs locis breuissima monstrataq; propemodum illæ extiterint, debito tamen interuallo conspectæ produci extendi'ue, & rei formam speciem'ue ad uium referre existimentur. Et hoc nempe à Melocio Foroliuensi, celebri quidem pictore, tum Italiæ locis compluribus, tum in sacrario potissimum templi Lauretanæ Virginis, ubi in testudinatis laquearibus Angelorum imagines quasdam ille depinxit, obseruatum planè constat. In Mantuæ quinetiam ipsius arce figuræ nonnullæ, aliaq; picturarum genera, quæ in sublimi posita ex inferiori suspiciuntur regione, ab Andrea Mantinia ad Opticas leges adeò, tantaq; iudicij æquitate adhibita, deformata conspiciuntur, ut uero quam simillima certè uideantur. Historicæ tamen designationes, quæ figuras complures implicitas coniunctasque requirunt, in hisce locorum generibus malè quidem coherent: quæ si separatim ac diuim constituantur, partes suas longè melius utique explebunt. Quinimo ætatis nostræ peritiores Architecti tales pingendi rationes quam maximè semper effugerunt: pleraque enim huiuscemodi, ut iam diximus, aspectui iniucunda & insuauia nempe redduntur. Quapropter Vrbinas Raphael, quem in hac, de qua loquimur, picturarum serie atque compositione non admirandum tantummodo, uerùm singularem quoque extitisse comperimus, adeò ut hac in re neminem æqualem, nedum superiorem aliquem prorsus habuerit; quemq; cum in tota pingendi ratione mirificè præstiterit, diuinum semper appellare consueuimus: uir inquam hic celeberrimus cum cælum ambulationis cuiusdam, quam Augustinus Chisus, splendidissimus nempe, ut supra habitum fuit, sumptuosissimusq; mercator, sibi extruendam curauit, picturis distinguere statuisset, in ipsis lunularum exordijs molliores figuras primùm disposuit & collocauit; picturarum contractionibus seu imminutionibus, quauis in hoc genere quammaximè etiam excelluerit, dedita opera tunc prætermisis, studioseq; admodum euitatis. Verùm cum ad cæli fastigium deinde peruenit, celsi Deorum immortalium ibi conuiuium, cæleste quippe argumentum, & loci ipsius naturæ mirificè accommodatum instruere cogitasset; attamen contemplantibus blandiri gratificariq; studens, tot imminutionum duritiem scabriciemq; auferendam iudicauit. Quapropter cæruleum uelum fasciculis nonnullis suspensum ac religatum tanquam mobile quoddam callidè ibi depinxit, in quo conuiuium deinde dapesq; Deorum instruxit, eo nempe artificio atque dexteritate adhibita, totq; motuum insuper & colorum inducta uarietate, ut ad ueritatem figmentum illud quamproximè accedere existimetur. Quinimo totum opus præclare adeò egregieq; respondet, ut ambulationis triumphalis potius cuiusdam apparationis, quam perpetuæ picturæ parieti inductæ speciem exhibeat referatq;. Quòd si opus non hoc compositum artificio, sed simplici quadam ratione suprema ambulationis testudo depicta fuisset: quotquot ibi extant figuræ, eo, quem prædiximus, situ, eademq; dispositione remanente, præcipitem casum minitari, & iamiam delapsuræ propemodum uiderentur. Quamobrem Architectus, quem Opticum quoque necessariò existere oportet, cum operarijs omnibus, qui ædificijs manus afferre adiuuereq; solent, haud immeritò præesse dicatur, absque eius sententia consilioq; nihil prorsus effici mehercie patietur.

DE PLANIS ATQVE MATERIATIS CONTIGNATIONIBVS,  
NECNON DE EARVM ORNAMENTIS. Cap. XII.




**A**Ædificia quippe complura, plana ligneaq; tabulata in superis partibus habere perspiciuntur: quæ, pro populorum linguarumq; diuersitate, differentes quoque obtinuerunt appellationes. Veteres nanque lacunaria ea olim uocabant: Romæ autem, Florentiæ, Bononiæq; nunc palcos appellant: in Romano identidem agro taxilli nuncupantur: Venetijs, proximisq; oppidis trabationes suffixa'ue nominari frequentissimè audies: itaq; ex regionum diuersitate uariæ quoque rei eiusdem differentesq; oriuntur nomenclationes. De hisce igitur, tum intestini operis, tum etiam superinductarum picturarum ratione perspecta, pauca nunc dicenda existimamus. Quapropter rem ipsam aggredientes, illud inprimis tibi firmissimè asseueramus; si cœnaculi aut cubiculi alicuius tectum altius extiterit, distributionem è solidiori opere, necnon ex spatiofis, profundioribus, fatisq; eminentium expressionum formis esse constituendam; ut diminutio ex longinquitate deinde proueniens, aspectui infernè posito gratior iucundiorq; reddatur. Haud secus etiam si picturis huiuscemodi tabulata illustranda illuminandaq; proponuntur, eæ quoque solidiores, tabulatorumq; ipsorum magnitudini & altitudini conuenientes deformabuntur. Hæc autem picturarum genera ex claro potius nubiloq;, quam ex colorum complurium aliorum permixtionibus constare utique debent: Sic enim & uim quandam maiorem opera præferre uidentur; & hunc morem nempe celebres pictores omnes, quicumque picturis consimilibus oblectati fuerunt, præclaris Italiæ urbibus, ut Romæ, Florentiæ, Bononiæ, Venetijsq; præsertim, in qua quidem amplissima ciuitate plura quam reliquis omnibus Italiæ locis intestina opera perfici solent, obseruasse comperimus. Quapropter pleraque sumptuosarum ædium tabulata claro duntaxat pulloque colore depicta conspiciuntur; in medijsque spatijs, uel quadrata uel quibuscunque alijs formis circumscripita ea definitaq; fuerint, rosarum conchularum'ue deaurata quædam simulachra apponuntur. Quòd si, ut maior adhuc operi uenustas adijciatur, colorem aliquem adiungere nobis libuerit; excautarum formarum areas cæruleo tanquam pellucido perspicuoque colore constare facile patiemur, adeò ut aer discerni atque introspecti possit. Rosas tamen illas medias, ne in aere quasi suspensæ per sese consistere uideantur, folijs quibusdam admirandis'ue formis, quæ Grotescæ uulgo appellantur, recingendas esse arbitramur. Quò autem coronices alia'ue consimilia, quæ quadrata aut aliter figurata spatia recingunt; auri splendore magis affulgent, eò uenustiora elegantioraque certè apparebunt. Quòd si aurum fortè nobis defuerit, reliqui operis colorem in his quoque expoliendis persequemur.



Sin cubiculi alicuius cælum ad minorem, quàm rationi usui'ue par esset, altitudinem forsitan efferetur; tunc Architectus, ab Optica facultate auxilijs petitis, necnon iudicio insuper & æquitate quadam adhibita, sibi ipsi perbellè nimirum prospiciet. Id igitur inprimis scias uelim, Opticam rerum collocationem distantiam haud aliunde profectò atq; longinquitatem adipisci, quàm ex succedète gradatimq; distributa eorum imminutione. Quapropter si rem in proximo constitutam aspectui longinquiorem reddere uoluerimus, ab arte præsidia utique erunt accipienda: formis nempe, quæ à centro longius distant, mediocri; quæ autem centro propinquiores existunt, minutori opere deformatis. Res nanque longius hoc pacto, quàm si opera perpetuam quandam soliditatem retinerent, ab aspectu nostro secedent. Haud secus etiam picturæ intestinis operibus consimiles erunt efficiendæ: formis nanq; mediocri opere constantibus, magnitudine item mediocri picturæ debentur: quò autem ad centrum magis appropinquabunt, eò picturæ sensim quoq; deficient atq; diminuentur. Quapropter tales eæ profectò reddentur, ut absque aspectus ulla prorsus defatigatione læsione'ue undequaque percipi queant, & opus unico duntaxat oculorum intuitu uniuersum mox percurratur: quod quidem ex foliorum multiplici diuersitate, sinuosisque conuolutionibus, uarijsq; connexionibus constituetur; sigillis quinetiam, folijs, atque animantibus unà inter sese confusis implicitisque. Id autem summopere attendendum uidetur, quòd in eiusmodi distributionib. exactum iudicium requiritur, magnaq; solertia inprimis est adhibenda; ne fortè duos zophoros inter sese omnino consimiles iuxta quandoq; ponamus. Verùm folio cochleam aut nexum quendam primùm associabimus, alijsq; folio figurarum & animantium implicitam quandam commixtionem, quam Grotescam frequenter appellamus, mox deinde adiungemus: itaque, ne aspectum primo impetu deterreamus, perturbationem'ue ullam in eum forsitan inducamus, picturarum uarietati sensim & paulatine indulgemus. Eiusmodi autè simulachra si ex claro nubiloq; in suis areis, umbrarum luminumq; conuenienti ratione seruata, tantummodo constituentur; longè magis, quàm colorum complurium superinducta uarietate, à peritioribus probabuntur. Splendidiore nanq; coloratæq; picturæ testudinatis tectorum conuersionibus, quæ monstrosis quibusdam, ut suprà iam habitum fuit, figmentis oblectantur, aptandæ potius accommodandæq; uidentur. Et nos in amplæ illius sumptuosæq; bibliothecæ, quam in Regia basilica Venetijs, Andrea Gritto Principatum olim administrante, extructam offendimus, apparatione talem ordinem profectò obseruauimus. Cùm enim Cælum humilior, quàm atrij illius perampli longitudo latitudoq; efflagitaret, atque depressius existeret; nos superioribus adducti rationibus minutori, quàm si debitam altitudinem nactum fuisset, opere illud perficiendum curauimus. Quinimo id perpetuò obseruandum existimamus, quòd Cæli humiliores atq; depressiores extiterint, eò breuiora minutioraq; opera ibi esse constituenda. Cuius quidem rei exemplum mox in sequenti pagina describemus: compluraq; insuper & inuentionum, & distributionum, zophorumq; multiplicium, necnon rerum aliarum genera, pleraq; ex antiquitatibus certè deprompta, ad consilij inopes affluentes copiosioresq; reddendos, studiosorum oculis subiiciemus.








Intestinum opus Bibliothecæ superioris Cœlum exornans.




































Cùm hortorum amœnitates ad ædificiorum ornatum hæud parum certè conducant, idcirco nos quatuor subscriptis hisce designationibus varias differentesq; hortorum ipsorum distributiones significandas nunc proposuimus, etsi earum usus ad alia quoque transferri perquam commodè posset. Quinetiam Labyrinthos duos tanquam proposito huic mirificè accommodatos, in postremis subiunximus atque delineauimus.
















**A**RCHITECTVM comuniorē etiam insignium, quæ ad ædificiorum ornatum non parum opitulatur, cognitionē habere expedit: ne uel in falsa constitutione, uel in malè distributa collocatione turpiter errare quandoq; deprehendatur. Si nanq; Regia Principum ipsorum insignia uel malè composita, uel perturbato quodam ordine essent instructa, ut ea uel a terre uel transponere deinde oporteret: huiuscemodi inuouationes permutationesq; tum Architecturis iam stabilitis conuermatisq; perincommodæ, tum Architectis insuper ignominiz atq; dedecori forent. Prisci quidē & antiquissimi uiri eos, qui præclara facta gessissent, statuis ob uirtutem donare olim consueuerunt, quibus familiarum amplitudinem atq; splendorē declarari satis superq; censebant. At qui statuarū honorē minimè affecti fuissent, tanquam ignobiliores, terræ filij & ex sese procreati apud ueteres dicebantur. Verū posterioribus seculis deinde, huiuscemodi imagines ac simulachra in insignia conuersa permutataq; fuerunt: que quidem ab Imperatoribus Principibusq;, haud aliter quàm statuz, fortissimis uiris dono dari distribuiq; solebant. At pulcherrimo hoc instituto, tanquā uetustiori fortasse, postea abrogato atq; deleto, quiuis proprii insignis ad libitū et fingendi potestatem auctoritatemq; sibi uendicauit: consuetudoq; hæc temporis diuturnitate confirmata atq; corroborata, in usum modò transisse uidetur. Nec tamen, sicut nonnulli solent, in hoc temerè aut inconsultò est procedendum. Nec enim priuato alicui uiro Principis insigne arroganter sibi tribuere fas esse arbitramur: alias nanq; pœna contumax ille esset multandus, & supplicio aliquo propter cæterorum audaciam retundendam cõprimendamq; afficiendus. Nec item infimi ignoti; homines honestarū familiarum insignia sibi temerè asciscunt: sicut nec inter eos, qui in mercatorum artificum uel ordinem aliquē cooptantur, unius signū alterū sibi capere leges permittunt. Illud autem summatim nunc colligamus, quòd cuiq; quodlibet insigne sibi deligendi libera expeditaq; cõdonatur facultas; Principis tamen, ut dictum iam fuit, regio insigni posthabito ac derelicto: nisi fortasse Princeps ille fortissimū aliquem uirū propter amplissima merita, publico titulo elogioq; superaddito, citraq; ullam ipsius offensionē, proprio insigni honestare illustrioremq; reddere uoluisset. Nec artifices item, rustici, sordidiq; homines armorum insignia, quemadmodū clypeos, aliaq; consimilia sibi profectò usurpabant: uerū infima hæc hominum genera notas impressionesq; à proprijs nobiliū insignibus uarias dissimilesq; obtinebant. Idq; inprimis attendito, ne quisquam loco humili obscuroq; genere natus proprio insigni galeam seu conum, peculiare nobilitatis indicium, quandoq; superaddat. Quinctiā id Architectum memoriæ mandare oportet, ne, si nouum insigne ei construendum forsitan proponetur, imprudens falsitatem aliquam ibi induxisse redarguatur. Si nanq; lineæ, aut interualla, alia uel consimilia in medio erunt constituenda; nec metallo metallum, nec colorem colori superinducendū existimamus. Nec enim auro argentum, argento uel aurum, nec cæruleo purpureus color, nec uiridi niger superindui debent. Clypeo igitur ex metallo constante, quodcunq; in medio statuitur, coloratum perficietur: Contraq; clypeo colorato existente, quodcunq; medium imponetur, ex metallica materia constabit. Aues quinctiam, pisces, terrestriaq; animantia, que insignibus agglutinantur, singulorum naturis propria accommodataq; loca sortientur. Nec enim auis, nisi fluuialis fortè marina ne extiterit, in aquis diuersari gaudebit: nec piscis aut arbori innitens, aut in aere degens ab ullo, nisi fatuo fortasse stolido uel probabitur. Aquilam quoq; flori insidentē effingere, ridiculum utiq; foret; nec enim proprius rapacissimæ auis locus hic certè uidetur: At si illam prædæ unguibus inhærentem, aut extensas expansasq; alas gestantem induxerimus, animalis ingenij moresq; optimè expressisse iudicabimur. Terrestris quinctiam animantis, flammis undiq; circumfistentibus, imago, cum hoc naturæ, quam pro uiribus æmulari debemus, quam maxime aduersetur atq; repugnet, falsum profectò & mendax insigne constitueret. Nec id etiam silentio prætereundum existimamus, hominū nempe & animantium, quæ ipsis inferuntur insignibus, simulachra in nobiliores formas speciesq;, & quæ eorum uim ac fortitudinē magis ostendunt, esse componenda. Prisci nanq;, Reges sceptro & diademate instructos, Pontifices sacris uestibus summiq; sacerdotij ornamentis amictos, Imperatores armorū splendore strepituq; terribiles, aliosq; deinceps, prout singulorum ordo conditioq; requirit, excultos deformare solebant. Feras item, quemadmodum Leones, Ursos, Tigres, Pantheras, Pardosq;, sæuaq; eiusmodi animantia in irruentium, morsusq; parantium, necnon innatam ingenitamq; sibi feritatem ostendentium speciem aptissimè componemus. Equis præterea saltantium aut currentium imago perbellè conueniet. In animantium autem motionibus imitandis, pes dexter tanquam nobilior sinistro utiq; præferetur. Agnum huiusmodi molliter incedentem expatiantemq; inducemus. Itaq; naturæ uestigijs moribusq; seruatis, falsum insigne nunquam mehercle constituetur. Ut autem proprijs locis & idoneis sedibus colores in insignibus collocentur, eorum præstantiæ nobilitatisq; ratio nobis debet esse cognita atque perspecta: Colores nanq; nobiliores in illustrioribus profectò quàm ignobiliores, & magis conspicuis sedibus disponentur. Ea uerò certissima colorum distinctio solet afferti, ut quicunq; ad lucis fulgorem propius accedunt, ijs, qui à luminis claritate longius recedunt, excellentiores semper præstantioresque iudicentur. Aureus color igitur, propterea quòd Solem corporum omnium splendidissimum & quam maxime luminosum imitatur, nobiliori loco iure optimo statuetur. Huic Phœniceus mox succedit, quippe qui ignem cæteris elementis præstantiorem, alijsque corporibus, astris tantummodo Soleque potissimum exceptis, fulgentiorem repræsentat. Cæruleus color deinceps acutum, & Candidus aquæ elementum nobis referre existimantur. Alijsque colores postmodum uarijs terræ ipsius, rerumque terrestrium partibus atque proprietatibus significandis accommodati fuerunt: Viridis nanque campos, saltus, prata, collesque designat; necnon uernum anni tempus, ipsamque adolescentiam perbellè figurat. Atro color denique, utpote qui cæcā horridamq; tenebrarum i-

maginem refert, infima & ignobilissima ascribitur sedes: quanuis ille propterea quòd colores omnes pariter obicurarè obliterarèq; ualet, ceteris potentior existimatur. Nobiliora autem ædificiorum loca, ad insigniaq; collocanda ceteris opportuniora, tria potissimum esse dicuntur: locus scilicet ad altiora primùm, summisq; laquearibus propinquiora conscendens; quiq; secundò ad dexteram magis declinat; quiq; in medio demum statuitur & collocatur. Dexteram parietis eam nuncupamus, quæ nobis contemplantibus sinistra uidetur. In interioribus autem ædificijs, insignia differentes quippe situs ac positiones obtinebunt. Regium etenim Principis insigne domini ædium ipsarum insigni superius, cælum uersus, tanquam in superiori loco constituetur. Cetera autem insignia, quæ uel media consistent, uel ad dexteram declinabunt, tanquã alijs honoratiora certè habebuntur. Aedificijs uerò haud splendorem tantummodo ac uenustatem ea afferre perspiciuntur, uerùm usui quoq; in eo fore uidentur, ut quisnam ædis dominus esse dicatur, ex sola insignis ipsius inspectione mox certiores reddamur. Et de insignibus, ne Architectus in eorum cõformatione imprudens quandoq; labatur, crassa quadam Minerva tot dicta sufficiant.



Finis Quarti Libri Sebastiani Serlij de quinq; ædificiorum generibus uberrimè atq; eruditissimè differentis.  
IOANNE Carolo Saraceno interprete existente.





VENETIIS,

Apud Franciscum de Francis Senensem, & Ioannem Chrigher.

M D LXVIII.

# AD ILLVSTRISSIMAM NAVARRAE REGINAM

SEBASTIANVS SERLIVS.




U' M superioribus annis in prioribus, quos de Architectura conscripsimus, libris alia deinceps de eadem facultate volumina nos edituros esse receperimus, et librum hunc, cui quintã sedem adiudicamus, de sacris adibus pertractantem frequenter commemorare soliti essemus: ne mendacij crimen aut inconstantia notam subeamus, nostrarum memores pollicitationum debitum modò persolvere, & sacrum hoc volumen bonis auspicijs nunc denique promulgare determinauimus. Quauis autem intima ac penetralia templa fidelium corda potissimum esse ducantur, quibus Christus humani generis seruator atq; redemptor, fidei merito, inhærere & inhabitare censetur; Paulo præsertim, quem uas electionis, Apostolorumq; omnium celeberrimum, necnon præstantissimum Christianæ pietatis artificem atq; doctorem passim omnes appellant, sententiæ huic palàm subscribente: attamen exteriorum quoq; templorum constructiones, propterea quòd, tanquam imagines quædam, Dei Optimi Maximi domicilia in terris referre putantur, diuino cultui perquam necessaria haud immeritò quidem existimantur. Deus nanq; sacrosancta loca nonnulla ad diuinitatem ritè excolendam, & ad preces suppliciter in eum effundendas seorsum sibi constitui gaudet: quemadmodum Christus ipsemet, cum ex Salomonis templo rebelles Iudæos olim sugauit expulitq; , satis superq; ostendisse uidetur. Cum igitur hæc sæpius ante oculos nobis obuersarentur, idcirco duodecim templorum generatum formarum tum etiam lineamentorum varietate inter sese haud mediocriter dissidentia nunc composuimus: ad eum finem potissimum respectantes, ut posteri, si quorum mentes Dei cura pietasq; tetigerit, cum tempus rerum omnium sublunarium edax eas, quæ nunc extant, templorum structuras uetustate tandem labefactauerit atq; consumpserit, ad noua templa reparanda, & ex nostris hisce præceptionibus deducenda quandoq; excitentur. Verùm ne ab antiquo approbatoq; studiosorum omnium instituto recedamus, qui eorum opera ingenti labore maximis que uigilijs edita elucubrataque ijs, qui generis claritate, uirtutumq; splendore cæteris præstant, dedicare consueuerunt: Cum tu, Regina præstantissima, non solum perquam illustribus & generosis natalibus orta, & ex eo quouis amplissimo munere digna uidearis; Verùm fidei quoque & pietatis unicum, uix que imitabile ab omnibus constituaris exemplum: Cumq; tu insuper unã cum fratre Gallia totius potentissimo, tuique amantissimo Rege, innumerabilia propemodum in nos contuleris beneficia. His omnibus adducti rationibus, nostras hæc lucubrations sub sacris auspicijs tuis iure optimo promulgandas existimauius. Quod quidem exiguum munusculum si ea, qua nos tibi illud offerimus, à te quoq; alacritate suscipietur; haud mediocre tantummodo, Verùm maximum insuper fore profectò censebimus. Tibi autem interea & longæuam uitæ curriculum, & secundam ualitudinem ab omnipotente Deo supplices obsecramus. Vale.





**Q**UANTUM complures dissimilesque tum veterum tum recentiorum quoque templorum formæ per omnes gentes & regiones, quæ Christianam sectantur religionem, passim conspiciuntur: Cum nos tamen de sacrarum ædium constitutionibus uolumen quoddam exiguum conscripturos esse superioribus annis polliciti simus, idque cæteris, quæ iam præmissa fuerunt, uoluminibus adiungendum, & quinto loco reponendum existimarem: idcirco promissa iam absoluere cupientes, quoniam templorum genera inter sese quammaximè differentia ad numerum usque duodenarium perfici queant, tum accurata nunc explicabimus oratione, tum, adiectis designationibus, clarius adhuc patefaciemus. A rotunda autem sphericaque figura, tanquam ab omnium perfectissima, prima sumemus exordia. Verùm cum temporibus hæc aut propter fidei infirmitatem imbecillitatemque, aut propter immodicū profusumque; pecuniarum amorem, nullas magnificas sumptuosas ue sacrarum ædium constructiones homines aggrediantur, quin etiam si quæ templorum fundamenta à superioribus paulò liberalius iacta constitutaque fuerunt, nullum à posteris impensarū magnitudine perterritis exitum deinde nullamque perfectionē consequantur: hac nos persuasi ratione templa hæc nostra angustioribus, quantum scilicet structurarum eiusmodi genus patietur, finibus claudere ac definire enitemur, ut & minori pecuniarum iactura, & breuiori tempore ea nimirum compleri absoluique possint. Templi igitur, cuius Ichnographiâ subscriptam intueris, diameter in pedum lx producitur longitudinem, necnon tantundem interiori quoque eiusdem altitudini tribuetur. Parietis crassitudo deinde pedes quindenos, quartam uidelicet diametri partem occupabit: quod quidem ea ratione factum à nobis fuit, ut parietis ipsius crassitudinem sacella perquam commodè ingrediantur penetrentque. Singula autem eiusmodi sacella, scaphis, quæ ex utroque latere statuantur, ablati, pedum duodenum latitudinem obtinebunt: eademque, am-



pliciori scapha, quæ aram mediâ cõplectitur excipitque, si mul assumpta, in pedum xv longitudinem usque percurrent. Verùm ne paries tanta materię copia simul cõgesta operimatur, & prope modum obruatur, scaphę illę exteriores de inde facellis medię intercurrent, quarum singulæ in pedum xv latitudinē porrigentur. Templum autem è tellure quinq; gradibus, saltem in sublime educetur, neque si altius adhuc excitabitur,


reprehendendum mehercle uidebitur. Tellus namque temporis diuturnitate paulatim attollitur excrescitque, quemadmodum ex uetustioribus, nedum ex antiquissimis templis hucusque conijcere licet: quod enim olim homines ascendebant, eò nunc descendere clarè perspiciuntur. Quod uerò ad templi situm posituramque; at-

tinet,

tinere, antiqui aram ad Solem orientem collocabant. Mos tamen hic à nobis, qui Christi pietatē profitemur, contemnitur atq; negligitur: quocunq; enim templi structurā aggrediemur, uel ad plateam, uel ad nobilitatem semitam mox eius frontem dirigemus. De ratione autē fundamentorum illud planè cōstat, quòd si crassa illa profundaq; constitues, nequaquā certè aberrabis. Minima autē crassitudo talis nimirum efflagitur. Parietis supra terram designati crassitudine primū accepta, eam intra circulum mox aptato: Deinde circulo intra quadratum composito, ad quadrati angulos circulum alterū circunducito: Postmodum extra maiorem circulum quadratum aliud describito. Nouissimi quadrati huiusce dimetientem fundamentorum crassitudinem tibi definiturum pronunciamus. Ita nanq; Vitruuium, ubi de fundamentorū ratione sermonē instituit, intelligendum esse arbitramur. Et eiusmodi nempe figuram quarto uolumine, nobis de Tuscano ordine pertractantibus, in Tuscanæ basis explicatione descriptam deformatamq; comperies. Quod demum ad fundamentorum materiem, solidioraque, aut palustria humidioraque loca spectat, Vitruuium primo libro capite quarto & quinto de re hac copiosissimè differentem perlegito.

Templi rotundi Ichnographia iam expedita, modò eiusdem tum interiorum tum exteriorum Orthographiam proponemus: Vt autem utrunque clarè perspiciatur, templi figuram consultò ita perfregimus. Pars quidem interior Corinthio opere constat. At uniuersa deinde, ab imo scilicet pauimento ad summam usque testudinem, quam nostrates Cupulam, alijq; Catinum appellant, altitudo in pedes sexagenos attollitur. Dimidia autem hæc altitudo ipsimet testudini inseruiet. Quapropter altera in partes quinque ac semis diuisa, earum una coronici, zophoro, & epistylis coniunctim tribuetur: moxque quatuor reliquæ partes unà cum dimidia columnarum singularū, capitulis insuper basibusq; simul acceptis, altitudines merentur. Omnes autem generis huiusce commensus quarto uolumine in Corinthij ordinis pertractatione sigillatim à nobis descripti reperiuntur. Scaphæ seu Conchæ columnis interiectæ, pedū quaternum latitudine, pedumq; denum altitudine finientur. Cæteræ scaphæ deinceps, tum quæ ad ianux ingressum, tum quæ ad terna sacella seu delubra consistunt, in pedū senum latitudinem, & in pedum quindenum altitudinem utiq; excurrent. Apertionis hiatus, unde ætherea lux ad templi interiora transfunditur atq; delabitur, septimā diametri templi ipsius portionem absoluat, & in testudinis seu hemisphærij uertice statuatur. Supra apertionem autem uitreum tholum, siue, ut nos loqui consueuimus, uitreā laternam aptissimè collocabimus. Et ad templi quidē corpus illuminandum spiraculum hoc satis superque futurum existimamus: Delubra nanque ex proprijs fenestrarum apertionibus lucem suam seorsum hauriunt atque combibunt: quemadmodum tum ex Ichnographia, tum ex interiori exterioriq; Orthographia cuius percipere licet. Templi summum & extrinsecum tegumentum è materia, quæ regioni magis expediet, constituetur: uerū si plumbeum illud conficiemus, firmiore atq; stabiliorē structurā profectò reddidisse uidebimur, gradib. deinceps ex lapide, quæ regioni magis

familiarē, magisque in ædificantiū usu esse cōspiciemus, formatis cōpositisque. Coronix exteriori interiori coronici persimilis erit: membra tamen, ut ab imbrū uentorumq; iniurijs diutius sese incolu mē tueatur, formosiora utique nanciscetur. Quauis autem sacellum, quod ianux è regione opponitur, aræ primariæ usum haud incommodè quidē exhiberet: alia tamē ara, quæ, prout Ichnographia demonstrat, cuius in aperto & in propatulo foret, in media æde rursus excitari cō-




parariq; posset. Nec illud te quicquam perturbet uelim, templum hoc sacrario, personanteq; turre, proprijsque diaconorum subdiaconorumque domicilijs esse destitutum. Nā & turrim cauo ære circumstrepentē, symmetriæ utique memores, in altum ibi educemus: & sacrarium sub turri appositè collocabimus; & sacerdotum diuerforia circumcirca ita distribuemus, ut ipsi templo proxima ædes nacti ad sese mutuò cōuenientes per secretos tectosque calles ingredi queant. Ianux deinde cæterorumque ornamentorum formæ, proprijsque commensus, facillè quidem expedientur. Columnarum autem capitulorumque moduli ex ijs, quæ quarti libri initio de columnarum mensuris à nobis tradita conscriptaq; fuerunt, mox patefient. Si enim columnarum ipsarum ratio è Dorico, uel Ionico, uel Corinthio, uel Composito genere deducetur, ad quartum librum necessariò erit confugiendum: proprijsque singulorum ordinum commensus, prout ædificiorum diuersitas efflagitauerit, inde tanquam ex uberrimo fonte haurientur.

Rotundi




Rotundi templi structurā, facellorum insuper comitatu insignitam atq; distinctā, hæcenus explicuimus: modò templum aliud sphaericae item figuræ formandū aggrediemur, cuius quatuor facella, eius nempe vestibulo facelli unius rati onem obtinente, extra rotunditatis ipsius ambitum proferentur. Inter delubra autem hæc quatuor, quatuor scaphæ seu conchæ mediæ constituentur, quæ facellorum usum atque opportunitatem haud contemnendam certè exhibebunt, ad eò ut septem aræ excitari perquam commodè poterunt. Templi huiusce diameter in pedes *xlviij* utiq; excurrit, necnon altitudini tantundem pariter tribuetur: Parietis crassitudo septimam sibi diametri partem uendicabit. Maiora quidem delubra, scaphis, in quibus aræ extruuntur, exceptis, pedū duodenam latitudinē unde quaq; obtinebunt: Minora autē facella pedum nouē latitudinem fortientur. Quadrata quidē delubra à lateribus lucis usum ac beneficiū acquirent: At medijs tēpli ipsius ambitus à summæ testudinis apertione sydereum lumen accipiet atq; combibet; cuius quidē apertionis diameter quintā dimetientis templi totius portionem absoluet, tholo, quem nostrates laternam appellant, prout in proxima tēpli alterius constitutione habitum fuit, adiecto superadditoq;. Ei autē sententiæ perpetuò adhaerimus, ut sacrarum aediū pauimenta, gradib. aliquot interiectis, in altū excitanda attollendaq; existimemus: quò enim pauimentū è tellure ad altiora conscendet, eò melius utiq; respondebit. Id tamen aedificantes imprimis curabunt, ut gradationes impari numero semper constituentur; ut supplicaturi uidelicet, cum à dextro pede ascensionis exordia sumplerint, dextro itē crure in templi ipsius planicie demum consistant. Et hoc nempe Vitruuius libro tertio de sacris aedib. sermonem instituens, clarè admodū protulisse uidetur. Verum enim uero si regio sicca, minimeq; uda extiterit, ima quædā conclauia, quæ oratoria uulgò nuncupantur, sub tēpli ipsius solo abditè construentur; mulieribus, ne subterranea hæc clandestinaq; loca ingrediantur, graui pœna imposita, multaq; irrogata: nec. n. hæc temerè aut inconsultò à nobis effutiuntur. At eiusmodi cuniculi sacerdotib. natuq; grandioribus uiris, qui Deum acriter meditantur & summo opere colunt, duntaxat patebunt, eorū aditu cæteris uetito, atq; secluso. Quoniam autē aedificiorū anguli ad obscenos illiberalesq; actus

homines allicere solent, ut tēplum hoc quadrato pariete ad graduū altitudinem pertingente circumdetur, & undiq; cōcludatur, nobis quā maximè probaretur; ne scilicet tā facile expedireq; ad eum omnes admitterentur. Vacua autem huiusmodi loca bustuarijs seu sepulchretis quæ Cimiteria uulgò dicuntur, perquam commodè inseruient.




Interiori, exterioriq; sphaerici templi Ichnographia haecenus demonstrata, tam intimam quam extimam templi eiusdem, quod consultò ita, prout uides, disiunximus ac separauimus, Orthographiam modò tibi conspicendam proponimus. A pauimento quidem ad summam usque testudinis ambitum altitudo, imò templi ipsius latitudini aequalis omnino constituetur, in pedes enim xlvij excitabitur atque attolletur: parteq; dimidia testudinis hemicyclo attributa, in eius uertice ad aedificium illuminandum apertio quaedam effodietur, cuius diameter quintam diametri templi ipsius portionem explebit. Supra apertionem autem tholum, quem nos laternam appellare consueuimus, uitreis specularibus clausum & undique septum, necnon plumbo, siue alia quacunque materia, prout ex designatione perspicitur, munitum atque contactum collocabimus. Sub exoriente testudine coronix ad incumbens Ionicorum arcum in Marcelli theatro extantis, quam quarto uolumine in Ionico ordine à nobis descriptam comperies, exactam similitudinem formabitur atque effingetur. Coronix hæc bipedalem ac semis altitudinem obtinens, templum circumcirca tanquam fascia quaedam constringet & complectetur. Verùm ubi pilæ modicè prominentes, & humilibus expressionibus statuentur; coronix à corona ad inferiora resiliens, capitulorum usum opportunè admodum exhibebit: at corona Simaëque nequaquam certè resiliens, sed eadem perpetuaque ratione semper progredientur, etsi nos ea cum membris omnibus resiliencia imprudenter hic designauimus. Pilæ singule tripedalem semisque latitudinem sortientur. Maiora quidem delubra pedum duodenum latitudine, pedumque unius & uiginti altitudine fientur, quadratisque, ut dictum fuit, superficiebus concludentur; scaphis tamen, ubi aræ consistunt, prætermisissis atque seclusis: ipsaque à lateribus, quemadmodum tum ex interiori, tum etiam ex exteriori Orthographia quouis perspicere ualet, Solares radios utique excipient. Quatuor deinceps minora sacella pedum nouem latitudine, pedumque tredecim ac semis altitudine terminabuntur, singulaque hemicycli sinu ambituque circumscribentur. Ternis delubris, & uestibulo insuper quarti delubri rationem obtinenti, ruderatū quoddam statuminatumq; prona aliquantulum decliuitate pauimentum superstruetur, quò per breuiorem cochlidem in parietis ipsius crassitudine residentem ascendentes demum peruenient. Supra coronices, deinde plutei è ferreis uirgis, aut latioribus columellis constituentur. Summum denique templum materia, quæ regioni commodior & familiarior extiterit, extrinsecus adhibita contegetur: plumbea tamen structura reliquis tegumentorum speciebus longè præstabit. Quòd si non omnes sigillatim commensus oratione persecuti complexique fuerimus; exigui pedum moduli, quos in templi uestigio descriptos intueris, orationis defectui mox opitulabuntur atque succurrent.




Rotunditatis



Rotunditatis præstantia ac perfectioni figura in oui morem acuminata atque compressa deinceps succedit: quapropter ouatum quoque templum nunc construere & in medium proponere libet, cuius in pedes xlvj latitudo, & in pedes lxxvj longitudo utique excurret. Parietum crassitudo octopedalis constituetur, intra quos nonnulla ingredientur facella: quæ etsi haud latius expatiantur, cum tamen nullis arcentur siue coangustentur clausuris, usui satis superque fore uidebuntur. Bina maiora delubra, pedum xx semisque apertionem figillatim explebunt: Scaphæque binæ, quarum singulæ quadrupedales erunt, utrobique ad latera in interiori parte apponentur. Ambarum autem apertionum unaquæque duabus rotundioribus columnis, quarum crassitudo sesquipedalis existit, media abscinditur atque secatur: duæque utrobique in lateribus semicolumnæ consurgent. Medianum quidem intercolumnium in pedes septenos, dimidiumque præterea extenditur: Quæ uerò in lateribus utrinque extant intercolumnia, quadrupedalia, quadrante insuper addito, existent. Horum autem delubrorum utrunque trium fenestrarum apertionibus exhilarabitur atque nitescet, quarum media sexpedalis, & laterariæ tripedales utique erunt. Delubrum in fronte ad aram primariam constitutum decempedalem latitudinem obtinet, & pedes senos intra parietem ipsum ingreditur; scaphis eademmet ratione, prout in maioribus delubris uisum iam fuit, dispositis & collocatis, fenestraque super aram septempedalem latitudinem sortiente. Quaterna facella deinceps, quæ tribus iam iam commemoratis expositisque delubris media interiacent, in hemicycli formam ac ambitum circuncurrunt: singulæque decempedalem latitudinem obtinentia, eademmet scapharum, ut in superioribus, distributiones persequuntur; singulæque aræ superincumbentem fenestram quadrupedali latitudine sortientur. Quauis autem, omnibus delubris & facellis proprio lumine exuberantibus ac refulgentibus, medium quoque templum satis superque lucis habiturum uideretur: ut tamen splendidissimum illud & quammaximè luminosum reddatur, aliæ adhuc fenestrarum apertiones facellis superiores perfodientur, templique ipsius pavementum quinque saltem gradibus à terra in sublime educetur. Quòd si altius adhuc insurget, iucundior nimirum & formosior præseferet aspectum. Ianua demum sex pedum latitudine finietur, & pilis quaternis Corinthio opere perfectis elaboratisque instructa apparebit: moxque in eius ingressu adituque binæ scaphæ, quemadmodum in facellis, & prout ex subiecta constat Ichnographia, utrobique in lateribus resident ac collocantur.




Subscripta figura interiorem Ouati templi Orthographiam proponit, cuius Ichnographiam iam antea de monstrauimus. Eius quidem à pavimento ad testudinem usq; altitudo in pedes xlvj attollitur, tantundem enim latitudini quoque modò assignauimus. A pavimento autem ad summam coronicem pedes xxiiij intercedunt: quibus in quina æqua segmenta distributis, eorum unum coronicæ, zophoro, epistylioque coniunctim reddetur, & quatuor reliqua pilarum facella distinguendum altitudines metientur. Proprii deinde commensus quarto volumine in Corinthij ordinis pertractatione sigillatim à nobis descripti comperientur: huiusce enim templi structura è Corinthio genere tota deducitur. Maiorum delubrorum spatia hac utiq; distribuentur ratione. Mediana intercolumnia pedibus septenis, dimidioque præterea constabunt; quæ uerò in lateribus statuuntur, quadrupedalia, quarta parte insuper addita, existent: Rotundæ columnæ selsquipedalem, semicolumnæque dimidiam crassitudinem obrinebunt; adedò ut singulæ integræq; delubrorum apertiones ex uicenis pedibus, dimidioque præterea constituentur. In superiori autem Ichnographia semicolumnarum designationis imprudenter quippe à nobis prætermisæ fuerunt. Eiusmodi uerò columnæ duodenum pedum sibi altitudinem uendicabunt. Epistylij altitudo pedalis erit, ipsique arcus desuper innitetur, cuius uertex ad imam usque epistylij templum circumambientis complectentisque partem educetur: rotundarumque eiusmodi columnarum formæ moduli que ex eodem, quem modò adduximus, Corinthio ordine deducuntur. Ianua, que madmodum suprâ etiam diximus, quatuor planis columnis forma magnitudi neque interioribus columnis omniao persimili exornabitur atque instruetur; quibus coronix eadem superincumbet: Ianuæque forma in arcum pilis duabus planis iuxta planas ipsas columnas innitentem aptabitur & componetur. Templi huiusce Cælum elegantius adhuc, quàm hic designauimus, exornari expoliriq; poterit; fenestris, prout ostensum iam fuit, supra coronices extractis; ijsque ornamentis, quæ Architecto magis congruere uidebuntur, excogitatis atq; repertis. Quinetiam ex plumbo magis quàm ex alia quacunq; materia summum ipsum templum tegendum atque cooperiendum existimamus; ut superiorum uidelicet fenestrarum, quæ eò pertingunt, inuolucra ac tegumenta firmiora ualidioraque existant.



Pentagona




Pentagona figura, ex quinque nempe lateribus constituta, in aedium structuris difficiliorem nimirum nec concinnam admodum praestat symmetriam: in quouis enim laterum ianua collocabitur ac statuatur, angulus ipsi e regione mox respondebit ac opponetur, quod quidem peritiores Architecti nullo pacto quippe ferendum admittendum uel censent. Nos tamen figuram hanc ad usum deducere cupientes, partem exteriora quinque, interiora autem decem lateribus determinauimus ac circumscripsimus: cuiusmodi nempe dispositionem haud inuenistam omnino incommodam uel censemus. In angulo enim, qui ianuae ex aduerso respondet, delubrorum maiorum unum satis appositè quidem residebit. Templi diameter in pedes lxx utiq; producet. Maiora delubra, ternis scaphis tamen exceptis, in pedum xv latitudinem quoquoersus excurrunt: scapharumque singulae decempedalem latitudinem obtinebunt. Sacellis minoribus item eademmet accommodabitur latitudo: quae quidem intra parietis crassitudinem pedes quaternos porrecta primùm ingredietur, deinde hemicycli pedum xiiij latitudine complexu continebuntur. Sacellis maioribus duae, minoribus autem una tantummodo, fenestrarum apertiones sigillatim assignabuntur. Ianuae latitudo septempedalis semipedalisque existet. Extra ianuam porticus decempedali latitudine, & pedum xxiiij longitudine statuatur. Porticus haec pilis quaternis bipedali crassitudine fulcietur. Medianum intercolumnium decempedali, extrema uerò quadrupedali latitudine finientur. Ad ambo autem porticus ipsius latera, propter incumbentium commoditatem, latiorum depressiorumque columnarum perpetua quaedam series instruetur. Ad ianuam postmodum hinc & illinc duae cochleides tum ad porticum conscendendam, tum etiam ad templum circumcirca perlustrandum peragrandumque excitabuntur. In media autem summi templi testudine tholus seu specula, quam nos laternam appellamus, residebit; cuius interior diameter in pedes duodenos utique excurrat: parsque interior decem, exterior autem quinque, ad templi similitudinem, lateribus continebitur atque circumscribetur. Templi solum siue planicies à terra, nouem gradibus interiectis, superiora capeffet. Et si palustris fortasse humidus uel locus prohibuerit, subterraneum conclaue, quod Oratorium uulgo nuncupatur, constituetur: ipsaque structura longè salubrior utique existet. At quoniam templum hoc quoque, sicut caetera superius adducta, sacrario, sacerdotali que hospitio, sonoraque turre destitutum conspicitur: duo aerea ac personantia tympana, nonnullis ornamentis adiectis, supra templi ipsius ostium ritè collocare licebit: aut extra templi eiusdem ambitum, symmetrijs perquam diligenter animaduersis obseruatisque, eiusmodi cuncta perbelè tandem instrui accommodarique poterunt.



p. 25.

Præsentis ædis Pentagonæ, cuius Ichnographiâ iam antea præmissimus, designatio tû exteriorē tû interiorē quoq; Orthographiam proponit: Tota autē integra perpetuâq; structura exteriorē templi faciem ostendit. Idq; inprimis attendito, quod sacræ ædis huiusce altitudo eiusdem latitudinem equat: superiorq; tholus, quem recentiores laternam appellant, tantum altitudinis, quanta ad coronices usq; eius extenditur latitudo, obtinebit; supraq; coronices tectum in hemisphærij formam rotundabitur atq; circumducetur: itaq; à pavimento ad summam usq; coronicem pedes xxxj, dimidia uidelicet templi ipsius altitudo, intercedent. Coronix autem, propterea quod nuda absq; zophori epistylijq; adiectione statuitur, bipedalis ac semis conficitur, eamq; distributionis rationem habebit: ut altitudine in septem portiones distincta, earum una astragalo & regulæ simul applicetur, duæ hypotrachelij locum & ordinem obtinebunt, duæ item Echino & annulis pariter tribuentur, duæq; nouissimæ plintho & cymatio tandem reseruabuntur: itaq; coronix hæc epistylij, zophori, coronicisq; simul usum explebit. Forma autem proprijq; commensus quarto uolumine in Ionico ordine, ubi incumbarum, quæ in secundis Theatri Marcelli fornicibus conspiciuntur, exemplar, T litera appositâ, designauimus, sigillatim descripti comperientur. Eademq; coronix ædificio tam interiori quàm exteriori utiq; inseruiet. Columnæ porticum fulciantes, quadratæ quoquouersus existent; eademq;, basibus capitulisq; simul adiunctis, ad pedum xiiij altitudinem erigentur. Earum crassitudo bipedalis ac semis conficitur, epistyliumq; dimidiæ columnæ crassitudinē adæquabit. Epistylio arcus desuper innitetur, cui coronix membris ipsidem, quæ alteri coronici inesse à nobis iam iam demonstrata fuerunt, distincta, quarta parte tamen humilior superaddetur: eaq; minoribus, quæ sub ipsa resident, pilis capitulorum usum ministeriumq; exhibebit. Columnarum, quibus porticum instructam conspiciamus, capitula, basesq; similiter è Dorico ordine deducuntur. Supra coronicem podium uel ex ferreis uirgis, uel ex lapideis columellis excitabitur atq; instruetur: coronicisq; eiusdem planicie æquatum complanatumq; solum, necnon decliue aliquantulum superinducetur. Et tot quidem de exteriori parte dixisse sufficiat. Quod uerò ad templi ipsius spectat interiora, spatium illud crucis signo conspicuum, maiorum quippe delubrorum, quæ quidem singula ad pedum xxv altitudinem efferuntur, imaginem nobis ostendit. Spatium autem L. consonante inscriptum, minorum facellorum, quæ ad eandem prorsus altitudinem excitantur, exemplar nobis demonstrat. Pilæ quadratæ facella distinguentes, tripedali latitudine, & pedū xix altitudine finientur: coronixq; templū obambiens atq; circumdans, quæ eiusmodi pilis capitulorum usum munusq; præstabit, in summa parte constituetur. Coronix autem huiusce forma Dorici capituli speciem, membris quadam ex parte tantummodo uariatis permutatisq;, imitabitur referetq;.




I I

Hexagona




Hexagona figura, sex nempe lateribus circumscripta, satis quidem perfectionis est affecta: semidiameter namque singulis hexagoni lateribus par & æqualis conspicitur. Et hinc nimirum Italiæ locis compluribus circinum Sextæ appellationem obtinuisse arbitramur: circulo namque descripto, circinoque neque compresso neque diducto, circini ipsius intercapedo sextam rotundationis portionem absoluit. Templi igitur huiusce Ichnographia sex lateribus aut faciebus, quocunq; nomine ea duxeris appellanda, continebitur atque comprehendetur; eiusq; diameter in pedes xxv saltem excurret: Parietis crassitudo quinquepedalis existet, ipsaq; facella decempedali latitudine finientur, & pedes quaternos intra parietem ingredientur penetrabuntq;: Scapharum seu Concharum latitudo bipedalis statuatur: Templi ipsius ostium quinquepedalem latitudinem obtinebit, duplicibusque columnis, columnis alijs sibi ex aduerso respondentibus, exornabitur atq; in-structur; singularum crassitudine pedali, quarta parte superadiecta, existente. Ad ostium autem conscenden- dum tres aut plures etiam, situ ita exigente efflagitanteque, gradationes præmittentur. Delubra singula qua- drupedales, dimidiasque insuper fenestrarum sibi uendicabunt apertiones: Quapropter facellis nitidum copiosumq; lumen in templum ipsum transfundentibus, à tholo in media testudine erigendo imponendoq; abstinere poterimus. In exteriorib. angulis deinde pilæ quædam planæ erigentur, quæ bipedale & quadrantale insuper latitudinem nanciscentur. Quauis autem templi huiusce diametro pedes xxv tantummodo assignati fue- runt, quacunq; tamè proportionis specie templi area augeri amplificariq; poterit: Quinetiã si dupla adhuc eius cõstitueretur latitudo, elegantem nec improbandam symmetriã utiq; retineret. Quòd si in eiusmodi accretione columnæ forsitã crassiores euaderent, nec materia tali crassitudini idonea nobis fortè suppeteret, Corinthiæ tunc Ioniciæ uel columnæ deligendæ uidebuntur: aut stylobatis subiectis suppositisque, & columnarum scapis ad ma- iorem nimirum gracilitatem atque tenuitatem redactis, in Dorico adhuc ordine perseuerabimus ac persistemus: cu- ius quidem propria membra propriisque commensus è quarto libro, ubi singulorum ordinum modulos co- piosè, ni fallor, tum oratione tum designationibus complexi persecuti que sumus, facillimè deducuntur. In sa- crarijs demum, sacerdotumque diuiciorijs, & personantibus turribus disponendis collocandisque præceptio- nes, quas superius tradidimus, obseruato.



Hexagoni templi Ichnographia iam absoluta, modò tum exteriorem tum etiam quadam ex parte interiorem Orthographiam patefaciemus: singula nanque delubra tum inter sese, tum etiam ianuæ ipsius aditus uestibuloque simillima quidem existunt. Exteriorem igitur Orthographiam aggredientes, à planicie ad coronicem usque pedes xvij intercessuros affirmamus. Coronix demum sesquipedalem altitudinem obtinebit, membraque ipsius distributionem Dorico capitulo omnino persimilem sortientur. Cùm enim coronix complexu suo templum circumambiat atque circundet, necnon super quadratas pilas resilire uideatur, capitulorum certè uicem munusque hac ratione exhibebit: dummodo plinthus atque cymatium, quemadmodum ex præsentis habetur designatione, eodem perpetuoque ordine semper incedant. Angulares pilæ bipedali semique latitudine statuentur: Frons anterior rotundioribus columnis, quibus aliæ è regione oppositæ respondebunt columnæ, cohonestabitur atque perficietur: Medianum intercolumnium pedibus septenis, semipedeque insuper terminabitur: Columnæ deinceps pedali & quadrantalibus insuper crassitudine finientur: Binis columnis semicolumnæ spatium intercurret. In pedes autem octonos, trium quartarum adiectione, eadem erigentur columnæ: capitulaque è Dorico, basesque è Tuscano ordine deducuntur; cuiusmodi quidem bases pilis etiam extrinsecus appositis optimè inseruiunt, easque circumcirca amplectentur. Epistylj altitudo pedalis constituetur, cui arcus mox desuper imponetur: Ianuæque deinceps, quemadmodum ex ipsamet designatione perspicitur, multiplici uarioque ornatu adhibito cohonestabitur atque splendet. Templi pavementum quinos è tellure in sublime excitabitur pedes: cælumque ipsius plumbo, uel alia quacunque, cuius regio fecunda copiosaque extiterit, materia uelabitur atque obducetur. Et hæc de exteriori Orthographia satis superque censentur. Quod autem spectat ad interiora, sacelli quippe unius exemplum, cuius imaginem hic supra templi ipsius structuram expressimus atque delineauimus, ad delubrorum omnium rationem patefaciendam suffecturum arbitramur. Exterior uerò coronix ad interiorem quoque partem penetrabit: nam & interiora quoque circumcirca, haud aliter quam exteriora, perambulat; & supra pilas, quemadmodum de altera diximus, hæc quoque nonnihil resilire conspicitur. Singula autem delubra decempedalem latitudinem, & pedum xij semisque altitudinem obtinebunt: & pedes quaternos intra parietis crassitudinem permeabunt, scaphis singulis ad singula latera appositis, & singulis fenestrarum apertionibus ad singula delubra illuminanda illustrandaque in medio constitutis; quæ quidem septempedali altitudine, quadrupedali que latitudine sigillatim omnes terminabuntur. Quauis autem superiora templa, quæ hæcenus à nobis exposita designataque fuerunt, altitudinem latitudini parem semper habuisse comperiuntur: præsentis attamen templi structura cùm angustioribus finibus coerceatur, altitudinem diametro eius latitudinem metiente ampliore aliquantulum iurè mehercle obtinebit: ex pedibus enim xxxvij ac semi altitudo constabit, totumque diametrum, & dimidiam insuper eius portionem explebit.








Octogona figura ædificijs, & sacris ædibus præsertim perquam commoda fore uidetur: quapropter nos hac in parte octogoni templi tam interioris quàm exterioris Ichnographiam subiiciemus. Interior quidem templi diameter in pedum xliij longitudinem producet. Sacella singula decempedali latitudine concludentur: quorum terna quinquepedalem parietis crassitudinem ingredientia ac permeantia, arcuatis quippe conuersionibus statuentur; quatuor autem reliqua hemicyclorum sinu ambituque continebuntur. Singulaque eiusmodi sacella scaphis duabus quadrupedali latitudine cohonestabuntur: Arcuata quidem teretes fenestras, & columnis utrobique distinctas, latitudinemque sacellis ipsis æqualem gestantes habebunt: At mediana, in hemicycli uidelicet ambitum atque rotunditatem composita, quadratas quadrupedali latitudine fenestrarum sortientur apertiones. Ianuæ uestibulum sacello, quod è regione opponitur, persimile existet: ipsa quoque ianua in quinquepedalem latitudinem extensa quadratis exornabitur ac instruetur columnis, necnon circa templum tam intrinsecus quàm extrinsecus quadratæ pariter adhibebuntur columnæ. Verùm quia in templi huiusce structura nullum adhuc primarium extat delubrum, idcirco medianam



aram

aram sphaerica testudine octo pilis suffulta contactam hic extruere excitareq; libet, quæ pedum duodecimum mox latitudine finiatur. Quamuis autem tres gradationes ad templum adendum conscendendæ hic tantummodo proponuntur, si plures tamen adhuc intercederent, nobis id magis utiq; probaretur. Quinetiam, nisi loci situs atque positio repugnauerit, subterranea loca ad octo conclauia, quæ oratoria uulgò nuncupantur, constituenda effodientur: quorum aditus atque uestibula ad ianuarum ipsius latera sub ipsis scapharum sedibus ritè collocabuntur. Præterea intra parietis crassitudinem duæ cochlides, per quas ad templum interiora tum exteriora peragrandæ perlustrandæque ascendentes perducerentur, appositè admodum educi excitariq; possent: Quinetiam interiora abditaque eiusmodi itinera seu decursoria ad superiorem coronicem complures exitus nimirum præstabant, ibique bipedale spatium ambulantiq; patebit. Quòd si templum maiori adhuc capacioremq; ambitu extruere uoluerimus, membra omnia, symmetriarum perpetuò memores, quantumlibet amplificare adaugereq; poterimus: necnon, ut sacellorum fines ac termini ulterius extendantur, parietes crassiores tunc formabimus atque effingemus. Sacraria demum, sacerdotumq; ædes, personantesq; turres ita, quemadmodum aliàs diximus, à nobis collocabuntur atque distribuentur. Et eiusmodi quidem rerum exempla formasq; complures ex cæteris nostris uoluminibus accipere tibi licebit: quæ à quolibet mediocri etiam ingenij uiro & eleganter unà permisceri, & multipliciter, prout occasio efflagitauerit, transponi permutariq; poterunt.






per efficientur . Delubra in hemicycli ambitum expansa ac dilatata ad eandem, quam supra diximus, altitudinem erigentur : Scaphæque omnes pariter pedes denos in altum assurgent . Testudinis, quæ unâ cum altari in media æde constituitur, exemplum hic apposuimus . A pavimento autem ad summam usque coronicem pedes xvij intercedent, quorum ternis coronici unâ cum eius zophoro & epistylio ascriptis assignatisque, reliqui pedes deinde pilis ipsis distribuentur, inter quas arcus deinceps semipilis innitentes medij collocabuntur : Vniuersaque structura è Dorico genere deducetur, quemadmodum ex ipsamet designatione, quæ tum interiora tum exteriora templi demonstrat, satis superque perspicitur, & ex superiori Ichnographia clarius adhuc intelligitur . Coronici demum spherica testudo in hemicycli ambitum extensa superinducetur . Quòd nisi modulos omnes nostra perstrinxerit oratio, pedes illi exigui, quos in areæ descriptione superiori delineauimus atque depinximus, mox tibi cuncta suppeditabunt expedientque.




Quoniam octogonum templum à nobis hactenus figuratum, nullum iusta magnitudine ampliori; ambitudelubrum, propterea quòd facella intra parietis crassitudinem extruuntur, recipit admittitque: idcirco, ut ad quaterna maiora delubra, quæ ad mediæ tamen ædis proportionem ac symmetriam constituentur, aptum accommodatumque; spatium nanciscamur, templi alterius formam speciemque interius quidem octogonam, extrinsecus autem quadratam in medium hic afferemus. Templi diameter primùm pedibus 1xv constabit: Parietum crassitudo deinceps pedum xvj erit: Delubra singula pares, pedum uidelicet duodecim, obtinebunt apertiones; primi que eorum aditus tripedalibus femi que parietibus concludentur. Angularia facella quadrata utique existent, & pedibus xvj undequaque terminabuntur: pilæ que ad cameras superiores fulciendas sustinendas que in angulis statuentur. Delubris tres scaphæ, necnon tres aræ sigillatim assignabuntur: scaphæ que singulæ pedum duodecim latitudinem explebunt. Terna facella minora, pedes undecim lata conficiuntur, pedes que ternos ac semis insuper intra parietes ingredientur penetrabuntque: Eadem autem, si scaphæ, quæ pedum nouem sibi uendicant latitudinem, detrahantur, in pedum xxij longitudinem producentur: Minora que item generis huiusce facella singulis fenestrarum sexpedali latitudine apertionibus illustrabuntur. At in delubris maioribus singulæ scaphæ medianæ bina supra se fenestrarum lumina habebunt, angulares autem scaphæ obscuras ac simulatas fenestrarum apertiones sortientur: Et eiusmodi quidem fenestrelle tripedali semi que latitudine omnes definiuntur. E minoribus autem facellis unum, perquam aptè opportunè que in templo uestibuli rationem munus que exhibebit. Frons ædis anterior planis columnis instruenda cohonestanda que uideretur; necnon in media fronte spatiosa quædam porticus, pedum septendecim longitudine, & quinquepedali latitudine residebit; & præter quaternas rotundiores columnas, pilæ columnis è regione oppositæ statuentur. Columnæ pedalem, tribus quartis superadditis, crassitudinem obtinebunt. Ostij latitudo sexpedalis utique existet: quòd per sex, uel plures quoque, loci opitulante siccitate, interiectas gradationes ascendentes demum pertingent. Quoniam autem nullum maius,






quod ianuz ex aduerso respondeat, hic apparet delubrum; sphericam testudinem altare ei suppositum cooperientem ibi excitare poterimus, quò per tres gradus ascendere nobis licebit: ipsaque testudo diametro uicenis pedibus constante media secabitur ac diuidetur. Pilæ tripedali, & semipilæ pedali tantummodo crassitudine constituentur: Planæ demum angularesq; pilæ in tripedalem latitudinem extendentur. Templum hoc quannis sacrario, sonoraq; turre, sacerdotumq; domicilijs destitutum conspicitur: cunctæ tamen generis huiusce appendices, quemadmodum suprâ iam admonuimus, paruo labore adiungi postremo superaddique poterunt.

Octogoni templi Ichnographia iam absoluta, ad exteriorem eiusdem Orthographiam modò accedamus. A porticus pauimento ad summam coronicem pedes xxxij semiq; intercedent: Quo quidem spatio in sex partes distributo, partium illarum una coronici, zophoro, epistylioq; coniunctim reddetur: mox quinæ, quæ remanent, portiones planarum columnarum, quæ bipedali semiq; crassitudine terminantur, altitudines metientur. Et hæc columnarum gracilitas, propterea quòd binæ in unum coeunt atque congregiuntur, parumq; eminentes insuper habent expressiones, ne utiquam certè reprehendenda improbanda'ue uideatur. Cunctos autem eiusmodi modulos quarto libro in Ionico ordine diffusè admodum explicuimus, persecutiq; sumus. Coronici spherica testudo, quam Tribunam Cupulam'ue nostrates appellant, mox superindacetur: cui ad templi corpus medium illuminandum tholus seu specula, quæ laterna uulgo nuncupatur, superior adhuc extractur. Proprij autem tholi huiusce commensus mox exiguis, quos in area descriptos intueri licet, pedibus expedientur. Teretes columnæ porticum fulciantes pedum xij altitudinem obtinebunt, quibus pedale deinceps epistylum imponetur, eiq; mox arcus superincumbet. Supra arcum deinde coronix altitudine columnæ ipsius crassitudini prorsus æquali collocabitur atque constituetur, eandemq; prout capitulum Doricum, distributionis rationem acquirat: ipsæq; columnæ Doricæ nimirum existent. Figura A, quam subscriptam intueris, delubrorum eorum, quæ extra parietem tripedalem prominentiam egressione'ue sortiuntur, speciem ostendit; partemq; refert exteriorem, quæ hemicycli deinde ambitu, prout apparet, comprehenditur & continetur.



Octogoni templi exteriorem Orthographiam iam patefecimus, modò interiorē quoque eiusdem situm atque dispositionem subscribemus: Ex quo illud etiam intelligetur, quam ratione uidelicet in quaternis templi ipsius angulis atque uersuris supra coronicem spatium quoddam, quò per duas cochlides scalas ascendentes feruntur, pateat atque extendatur: & eiusmodi nempe cochlides in areæ designatione à nobis appositæ figuratæque conspiciuntur. Templi altitudo primùm diametro æqualis constituetur, cuius nempe altitudinis pars dimidia sphericæ testudini assignabitur: mox altera in partes sex distributa, una quidem coronici, zophoro, epistylioque simul continget; & quinque reliqua segmenta planis ipsis pilis demum reseruabuntur. Pilæ autem bipedali semique latitudine perficientur, uniuersique operis structura Dorica uti que existet. Singuli uerò commensus quarto uolumine in Dorici ordinis explicatione à nobis enumerati conscriptique fuerunt. Sacella pedum duodenum latitudine, pedumque  $xxiii$  altitudine sigillatim definiuntur: Scaphæque omnes seu Conchæ ad pedum quindenum altitudinem pariter erigentur; earum autem latitudinem in superiori iam exposuimus Ichnographia. Summæ denique speculæ, quam uulgus laternam appellat, hiatus pedum  $xii$  diametrum sortietur. Quòd si cæteros modulos ulterius persequi concupieris, ad puillos, quos iam descripsimus, pedes statim confugito.



Quod ad templorum ex uno perpetuoque corpore constantium rationem spectare uidetur, quotquot nobis genera exempla que succurrerunt, abundè in superioribus hætenus expressimus atque explicuimus: modò ad eas sacrarum ædium species, que ex membris compluribus coagmentantur, partibus omnibus, que in Christiani templi apparatu atque constitutione requiruntur, diligenter appositis obseruatisque, examinandas





suffodi que poterit. Verum quoniam anguli ad turpia facta que; complura perpetranda adducere sæpius homines solent, idcirco quadrato pariete ad graduum tantummodo altitudinem pertingente templi totius ambitum exteriorem circumcirca complecti satius erit: scalis tamen, tum mediana, tum angularib. quoque extrinsecus adhibitis appositisque. Nec enim, cum sacra hæc ædes in sublime adeo excitetur, ne fortè eius aspectus prætereuntes lateat uel subterfugiat, pertimescere profecto debemus. Cum autem quaternæ angulorum opportunè admodum hic habeantur uacuitates, duæ quidem anteriores bustuarijs seu sepulchretis, quæ Cimiteria uulgò appellantur, inseruiant; duæque posteriores demum hortos uoluptatis animique; causa ibi degentibus paratos & instructos excipient. Quapropter nihil prorsus, quod ad hominum usum & incolentium commoditatem expediat, in hac structura erit prætermissum. Quod si à tergo spatiosior adhuc area substiterit; septa, hortulos, necnon domicilia, prout habitantium ratio ususque; nos admonuerit, ibi constituemus.


Templi, cuius Ichnographiam hætenus demonstrauius, præsens designatio anteriore faciem seu frontem proponit: quanuis quaternarum frontium unaquæque; eadem prorsus ratione exornari condecorarique posset. Primi quidem ordinis altitudo, à graduum uidelicet planicie ad primæ coronicis cacumen pedibus xxxviii constabit: qua in sex æquas portiones distincta, earum una coronicis, zophoro, epistylisque coniunctim tribuetur; ipsaque; coronicis ædificium uniuersum circumambiet & complectetur. Mox à prima hac inferiorique; coronice ad coronicem alteram in superiori parte collocatam pedes xiii intercedent; & iurè quidem, cum eiusmodi coronicis spherica superponatur testudo, ipsaque; ad quatuor specularum libellam utique dirigetur. Prædicta autem altitudine in quinque partes dissecta, earum una coronicis, zophoro, epistylisque; reddeatur. In tertio ordine deinceps fascia ad summæ testudinis libramentum constituetur: Mox specula, si superiorem orbiculum detrahas, pedum xvj altitudinem petet. Ad coronicis postmodum huiusce libellam quartus ordo, personantium uidelicet turrium excitabitur atque extruetur; ipsaque; coronicis quinta altitudinis speculæ definitur ac terminabitur portione: necnon eadem columnis Corinthio opere deformatis elaboratisque; exornabitur atque perpolietur. A coronice deinde ad inferiora descendendo, turrium ordines membrorum templi ipsius altitudines ad unguem certè persecuti imitati que; fuerunt: Quapropter ordines hosce sibi inuicem succedentes haud proprias & conuenientes diminutiones obtinuisse, quispiam fortasse crediderit. Cui quidem sententiæ haud nos omnino repugnantes ille comperiet: uerum concordem quandam discordiam hanc esse defendimus. Pars igitur turris suprema, quæ nulli prorsus addicitur libramento, altitudinem crassitudini æqualem habebit: qua in partes quinque rursus distincta, earum una coronicis, & columnarum altitudinibus quatuor reliquæ distribuentur. Quod autem ad Doricum ordinem attinet, supra coronicem frequentes columellæ, supraque; columellas orbiculatæ testudines imponentur. Ut ianuarum demum, fenestrarum, aliorumque ornamentorum ordinem atque dispositionem perfectius assequaris, quartum uolumen à nobis conscriptum perlegito.



Templi,




Templi, quod hactenus figurauimus, interiorem ambitum in præsentia subscribere aggrediemur, medianæque partis formam studiosorum oculis subijcere modò enitemur: Quam quidem ut splendidior ac rutilantem efficiamus, exteriorem coronicam interiori altiorem extruere oportebit, nobis uidelicet lumina ad lineam siue ad perpendicularum captanda hac ratione affectantibus. A pavimento ad summam usque coronicam pedes xliij medij intercurrent, ipsamque coronicam, propterea quòd columnis exuta destitutaque conspicitur, spuriam appellare licebit. Ea autem bipedalem ac semis altitudinem obtinens, modicam utique proiecturam habebit: ne fortè, si longius procurreret, superioris testudinis, quæ in hemicycli formam & magnitudinem circumducitur, aspectum nobis contenderet aut præpediret. Quinetiam coronix eadem, ut pote quæ epistylj simul & zophori partes explebit, & pusillum quid, ut iam diximus, tortietur proiecturæ; capitulo Dorico persimilem distributionem acquirat. Scaphæ singulæ deinceps ad pedum quindenum altitudinem erigentur, quibus fascia, quæ tam delubrorum quàm mediani templi cuncta percurrat, superior exten- detur: Mox fasciam hemisphæricæ quaternorum delubrorum, quæ in rotundiorum speciem deformari iam diximus, testudines subsequantur. Quinetiam delubris singulis superior quædam imminebit planities: ibique solum decliue aliquantulum, lapideis latastris superinductis, pavementabitur atque infertur, necnon podia circumcirca excitabuntur assurgentque. Hypæthraque eiusmodi loca, si templum in secretiori aliqua confederit regione, ibi degentibus pergrata nimirum iucundaque existant. Quinimo propositi ædificij robor in super ac firmitatem ex eo conijcere licet, quòd latera exteriora, si cum interioribus, quæ ad altiora uidelicet conscendunt, partibus conferantur, erismarum anteridumque rationem habitura uidebuntur. Huic ea quoque accedit utilitas, quòd cum structuræ huiusce partes inter sese tam arctè copulentur atque cohæreant, imbres pluuiæque è cælo decedentes nullo incommodo aut damno eas prorsus afficient, dummodo subdiuina pauimenta bene compacta, & æquabili solo constrata, necnon decliua aliquantulum constituentur. Brumæ tamen temporibus niues ibi congestæ quamprimùm eiciantur, ac diligenter repurgabuntur: cum enim ad intima perfacilè ingredi penetrareque soleant, ædificijs haud parum quidem officerent, & detrimento utique forent.




Subsequens Ichnographia, templi in crucis morem sese decussantis formam speciemque proponit: Quapropter nos de primo ingressu tantummodo sermonem habentes, de cæteris tribus quoque quæ cum eo figura & commensuum ratione prorsus conueniunt, uerba fecisse putabimus. Latitudo igitur xxx, longitudo autem xxxvij pedum existet. In medio uerò binæ scaphæ seu conchæ ad latera statuentur, quarum utraque in decempedalem latitudinem extendetur: & intra scaphas sacræ mox aræ collocabuntur atque confurgent. Inter scaphas autem & angulos interiores bina ostia residebunt: itemque inter scaphas & exteriores angulos duæ fenestrarum patebunt apertiones. In introitu deinceps ianua octopedali latitudine constructur. At uestibuli huiusce pars medium locum sortita angustior compressiorque reddetur, quadrupedali pila in angulo constituta, altero latere deinde septempedali existente; ibique scapha quadrupedali latitudine perficietur. Quaterni igitur ingressus aditusue eas, quas prædiximus, pilas in angulis procreabunt, ex quibus

bus simul iunctis pila iustæ crassitudinis demum proveniet atque confurget. Ipsi autem spherica, quam Tribunam vulgò appellamus, superincumbet testudo. Parietes quinquepedali crassitudine finiuntur. Verùm ut pilæ firmiores, & ad impositæ testudinis molem sustinendam fortiores reddantur, in quatuor angulis tot numero sacella octogona statuentur, quæ pedum xvij diametros sigillatim habebunt: & eorum scaphæ insuper, fenestrarumq; apertiones, necnon uestibula pariter quinquepedalem latitudinem obtinebunt. Parietes quadrupedali crassitudine terminabuntur: & cochlides scalæ intra pilas extructæ formatæq; ad superiora gradatim ascendent. Ad templum hoc per tres ostiorum hiatus homines utique accedent ac transmittentur, araq; primaria contra primarium ostium excitabitur atque erigetur. Quinetiam primariæ nobilioresq; fores quadratis exornabuntur columnis: nec ad eas tantummodo, verùm ad angulos omnes quoq; condecorandos quadratæ pariter latitudine tripedali adhibebuntur columnæ. Ad ianuç dextram læuamq; binæ in fronte scaphæ constituentur: ad ipsamq; per quinque aut plures etiam, si loci natura conditioq; efflagitauerit, gradationes homines demum conscendent. Quancis autem nullas turres hic apposimus: in angularibus tamen sacellis & turres in altum educi, & sacraria ima constitui, & sacerdotum ædes mox super sacraria reponi collocariq; poterunt. Quinetiam ædificio in sublime magis adhuc excitato, subterraneæ cellæ, abditaq; conclauia perquàm commodè instruerentur: tumq; cochlides quaternæ in angulis residentes, nobis tam summa petentibus quàm ad inferiora delabentibus usui quamplurimum utique forent. Verùm ne tot angulorum recessus in sordium & purgaminum receptacula quandoque uertantur; humiles parietes nonnulli, prout aliàs diximus, ad graduum altitudinem pertingentes circa templum ipsum tanquam septa quædam producentur. Nec tamen ædificium propterea formam aut uenustatem suam amittet: quinimo, ut sæpius iam admonuimus, tum ad commodum tum ad utilitatem quoque eiusmodi parietum ambitus siue conclusiones haud parum certè expedient atque conducent.






Templi quadrati seseq; in crucis morem decussantis species exterior ex subiecta, ni fallor, patet designatione. Frons quidem anterior pedum xlij latitudinem sortietur. A gradibus ad primę coronicis usq; cacumen pedes xxx medij intercedent: ipsaq;e coronice unà cum zophoro epistylioq; quinquepedalem altitudinem obtinente, quod superest deinde, columnarum, quę ex Ionico, prout ex eadem constat designatione, genere deducuntur, altitudines metietur. Alter deinceps, qui huic superstruitur, ordo in pedes uicenos, duobus superadditis, sublimis assurgit: Quo quidem interuallo in partes sex distributo, epistylio, zophoro, coronicq; una ascribetur; cæterq; partes columnarum, quę Corinthium redolent genus, metiendis altitudinibus utiq; inseruient. Ambo autem hi, quos iam adduximus, ordines edificium ipsum circumambient atq; percurrent: cunctiq; eorum moduli quarto uolumine in proprijs ordinibus sigillatim à nobis enumerati expositiq; fuerunt. Summum deinde fastigium, nisi uentorum immanitas fortè aut uiolentia obstiterit, decempedale constituetur: uerùm in hac Gallię prouincia ad regionem magis acuminatum effici, & ad pyramidis formam propius accedere illud profectò deberet. Supra fastigij apicem deinde perpetua quedam bipedali altitudine statuetur coronix, cui mox spherica innitetur testudo, specula in uertice demum superaddita & collocata: quę, si sphæram detrahas, decempedalis esse comperietur. Figura C ad læuam inclinans culmen, figura autem L ad dexteram uergens angularium, quę octo laterib. circumcluduntur, delubrorum formam referunt ac representant. Dextrum autem & Sinistrum, prout sæpe iam admonuimus, non quidem ad nostrum aspectum, sed ad figurę conspectę situm potius ac dispositionem referantur. Exactiores uerò commentus perpusillis & pedalibus, quos in Ichnographia figurauimus, modulis quamprimùm utiq; expedientur. Proprios demum ostiorum ornatus quarto uolumine in Ionici ordinis pertractatione sigillatim narrauimus ac recensuimus.




Quadrata ædis, & in crucis similitudinem compositæ exteriori speciem iam absoluisse uidemur: nunc interiorem eius formam atq; dispositionem, tanquam si media dissecta fuisset, studiosorum oculis subijcere contendemus. A mediana igitur parte, cui summa impendit imminetq; testudo, exordium sumentes, mediam, duabus pilis uidelicet intercedentem, latitudinem tricenis pedibus constare, necnon à pavimento ad coronicis apicem tantundem pariter intercapedinis extare asseremus. Coronicis, zophori, epistylisq; simul altitudo quinquepedalis existet: ipsiq; coronici quaterni arcus superiores inducentur, necnon eadem ædificium uniuersum circumambiet & complectetur. At cum testudo aliunde quàm supernè à tectorum ipsorum lateribus illustrari, lumenque accipere nequeat, idcirco supra fornice fascia quædam mox extendetur atque percurrat; indeq; pedum quindenum spatium ad superiora sublatis, coronicem bipedalis altitudinis modicæq; proiecturæ, ne testudinis, quæ ipsi mox circumducitur, aspectum imminuat obscuretq; ibi deniq; constituemus: tumq; in medio coronicis huiusce fasciæque prædictæ spatium ac interuallo octo lumina, quemadmodum ex ipsamet habetur designatione, capientur; quæ si summæ speculæ fuerint adiuncta, testudini lucis & fulgoris satis utique exhibebunt. Ab imo autem pavimento ad summum usque testudinis apicem altitudo ex pedibus lxxvij constabit. Pars aram excipiens, cui magnum illud quadratum superimpender, spatium ianue ex aduerso oppositum, quod scilicet primarium altare excitari diuino numini solet, nobis designat: quod nempe ut clara ac purissima luce refulgeat, superiorem ei oculum statuemus, ad cuius similitudinem quaterni deinceps oculi effodientur. Quaternarum autem partium latera cum ex descriptione nostra clarè admodum pateant, orationis lumen nullum efflagitant neq; requirunt: eoq; magis, quod pedales & exigui illi, quos iam descripsimus, moduli commensuum singulorum exquisitissimam tibi rationem ministrabunt afferentq;. Id quoq; prætereundum minimè existimamus, quod etsi latera singula quaternis fenestris instructa conspiciuntur, binæ tamen uerè propriæq; admittuntur fenestræ; apertionibus alijs consensus & connexionis cuiusdam gratia fictè tantummodo constitutis, & callido quodam artificio compositis ac simulatis.





De uarijs templorum formis atq; rationibus, quas Christianorum moribus ac institutis congruere existimauimus, satis iam locuti uidemur; in quo quidem ab antiquorum modis ritibusq; nequiquam recedentes, sacras ædes uel rotundas uel quadratas extruximus: Modò alia nonnulla templorum genera, quæ adificantium uulgo magis familiaria, & in usu magis esse conspiciuntur, priscis antiquorum uestigijs perpetuò insistentes iam exponere declarareq; aggrediemur. Templi hic appositi Ichnographia hanc utiq; sortietur distributionem. Primùm quidem medianæ itionis seu mediani corporis templi magnitudine ad libitum definita, quaternæ ei partes assignabuntur: Pilæ, quæ numero quaternario definiuntur, duas partes explebunt; nec non tantundem medijs pilarum interuallis ascribetur: Hinc autem & illinc designatæ, quæ senario numero comprehenduntur, itiones duas item partes absoluent. Parietibus demum, qui in lateribus resident, & octonario numero distinguuntur, duæ identidem partes contingent. Verùm ut commensuum rationes clarius ad huc intelligi apprehendiq; possint, si ad pedales modulos cuncta redegerimus, operæ præteritum nos facturos utique existimamus. Mediana igitur itio pedibus tricenis constabit: Pilæ, quadratis pariter columnis adiunctis, pedes quindenos explebunt; nec non tantundem intermediæ pilarum uacuitates sortientur: Angulares itiones, nec non extremi parietes eisdem modulos persequentur. Hac autem partium distributione confecta, mox certis spatijs in æquali distantia pilæ collocabuntur; ad eò ut in anteriori templi ipsius itione trinæ concamerationes extructæ conspiciantur; ad earumq; perpendicularum facella in hemicycli ambitum dirigentur, quæ pedum xxv latitudinem obtinentia ultra parietum terminos nonnihil progredientur excurrentq;ue. Haud procul ab extremis pilis, sphericam testudinem uersus, binæ in super pilæ ab ijs pedum quindenum interuallo distantes statuètur; mox duæ aliæ pedes xxx ab his recedentes assurgent, itemq; duæ aliæ pedum quindenum spatio ab his semotæ erigentur: ibiq; in ampliori intercapedine spherica excitabitur testudo, cuius diameter cum intra pilarum utranq; tres pedes ingrediatur, xxxvi pedum existet. Pilæ autem commemoratæ arcus sexpedali crassitudine procreabunt, supraq; fornicatæ extabunt conuersiones, quas forniceas uel medias testudines haud ineptè forsitan appellare licebit. Ad quaternos autem fornicearum testudinum, angulos, quatuor pusillæ & orbiculatæ testudines excitabuntur: quarum diametri pedalibus modulis uiginti, unoq; superaddito, absoluentur. Nec ipsæ tamen extra summa tecta proferentur, uerùm à lateribus lucem suam captabunt acquirantq;. Extra parietem quinetiam templi ipsius perpendiculara duæ concameratæ testudines producentur: quarum utraq; duo facella in hemicycli haud aliter, quàm de superioribus diximus, formâ ambitumq; composita excipiet. Binaq; ostia, quemadmodum ex subiecta patet Ichnographia, in templi ipsius lateribus statuètur. In intima autem sacræ ædis longinquioriq; parte superior camera quædam extabit, & locus hic nempe choro designabitur ac tribuetur: in cuius adhuc ultimo nouisfimoq; recessu ara primaria hemicycli ambitu comprehensa residebit, eiusq; diameter in pedes tricenos, unumq;e amplius excurret. Ad chori latera deinceps duo sacraria octogona, & pedum xxi diametrum obtinentia apponentur. Frons ædis anterior trinis ostiorum apertionibus instructa cõspicuaq; reddetur. Medianum quidem ostium duodenum, extrema autem senum pedum latitudinem sortientur. In ambobus autem frontis propositæ angulis si binæ turres pedum xxvii latitudine fuerint collocatæ, tum ad munimentum tum ad ornatum quoq; haud mediocriter illæ conducent. Intus uerò cochliedes scalæ perficientur, quarum diametri perampli & laxiores existent: ut inde tum tintinnabula funibus religata concuti, itaq; sonum emittere queant; tum, si quando oportuerit, personantia æra rudentum auxilio ad superiora trãsferri subduciq; possint. Ad templum hoc per complures, prout loci tamen situs conditioq; nos admonuerit, interiectas conscendemus gradationes.




ius lateribus statuètur. In intima autem sacræ ædis longinquioriq; parte superior camera quædam extabit, & locus hic nempe choro designabitur ac tribuetur: in cuius adhuc ultimo nouisfimoq; recessu ara primaria hemicycli ambitu comprehensa residebit, eiusq; diameter in pedes tricenos, unumq;e amplius excurret. Ad chori latera deinceps duo sacraria octogona, & pedum xxi diametrum obtinentia apponentur. Frons ædis anterior trinis ostiorum apertionibus instructa cõspicuaq; reddetur. Medianum quidem ostium duodenum, extrema autem senum pedum latitudinem sortientur. In ambobus autem frontis propositæ angulis si binæ turres pedum xxvii latitudine fuerint collocatæ, tum ad munimentum tum ad ornatum quoq; haud mediocriter illæ conducent. Intus uerò cochliedes scalæ perficientur, quarum diametri perampli & laxiores existent: ut inde tum tintinnabula funibus religata concuti, itaq; sonum emittere queant; tum, si quando oportuerit, personantia æra rudentum auxilio ad superiora trãsferri subduciq; possint. Ad templum hoc per complures, prout loci tamen situs conditioq; nos admonuerit, interiectas conscendemus gradationes.

Præfens figura templi, cuius Ichnographiam hæcenus demonſtrauimus, frontem conſpiciendam nobis proponit. Primæ quidem coronices ad pedum lxiij altitudinem efferentur: qua in partes ſex diſtributa, epiſtillio, zophoro, coroniciq; una aſcribetur; & reliquæ mox quadratis columnis, quæ quinquepedalibus frontibus inſignitæ Dorico opere conſtituentur, integræ referuabuntur. Maioris oſtij altitudo ad pedes xxiiij aſcendet: & tum ad ipſum, tum ad minora quoq; oſtiola, quæ pedum duodenum altitudine terminantur, condecoranda hæc, quæ ſubiecimus, ornamentorum genera adhibenda uidebuntur. Mediana deinceps ad coronicem uſque ſecundam eductio in pedes xxv ſublimis aſſurget, ſecundaq; coronix præpoſita coronicis inferioris altitudine quadrante minor exiſtet, necnon capitulo Dorico perſimilem diſtributionem acquirat; ut uidelicet quæ infra plinthum membra conſtituantur, propter eorum uariam multiplicemq; ſtructuram inuentus maiori afficiant uoluptate. A coronice ſecunda præterea ad ſummum faſtigij ipſius angulum pedes xv intercedent, ibiq; templi culmen ſtatuetur. Id autem inprimis attendito, quòd etſi fronti exteriori teſtudo hæc deſuper imminere uideatur, in media tamen templi ſede illa perſiſtit, quemadmodum ex partis interioris deſcriptione clariùs poſtmodum perſpicietur: at ſolam eius altitudinem oſtendere nobis hic propoſitum fuit. Verùm à prima mox coronice ſtereobata, quòd Baſſamentum uulguſ appellat, quinquepedali altitudine ſuperior aſſurget, cui deinde ſecundus turrium ordo ſuperior adhuc ſuccedet: quo ad pedum xlii aſſenſis altitudinem perſurgente, eius coronices primis atq; inferioribus coronicibus quadrante minores perſicientur, ipſæq; ex Dorico genere deducuntur. Tertius ordo deinceps ſecundo, quem modò expoſuimus, ordine quadrante minor exiſtet: itemq; huius coronices ab illius coronicibus pro rata deficient atq; diminuentur portione. Quartus ordo tertio, quem iam abſoluimus, ordine quadrante humilior ſimiliter erit; & eandem pariter diminutionis rationem coronices ipſæ ſequentur. Podia coronicibus mox ſuccedentia quadrupedalia extruentur, à quibus ad pyramidum metas ac ſummitates pedes xxxvi poſtremò intercedent. Quòd ſi propriorum ornatum demum rationes inuiſere ac recognoſcere concupieris, quarto uolumine in proprijs ordinibus eos à nobis appoſitos explicitoſq; comperies.









Templi quidem oblongi, ac ternis itionibus præditi faciem exteriorem iam demonſtrauimus: nunc ſpeciem ipſius interiorem, tanquam ſi media abſcinderetur, ſtudioſorum oculis proponemus. Longitudinua quidem & latitudinum modulos in ſuperiori patefecimus Ichnographia, moxq; in exteriori Orthographia coronicum altitudines explorauimus; quæ altitudinis totius ſextante deſinientur, & quadrate columnæ Ionico more perficientur, necnon pilis breuioribus Ionicæ item ſuperaddentur incumbẽ: Cunctæq; generis huiuſce formæ atq; menſuræ quarto uolumine in Ionici ordinis pertractatione ſigllatim à nobis deſcriptæ fuerunt. Sacella omnia, quemadmodum ex ipſamet conſtat deſignatione, ex proprijs fenestrarum apertionibus lucem ſuam haurient atq; combibent, quin etiam eadem angularibus itionibus utriſque ſatis quidem luminis allatura & ſuppeditatura uidentur: Angulariumq; eiſmodi itionum altitudo ſacellis, quæ ex forniceis cõuerſionibus conſtant, perſimilis erit. Fornicæ tamen teſtudinis pars, quæ ſacellis aduerſa conſtituitur, ab intercurrente lunula perumpetur: qua quidem ratione prædictarum itionum tegmina depreſſa ad eò humiliatq; reddentur, ut ſupra coronicem per ouatas formas, quæ ſupra tecta conſpiciuntur, lumen in lunulas ingredi diffundiq; poſſit. Vt autem mediana teſtudo uberiori lumine conueſtiatur atque ſplendefcat, ibi Zophorus oculorum, qui lucem è ſuperis partibus captent, multitudine plenus conſtituetur: moxq; Zophoro huic ſphærica ſuperinductetur teſtudo, ſpecula demum in teſtudinis ipſius cacumine reſidente, cuius moduli quamprimùm ex ſuperioribus deducentur. Quinetiam ut pilarum ſeu paraſtatarum forma diſpoſitioq; exactius intelligatur, duo ampliori magnitudine earum exempla ſupra templi ipſius typum hic figurauimus. Nec non ſupra templi eiſdem imaginem oſtiorum, quæ in ambobus lateribus reſident, formam ſpeciemq; ad læuam appoſuimus: quorum altitudo ad pedes xx efferetur, eorum latitudine decempedali exiſtente. Reliquæ deinceps coronicum altitudines tum cum exterioribus, tum cum interioribus coronicibus quoq; mirificè conſentiunt atq; conueniunt. Verùm quoniam ex templi huiuſce deſignatione occultiora nonnulla magisq; recondita minimè pateſiunt; nec enim angularium itionum altitudines, nec delubrorum cum fornibus ipſis conſenſus aut harmonia, nec ad quem uſum quatuor minores teſtudines dirigantur, nec alia complura inſuper ex noſtra patent deſcriptione: idcirco ſi quis propoſiti templi perfectam abſolutamq; cognitionem aſſequi concupierit, nã illi ex duriore membrana ſeu ex ligno, partium cunctarum tam interiorum quàm exteriorum Orthographia & Sciographia ritè compacta, exemplar ſibi conſingere & conſtruere oportebit.



Verùm alia ratione præterea templi oblongi perquam diuersa à superiori constitutio perfici poterit. Primum igitur eius latitudine pedum tricenum animo à nobis concepta ac definita, duæ tam directæ quàm tranuersæ, in crucis uidelicet similitudinem sese ad pares angulos interfecantes, lineæ equedistantes producentur; & in medio quidem crucis ipsius spatium spherica pedum tricenum diametro erigetur testudo: moxq; à quatuor pilis uersus partem interiorem terni pedes undequaq; secedent atque diminuentur, adeò ut quatuor arcuum testudinem in sublime extollentium diametri in pedes xxxiii duntaxat excurrent. Pilarum partes scaphis propinquiores, quinquepedalem crassitudinem obtinebunt; necnon parietes insuper æqualem crassitudinem fortientur. At partium, quæ tum latera tum caput templi respiciunt, propter angularium pilarum quarundam plana forma constitutarum adiectionem, spatia incrementum accipient, parietibus utrinq; ad pedem unum imminutis atq; contractis; adeò ut pedes xxxii illa expletura uidentur, & laterum unumquodq; in pedum xxxviii longitudinem producet. Pars, quæ ad aram insigniorem conuertitur, quadrata nimirum existet, & in pedes xxxii undiq; excurrent. At pilis unà cum scaphis ad latera apposis atque constructis, quinquepedalis earum habebitur crassitudo. Verùm ex omnibus lateribus pariter quadrupedali facta recessione, inter duas pilas pedes xxxiii medij intercurrent; & ex utroq; pilarum latere semipede insuper ad scaphæ primarij delubri conformationem relicto, scaphæ ipsius latitudo pedum xxiii existet, ibiq; ara primaria constituetur. Vtrobq; autem in crucis ipsius angulis duo extruentur atque collocabuntur sacra, quorum diametri in pedes septendecim producentur. Hinc & illinc bina ostia aperientur atq; patebunt. Membraque eiusmodi cuncta, quemadmodum ex apposita patet Ichnographia, satis splendida luminosaq; erunt. A media testudine ad primariam templi huiusce ianuam quinq; intercedent sacella, & singula pedum quindennum sibi latitudinem uendicabunt. Parietes quadrupedali crassitudine finientur: Sacella deinde pedum quindennum longitudinem explebunt; singulisq; sacellis singulæ fenestræ sexpedali latitudine tribuentur, ut uidelicet singulæ, quæ ibi resident, aræ accommodata spatia nanciscantur. Parietis in ædis ipsius fronte constituti quinquepedalis, at parietis medianam partem obtinentis quadrupedalis crassitudo utiq; erit. Ante ædis huiusce frontem porticus pedum xiiii latitudine, & pedum lxxviii longitudine statuatur: cuius & media frons, & extrema cornua rotundis & quadratis scaphis insignita conspiciuntur: & scaphæ singulæ octopedales diametros fortientur. In utroque autem porticus latere turres seu metæ excitabuntur, quæ templi lateribus æqualem egressionem & proiectionem habebunt: Earum diametri in pedes xviii extendentur, ipsaq; uel octogonæ uel quadratæ, prout magis libuerit, perficientur, scalæque cochlides eas circumambient ac circumcurrunt. Et hæc de Ichnographia satis superque uidentur. Templi frons quidem exterior ad dexteram offenditur. Primæque coronices ad pedes xlvij sublimes educuntur: & epistylum nempe, zophorus, atq; coronis ad quinquepedalem simul altitudinem excitata templum circumcirca obambulabunt atque perstringent. Secundus ordo deinceps ad pedes xxxvij usque conscendet, cuius quidem coronices à primis, quas modò exposuimus, coronicibus quarta parte deficient; & hæc altitudo secundis turrium angularium ordinibus optime nimirum quadrabit atque consentiet. Summum deinde fastigium, quod medianæ parti quasi tectum quoddam imponitur, decempedalem altitudinem assequetur. At tertij angularium turrium ordines secundis eandem ordinibus quarta parte humiliores constituentur, & coronices pariter pro rata parte diminuentur, quæ mox sphericas testudines sustinebunt. Figura, quæ templi exteriori Orthographiæ ad dexteram superior succedit, quinque delubrorum interiora designat. A pauimento quidem ad primarum coronicum apicem pedes xxvii medij intercurrunt: ipsisq; coronicibus, quæ Dorici capituli structuram atque dispositionem imitantur, quadrupedalis assignabitur altitudo. Aliæ deinceps, quæ prædictis superiores statuuntur, coronices exteriorum, quas iam declarauimus, coronicum modulos persequuntur. Inter primas autem atque secundas coronices columnæ Ionicæ parum eminentium expressio erigentur, & ad templum illuminandum fenestrarum apertiones inter eas mediæ consistent. Quod uerò ad porticus, tam uestigij uidelicet quàm frontis attinet descriptionem, eius structura ex subiecta satis superq; constat designatione. Id unum tamen in presentia subiungemus, quòd si subdiuale & leuigatum porticui superinductum fuerit pauimentum, haud tantummodo templi ipsius frontem nequaquam obscurabit, quinimo fulgentiorem atque splendidiorem eam utique reddet. Figura ad sinistram A, templi eiusdem latera unà cum testudine medianam sedem occupante designat. Coronices altitudinem reliquis coronicibus parem & æqualem omnino assequuntur, quibus arcus testudini subiectus superincumbet: ipsiq; arcui, spuriam quam appellant, coronis ad spherica testudinem unà cum eius specula extollendam superior inducet. Pars, quæ contractæ per similes existit, sacra nobis ostendit. Breuissima denique omnium figura ad dexteram, in cuius uertice crucis signum posuimus, angularium ostiorum speciem proponit: quorum partes superiores in rotunditatem compositæ sinuateque apparent. Ostium autem pedum ix latitudine septem, pedum xviii deinceps altitudinem petit. Dextrum uerò Sinistrumque, ut millies iam diximus, haud quidem ad nos aspicientes, sed ad rei potius aspectu figuram ac formam referto.








Complura diuersaq; templorum genera, quæ in longitudinem maiorẽ producta ad crucis imaginem atq; similitudinem componuntur, hic recensere possemus : eoq; magis, quod sacræ Christianorum ædes, quæ à recentioribus Architectis præsertim extructæ ædificatæq; conspiciuntur, hoc formæ genus pleræque sectari & imitari uidentur, quod Itali Teutonicum inuentum siue Germanicum opus passim appellant . Nec tria tantummodo itinera, sacellis, quorum uestibula aditusq; clauduntur, seorsum ad latera constitutis, huiusmodi templa habere comperiuntur : uerùm etiam chorus itionibus undiq; septus, necnon delubris ulterioribus circumcirca stipatus & tanquam obsessus, in medio nonnunquam residet atq; consistit. Quinimo in amplissimo hoc & celeberrimo Galliæ tractu templa maximis sumptibus summoque artificio, quanuis à recentioribus Architectis, perfecta elaborataq; extant: in quibus quinas itiones attendere & animaduertere licet. Veruntamen, ut principio quoque admonuimus, de ijs tantummodo, quæ tempestate nostra celeriter perfici, & ad exitum perducì commodè possunt, in præsentia differere & disputare nunc instituimus . Quapropter quamprimùm templi huiusce, quod modò explicandum aggredimur, structuram & oratione & designationibus adhibitis patefecerimus, mox libello huic supremam utique manum imponemus : ad alia etenim, quæ studiosorum cætui utiliora pariter iucundioraq; fore arbitramur, nobis erit deinde properandum . Ichnographiæ igitur modulus nunc percurremus. Templi quidem latitudo xxxvj, longitudo autem liiij pedum existet. Ad ambo templi ipsius capita duarum scapharum seu concharũ laxiores statuentur apertiones, quarum diametri in pedes xxiiij nimirum excurrent : Earum quidem altera , binis fenestris sexpedali latitudine ab utroq; latere dispositis & collocatis, primario inseruiet delubro : Altera uerò , quæ è regione huic opponitur , eandem omnino structuræ rationem imitabitur ac persequetur, uno tantum discrimine intercedente, quòd hic ianua octopedali latitudine fenestrarum munus & uicem explebit. In templi deinde lateribus duo media residebunt sacella, quæ pedum xviij latitudinem obtinentia , pedes xij ultra columnas intra parietes ipsos ingredientur : fenestraq; sexpedali latitudine ad sacellum unumquodq; illuminandum media aptabitur & componetur . In ambobus autem sacelli utriusque lateribus binæ sexpedali latitudine conchæ seu scaphæ consistent. At sacella hæc, rotundioribus columnis, quarum bipedali erit crassitudo, interiectis, à mediano templi ipsius corpore secludentur atq; separabuntur. Medianum intercolumnium sexpedale, intercolumnia autem angularia tripedalia ac semi utique erunt . Inter sacella & angulorum unumquenq; scapha sexpedali latitudine, & rotundioribus columnis cohonestata atq; insignita media intercurrent : Necnon in quaternis angulis scaphæ conchæ ue quaternæ latitudine tripedali dispositæ , optimè nimirum consentient ac respondebunt. Extra templum porticus pilis quadratis unà cum semipilis adiectis instructa statuetur : ipsaq; porticus decempedali latitudine, & pedum liij longitudine finiatur. Pilarum, si semipilas ijs coniunctas detraxeris, crassitudo undequaq; tripedalis exister: At angulariũ pilarum frontes sexpedales utiq; erunt, quæ arcibus sustinendis tanquam munimina, & quemadmodũ Itolorum uulgus appellat , contrafortia quædam inseruiũt. In intercolumnijs deinde ex utroq; latere, binæ sexpedali latitudine scaphæ intra parietes effingentur. Ad porticum uerò per nouè interiectas gradationes homines sursum conscendent, in ipsaq; parietis crassitudine binæ cochlides formabuntur. Verùm quanuis in templi huiusce distributione nullum metæ seu pyramidis uestigium apparet, in ambobus tamen porticus ipsius laterib. binæ eiusdem prorsus latitudinis turres seu pyramides attolli excitariq; possent, quòd cochlides in proximo existentes faciles expeditosq; nimirum præstarent ascensus. Quinimo eiusmodi turres cum angulos utrosq; sacella à lateribus disposita constitutaq; prætergredientes obtegerent atq; occultarent, templi ipsius fronti cohonestandæ haud parũ certè conducere atq; conferrent. Quinetiã ibidẽ sacerdotum domicilia, & subterranea cõclauia opportunè admodum residerent.





Interioris quidē partis, primarij uidelicet delubri typū ad dexterā en tibi nūc apposui mus atq; subieci mus: ubi coronicū ipsarū altitudines ijs, quas paulò ante determinauimus, pares & æquales existent. Minorū quin etiam scapharum forma ac dispositio ibidem extat, quæ tripedalem latitudinem, & septempedalem ac semis altitudinem assequuntur. Quadrata, quæ supra aram dirigitur, tabula egregijs illustrabitur atque perpolietur picturis, & congrua nimirum accommodataq; luce potietur: eaq; decempedalem latitudinem habens, in pedes duodenos excitabitur atque efferetur. Anteriorem templi ipsius frontem deinde hic ad læuam depinximus. Coronicum autem ipsarum altitudines in interiori Orthographia iam à nobis determinatæ definitæq; fuerunt: cunctæ etenim coronices ad eandem libellam utique diriguntur. Studiosos tamen de eo potissimum fieri uolumus certiores, quòd p̄ima coronix, quæ supra porticum extat, pauimento supra porticum eandem extructo podij usum, plutei uel rationem præstabit. Membra igitur hæc omnia, coronices uel uidelicet, zophori, epistylia, capitula, bases, necnon arcuum incumbæ ex Dorico fonte deducuntur: quorum formas modulosq; quarto uolumine de Dorico ordine pertractantes, sigillatim exposuimus atque descripsimus. Secundus ordo deinceps breuioribus pilis insignitus atque distinctus, ad perpendicularum fronti superstat: quemadmodum porticus, quæ inferiori parti annectitur, Orthographia nobis significare uidetur. Breuiorū autem eiusmodi pilarum latitudo bipedalis existet, parq; coronici assignabitur altitudo: quæ quidem coronix membris ipsidem, quæ quarto uolumine, in Theatro Marcelli exponendo, arcuum Ionicorum incumbis adesse demonstraui mus, erit exulta atque insignita. At quoniam inter nouissimam coronicam supraq; tecta tripedale spatium intercedit: idcirco ornatui atque commoditati pariter consulentes, supra coronicam podia columellis instructa excitabimus ac instruemus; quòd per cochlides scalas, quas ad subdiuiale pauimentum supra porticum conscendere iam antea demonstraui mus, denique pertingemus. Summam autem templi testudinem, ne materiæ quicquam ingrediatur, aut imbricibus aut plumbea structura operiendam existimamus. Verùm in hoc celeberrimo & amplissimo Galliarum Regno si Ardosiæ, cærulei nempe cuiusdam lapidis, quo Galli frequentissimè utuntur, sectilibus laminis summum templum fuerit contextum, ad aspectum præclare utique respõdebit. Ad sacram hanc ædem inuisendam salutandamq; per nouem interiectas conscendendum erit gradationes: unde subterraneis conclauibus quoque perficiendis satis spatij ni fallor, superfuturum uidetur. Dextrum autem ac Sinistrum hic quoq;, ut in superioribus, per relationem non ad nos intuentes, uerùm ad figuræ ipsiusmet conspectæ posituram atq; collocationem intelligito. Et hic quidem sacrarum ædium pertractatio debitum finem, metamq; propositam est assecuta. Quapropter nos quinto huic uolumini supremum uale dicentes, cætera duo uolumina superioribus adiungere aggrediemur: quorum cuncta domiciliorum genera alterum per puncta colliget ac numerabit: alterum uerò complura, quæ Architectis usū uenire sæpè comperiuntur, summatim complectetur atq; perstringet. Præterea si Deus nobis & uitam diuturniorem concesserit, & ualidas firmasq; uires tribuerit: complures uariasq; ædificiorum, quæ mente iam designauimus, structuras amplioribus formis excudendas, & facultatis huiusce studiosis quibusq; communicandas impertiendasq; curabimus.



FINIS QVINTI LIBRI SEBASTIANI SERLII DE SACRIS  
ædibus tum Ichnographicè tum Orthographicè pertractantis, Ioanne Ca-  
rolo Saraceno interprete existente.





VENETIIS,

*Apud Franciscum de Francis Senensem, & Joannem Chriegher.*

M D LXVIII.

## BENIGNO LECTORI SEBASTIANVS SERLIVS.



**R**ATIONE M, cur nos in presenti uolumine in compluribus portarum designationibus audaciores aliquantulum atq; liberiores extitimus, lucundissime Lector nunc tibi afferemus. Cum enim plerosq; nouis rerum exemplis formisq; delectari sæpius perspexerimus: quinetiam nonnullos in exiguo quanuis perpusilloque opere, quod extruendum instituunt, spatia complura ad characterum, armorum, insignium, notarumq; aliarum consimilium susceptionem accommodata efflagitare, necnon historicas quandoq; ibi designationes ex compressioribus modo, modo ex modicè prominentibus sculpturis effingere; quin insuper marmoreum caput ex ueteris et celeberrimi authoris proueniens officina, uel recentius aliquod simulacrum, uel eiusmodi quippiam ibidem collocare frequenter obseruauerimus: Hac nos potissimum adducti ratione, noua quadam & præter communem aliorum consuetudinem excogitata haud temere fortasse hic duximus apponenda: adeò ut Epistylum, Zophorum, Coroniceq; portionem aliquam sæpius abolere abscindereq; ueriti minimè simus; Romanarum tamen nonnullarum antiquitatum exemplo atq; authoritate nobis palàm suffragante. Quinetiam ut quadrata aut insignia certam sedem propriamq; collocationem obtineant, Fastigia nonnunquam diminui- mus atq; contraximus. Complures columnas insuper, antepagmenta, superciliaq;, Zophoris, Triglyphis, Folijsq; interruptis quandoq; ac relaxatis, fascijs obstrinximus & circumdauimus. Cuiusmodi nempe omnia si auferantur, Coroniceq; sicubi interruptæ præpeditæq; fuerint, instaurantur; eaq; columnæ, quæ mutilæ imperfectioresq; extiterint, absoluantur: formæ suæ integritatem & complementum mox opera proculdubio assequentur. At quoniam in modulorum explicatione breuiores & ex eo subobscuri fuisse uidemur, id nempe te admonitum uolumus, quòd diligens Architectus hac, quam nos ei suggeremus, ratione procedens modulos omnes exactè exquisitèq; comperiet. Ostij latitudinem, quotquot pedum ipsi libuerit, mente primùm concipiet ac designabit; singulis pedibus in duodecim, quæ uncia uocantur, partes consumptis, uncijsq; singulis in senas, quæ minuta dicuntur, particulas distributis: Mox columnæ crassitudinem metietur, quam pedalem, exempli gratia, et septuncem, triumq; minorum ac semis esse comperiet: Antepagmenta deinde seu Parastatæ, quas uulgus Pilastratas appellat, dimidiam columnæ crassitudinem adæquabunt: Columnæq; totius altitudo ex eiusdem ostijs repetita crassitudine perficietur: Summaq; pars, si cum ima conferatur, sextante diminuetur atque deficiet. Hac autem opitulante ac dirigente præceptione, cuncti moduli sigillatim nobis aperientur ac patefient. Quòd si opus ad ampliorem formam transferre redigereq; libuerit, exactam pedis mensuram in tot uncias, unciamq; in tot minuta diuidemus: Deinde minori circino ad pusillum, circinoq; maiori ad ampliorem operis typum dimetiendum adhibito, rem ex angustiioribus finibus ad latiora spatia, proportionis ad unguem spectata ratione, quamprimùm excitabimus ac proferemus. Verùm à uobis Architecti, qui Vitruuij doctrinam sedulo profitemini (quem quidem authorem & nos quoq; summopere colimus, nec ab eius institutis longius recedendum existimamus) si præsens opusculum quadratis, sinuosis anfractibus, uolutis, cæterisq; compluribus superuacaneorum ornatuum generibus forte fortuna affluerit, supplices ueniam pacemq; precamur: uestramq; in primis humanitatem efflagitamus, ne temporum & regionum, in quibus uersamur, conditioni atq; consuetudini nos aliquid tribuisse indignè feratis. Quinetiam si nos, ut plerunq; contingit, inceptum aliquod absoluerè minimè ualuisse cognoueritis, ne uos rei illius perfectionem nobis inuideatis, quammaximè contendimus atq; obsecramus. Vale




# PORTARVM TRIGINTA, QVAE RVSTICAE

APPELLANTVR, DESCRIPTIO,  
SEBASTIANO SERLIO AVTHORE, ET IOANNE  
CAROLO SARACENO INTER-  
PRETE EXISTENTE.



**O**STII, quod primo loco hic descripsimus, forma speciesq; in Hippoliti Atestini Cardinalis Ferrariensis æde expressa & figurata conspicitur; quæ ex Tuscano opere Rusticoq; simul admixtis utiq; constat. Columnarum altitudines ex diamentris seu crassitudinibus septenis profecto essent constituendæ, modulis ab ima columnæ crassitudine, Vitruvio ita docente, acceptis & acquisitis. Veruntamen quia columnarum partes nonnullæ intra parietem compactæ detrusæq; fuerunt, ipsæq; rusticis fascijs circumuolutæ circumamictæq; apparent, nec oneris grauiorem molem perferunt sustinentq; : idcirco earum altitudines, basibus capitulisq; simul adiectis, ex nouenis crassitudinibus perficientur. Earundem autem crassitudines sesquipedales mente designabuntur. Parastatæ ad latera columnarum appositæ, quæ uulgo Pilastratæ dicuntur, dimidias columnarum crassitudines adæquabunt. Stylobatæ in tripedalem altitudinem erigentur. Ostij hiatus apertioq; octopedali latitudine finietur, & pedum sexdecim ad arcuatam usque circumductionem altitudine comprehendetur. Summæ columnarum partes quadrantis diminutione inferioribus contractiores atque graciliores efficientur. Epistylum altitudinem dimidiæ columnæ ipsius crassitudini parem obtinebit: Necnon zophoro tantundem, Coroniciq; trihuetur. Fastigium, à coronicis regula ad acuminatum usque ipsius uerticem, in tripedalem altitudinem utique insurget. Cunei arcuatam circumambientes conuersionem ita distribuentur, ut cuneus in medio residens quarta parte cæteris latior constituatur. Intestinum deinde materiaturq; opus, si à fascia ad inferiora decurreris, liberius atque solutius existet: at si à fascia ad superiora contenderis, lapideo operi tanquam solidiori agglutinabitur atque adhærebit. Apertio nanque ad pedum undenum altitudinem, & quadrantem insuper tota conscendit. Quicumque autem ostij huiusce formam uel ad ampliores terminos extendere atq; proferre, uel intra fines angustiorem continere cohibereq; uoluerit, pedales modulos uel superaddere uel subtrahere pro libito poterit.






LL 3


Præfens



Præfens ostij species è Tuscano quidem opere, at è Rustico quoq; eoq; delieatiori, parumque eminentibus elaborato expressionibus constat. Eius latitudo sexpedalis & semi mente designabitur atque concipietur, altitudine ad pedes tredecim utique pertingente, Columnarum frontes pedales, antepagmenta autem semipedalia existent. Inter geminas columnas seiquipedale spatium residet atque consistit. Stylobatæ tripedalem, Columnæque decempedalem semiq; altitudinem petunt: Nec uitiolæ tamen propterea calumnian dæque uidentur, tum propter earum compressiores atq; retusas expressiones, tum etiam quia inter sese finitimæ propinquioresque existunt. Epistylum, zophorus, coronæque simul, è columnæ totius altitudine quintam sibi portionem assument. Mediana deinceps cum fastigio simul eductio, altitudinem ostij ipsius latitudini æqualè habebit: eiusdemq; columellis superadditis, latitudo ostij antepagmenta, intermediamq; simul apertionem adæquabit. Eductio autem, si ante priuatas ædes, quæ ingressum splendidiorem requirant, ostium hoc statuetur, fenestræ munus & usum explebit. Quòd si aditui lux satis commoda aliunde subministrabitur ac inferetur, quodcunque deinde magis placuerit, in eductione tunc nobis apponere & collocare licebit.



Ostium, cuius formam speciemq; hic figurauimus, Tuscano opere, rusticis ornamentis adiectis, utique constat, Columnarum quidem altitudines in denas earundem crassitudines excitabuntur: ita nanque Vitruuium in templi rotundi constitutione de Tuscano opere uerba facientem docuisse reperimus. Earum autem crassitudines sesquipedales existent, & duas tertias extra parietem ipsum egredientur atq; profolient. Inter geminas uero columnas semicolumnæ spatium intercedet. Stylobatæ tripedalem, duarumque tertiarum insuper altitudinem assequentur. Ostij inanis apertio in pedum septenum & quadrantis latitudinem excurret, & in pedum quatuordecim & trium quartarum altitudinem efferetur. Epistylum, zophorus, coronixque ex columnæ totius altitudine quartam sibi partem uendicabunt: Qua in decem partes rursus distributa, tres epistylis, quatuor zophoro, & quatuor coronici demum assignabuntur. A coronicis autem regula ad fastigij uerticem ac summitatem quadrupedale spatium intercurret. Cuneorum deinde ratio ac symmetria ea utique efflagitur, ut medianus cuneus cuneos angulares atq; collaterales quadrantali exuperet magnitudine. Quadratum postremo, quod zophorum & epistylum pariter abscondit, ad literarum notas complures ibi inscribendas imprimendasq; à priscis licentioribus fuit olim excogitatum. Quod si cui inuentum hoc displicuerit, quadrato subducto, & zophoro epistylisq; perpetuo extensis atq; continuatis, operi integritatem suam quamprimum reddidisse atq; restituisse existimabitur.






Præfens, quod descriptum hic intueris, ostium Dòricum omnino, Rustico tamen & molliori unà confluentibus, redolet opus: Columnarum nanque capitulis pulvinaria nouo more superaddita, teneritudinem & molliciem quandã præferunt. Quòd si quis inuenti huiusce nouitatẽ forsitã improbauerit, fascia perpetua extensione producta, cymatiũ mox ei superimponat. Pariter etiam si quadratũ, quod zophorum interpellat atq; interrumpit, tibi nequaquam arriserit; quò minus eo dempto atque detractò, coronicis perfectioni quamprimũ integritatiq; consulas, nihil profectò te impedit. Idem quoq; de rusticis fragmentis, quæ propter coronicis defectum in fastigio apposita interiectaq; fuerunt, sentiendum uidetur. Verũ ad modulos explicandos iam descendamus. Ostium in pedũ octo latitudinem patet, & pedũ tredecim semiq; altitudinem petit. Columnarum crassitudines sesquipedales existunt, eademq; crassitudine octies repetita, in pedũ duodenum altitudinem eriguntur. Stylobatæ in pedũ binũ semisq; altitudinem crescunt. Parastatæ ad latera utrinque assistentes, quas uulgus Pilastratas appellat, dodrantaes figillatim existunt. Epistylum, zophorus, coronixq; simul, altitudinis columnæ totius quadrantem assequuntur. A fascia epistylj locum obtinente ad fastigij usq; cacumen, quadrupedale, quadrante superadiuncto, spatium intercurrit. Cunei undeiginti numero constituentur, mediano cuneo quadrantis, ut aliàs diximus, additione cæteros exuperante & excedente,




Ostij præsentis cõformatio constitutioq; superiori perquàm similis, propterea quòd hic quoq; nõ secus ac ibi columnæ rusticis fascijs constrictæ colligatæq; apparent, cuiusmodi fortasse uidebitur. Verum si quis particulas omnes diligenter attenderit ac perlustrauerit, descriptionem hanc ab illa haud mediocriter differre ac distidere comperiet. Ostij autem huiusce ratio ad Doricum, rustico tamen admixto atque intertexto, genus potissimùm reducetur. Apertionis igitur latitudo pedibus octonis atq; dodrante, altitudo uerò pedibus quatuordecim atque triente definitur. Columnarum crassitudines quidem sesquipedales, altitudines uerò pedum duodenum ac semis existent. Stylobatæ in tripedalem, quinta parte superaddita, altitudinem efferentur. Parastatæ, uulgò pilastratæ, semicolumnæ crassitudinem adæquabunt. Epistylion, zophoro, coroniciq; simul, quarta columnaris altitudinis portio obueniet atq; continget. Verum id Lector inprimis animaduertas uelim, ut geminos mutulos ad columnarum perpendicularum statuas colloquesq;: quorum frontes dimidiæ columnæ, altitudines uerò tribus columnæ quartis æquales utiq; erunt. Inter binos autem mutulos quinque triglyphi, & sex metopæ intercedent ac residebunt. Quos quidem modulos, si in spatijs tū diuidūdis tū dimetiēdis solertior ac diligentior extiteris, ad unguē quadrare, & omnibus numeris, ut aiunt, respondere tandem comperies. Quin etiam de eo minimè ambigendum existimamus, quin opus hoc, quamprimùm perfectum absolutumq; fuerit, uel peritorum ipsorum iudicio probari & satisfacere possit. Fastigium, si ab imo clypei ad fastigij ipsius uerticem conscenderis, tripedale semiq; insuper spatium occupabit. Cunei hemicycli ambitum munientes, septendecim erunt: Medianusq; cuneus, ut sæpius iam admonuimus, quadrantis additione ceteris maior ampliorq; perficietur.






Ea, quorum ambitus intra paucissimos terminos comprehenditur & continetur, compluribus rationibus distinguere, arduum quippe difficileq; putatur. Quodcumq; enim ianux aut fenestrx puram uel paulò diligentius exultam elaboratamq; coronicem, itemq; fastigium aut rectilineum aut rotundiori peripheria scriptum atq; conclusum superaddideris; uix aliud quicquam, quod in eiusmodi operibus uarietatem immutationem uel ullam suscipiat, excogitandum relinquitur. Quapropter nos, qui ostiorum quinquaginta uarias formas dissimilesq; rationes exponendas recepimus, si cunctis morem gerere satisfacereq; uoluerimus, præclare quippe nobiscum actum esse putabimus: Pro uiribus tamen iam inceptum negotium perficere enitemur. Præfens igitur ostij situs ac dispositio è Dorico fonte deducitur, eius tamen forma faciesq; inuersa aliquantulum & immutata atq; ut ita dicam, personata uidetur: quemadmodum ex imperfectioribus columnis, quorum moduli tamen certi determinatiq; existunt, conijci potest. Bina etiam, quæ columnis superincumbunt, & epistylum, zophorum, coronicisq; portionem intercidunt abscinduntq; quadrata; necnon terna illa rusticaq; quæ zophorum, epistylum, ostijq; supercilium obliquo transuersoq; ductu secant, fragmenta; imperfectam adulterinamque operis structuram satis superque demonstrant. Quæ quidem cuncta si auferantur, ostium puritatem atque integritatem suam quamprimum ritè assequetur, cunctiq; moduli facillimè expedientur, necnon triglyphorum metoparumque distributio clarè admodum elucescet. Quicumque autem à communi aliorum consuetudine secedere uoluerit, implicitum & inuolutum inuenti huiusce generis libens quandoque amplectetur. Quod demum ad modulorum spectat rationem, columnæ crassitudine sesquipedali constituta, & pede in duodecim partes distincto ac distributo, inde cunctæ mox deducuntur symmetriæ.



At nos inuentorum nouitate gaudentes, operumq; uarietatem potissimum affectantes, imperfectiorum columnarum ulterius persequemur rationem. Ex ipsis autem triumphalem fornicem nunc extruere & componere libet, eius latitudine ad pedes undenos, & altitudine ad pedes duos supra uiginti utiq; pertingente. Stylobatæ in septempedalem altitudinem excitabuntur: ostiolaque sexpedalem altitudinem, latitudinemq; tripedalem obtinebunt. Columnarum crassitudo bipedalis existet: eademq; in pedum decem & nouem, atq; trientis in super altitudinem efferentur. Arcus antepagmenta pedalia statuentur: geminasq; inter columnas quini pedes, quadrante superaddito, medij consistent. Epistylum, zophorus, coronixq; simul, ad altitudinis columnæ quadrantem duntaxat conscendent. Quoniam autem in huiuscemodi fornicum extructionibus inscriptiones complures, arma, insigniaq; desiderantur: idcirco nos præter ouatam formam in superiori parte existentem tria illa quadratorum spatia infra designauimus atq; reliquimus. Pars uerò superior ouatam circumscriptionem fastigiumq; pariter comprehendens, in pedes tredecim semiq; attolletur. Cunei septendecim instruentur, mediano cuneo quadrantis adiectione cæteros peruincente.






Præfens hoc ostium Doricum genus, delicatiori quadam adiuncta rusticitate, imitatur, modicamque habet prominentiam. Apertio quidem in sexpedalem latitudinem, & in pedum duodenum altitudinem patet. Columnæ planæ quadratæque existunt, binæque simul acceptæ integrum pilæ unius corpus formant atque constituunt. Verùm ut operi elegantia atque uenustas adijciatur, spatium binis columnis interpositum ad semicolumnæ æqualitatem effossum excavatumque fuit. Stylobatæ in pedum nouem altitudinem excitantur. Epistylum, zophorus, coronique simul, ad quadrupedalem altitudinem educuntur. Columnis mutuli triglyphorum loco superincumbunt, quibus quadratum ad literas excipiendas medium adiunximus atque confociauimus. Si quis autem quadrati huiusce interpositionem oderit ac fastidierit, eo subducto, triglyphorum seriem atque distributionem persequatur. Pariter etiam si bina quadrata columnis hærentia, rusticaneque fasciæ, quæ columnas antepagmenta que simul ambiunt & complectuntur, tibi forsitan displicuerint: quò minus ea subducas, ostijque perfectionem integritatemque moliaris, nequaquam certè prohibemus. Fastigij demum, à coronicis uidelicet cymatio ad personatas usque hominum facies, altitudo tripedale sibi spatium uendicabit.




Præcis temporibus, marmorum aliorumq; lapidum in structuris usu nullo adhuc existente, lignea materia etq; ædificia constituebantur. Quapropter præsens quoq; ostium ex materia conflatum compositumq; uideatur: quod etsi membra singula imperfectiora particulatim sit assecutum, si tamen generatim & communiore quadam ratione ipsum expendis, modulos cunctos ad unguem in eo perficiendo expressos obseruatosque fuisse comperies. Quauis autem bina spatia ac interualla inter duos triglyphos, qui binis columnis ad perpendicularum insistant atq; superstant, collocata cæteris maiora amplioraq; appareant; id tamen absurdum nequaquam aut inconcinnum existere tibi persuadeas uelim: Quinimo uarietas eiusmodi atque diuersitas, & gratum & iucundum intuentibus præferet aspectum. Nisi quispiam tetricus fortasse atq; morosus Vitruuiana dogmata mordicus tenere, iisque præter æquum & bonum pertinacius insistere uoluerit. Nec tamen sapientissimi uiri famæ aut nomini idcirco quicquam detrahimus, cum nec singula, quæcunq; accidere solent, & innumerabilia propemodum esse uidentur, in suis conscriptionibus complecti ille prospicereq; potuerit.






Ostium hoc Doricum & Ionicum redolet genus, Rustico tamen necnon lateritio operi simul admixtum atq; confociatum. Columnæ, quanuis basium capitulorumq; membra haud uniuersa hic adesse intelliguntur, Doricæ tamen existunt: Propriæq; membrorum deficientium sedes unà cum certis eorum modulis ac symmetrijs integræ adhuc referuantur. Columnæ, cum structura ex solidiori opere constet, in partium septenarum dimidiæq; insuper altitudinem educuntur. Supremus fornicis cuneus, cum simplex nullisq; sculpturis seu excisionibus insignitus conspiciatur, ad Doricum genus redigetur. Cunei deinde arcuatam effingentes conuersionem, ut opus uarium multiplexq; reddatur, ex rusticanis & naturalibus nonnulli, nonnulli uerò ex lateritijs & excoctis lapidibus constituentur. Parastatæ quoq; quas Pilastratas uulgus appellat, eandem uarietatis huiusce imitabuntur rationem. Cuiusmodi nempe diuersitas præclare admodum in structuris egregieq; responderet, quemadmodum Pompeianæ porticus uestigia nonnulla testantur, ubi lateritium opus naturalibus saxis insertum atq; intertextum summa cum intuentium iucunditate attendere atq; animaduertere licet.




Præfens ostium ex materia, Doricis feruatis conditionibus ac institutis, utique constat. Columnæ, propterea quod geminæ quæque earum inter sese proximæ ac finitimæ existunt, modulorum octo semisq; altitudinem petunt: Quæ etsi basibus capitulisque sunt destitutæ, maioris tamen roboris ac firmitatis gratia tam summæ quàm imæ earum partes ferreis quibusdam præcinctiõibus constringuntur atque comprehenduntur. Ostium autem hoc non secus ac antecedens, si ex Pario uenosoque erit marmore, pulchrum mehercule aspectuiq; iucundum reddetur. Quinetiam si ex lapide flauiluteiq; coloris, qualem in lapidinis quibusdam nos aliquando conspexisse meminimus, præfens ostium effingetur, artifice deinde ad uenas inducendas scalpellum admouente atq; adhibente, nonnullis haud immeritò probari forsitan posset. Quòd si hortu alicui ad eundo ingrediendoq; ianua hæc inseruerit, eam è Larice, uel Pinu, uel Iuglande, uel Robore, uel alia qualibet imbribus Solibusque resistente materia ratione, quam hic descriptam intueris, construito; & gratiam nec inuenustam contemplantibus sui speciem exhibebit.






Præfens ostij genus Doricum, mollicie tamen & teneritudine quadam adhibita, quamvis rustico operi adiunctum atq; confociatum existit: Triglyphorumq; & Metoparum iustam nempe distributionem est affectum, quamvis & Metopæ & Triglyphi nonnulli à quadrati desuper incumbentis ampliori capacioreq; area ad literarum complurium notas ibi signandas exarandasq; obducti obscuratiq; conspiciuntur. Columnarum altitudines ex octonis crassitudinibus semiq; insuper constant: Ipsæq; etsi eiusmodi dispositionem sortitæ, triplici tamen nomine, prout aliàs admonuimus, admittendæ tolerandæq; uidentur. Primò nanque tertia columnarum pars intra murum compacta, quammaximè ad robur earum ac firmitatem conducit. Deinde rusticæ fasciæ eas circumplectentes, ipsarum demunt imminuuntq; gracilitatem. Postremò strigæ seu canaliculi à summo ad imum perducti, maioris quippe earum crassitudinis speciem referunt exhibentq;: Visus nanq; cum per concaua illa atq; inania spatia discurrens extendatur quodammodo & dilatetur, ab arte delusus columnæ crassiozem, quàm re uera sit, imaginem sibi constituit atq; proponit.




Ostium à nobis in præsentia descriptum, è Ionico genete & Rustico simul admixtis atq; connexis deducitur: Cuius quidem columnæ si absoluta & integra omnino constarent rotunditate, octo modulorum, vel octo unà cùm dimidia ad summum partium altitudinem efflagitarent. Verùm quoniam earum pars in pariete recondita abstrusaq; latet, ipsæque præterea fasciarum ambitu atque complexu involuuntur; idcirco earum altitudines ex undenis crassitudinibus constituentur, aspectuq; gratam atq; decoram sui speciem hac quippe ratione præstabunt. Quòd si crassiores eas effingere quis fortè uoluerit, ex nouem tantummodo crassitudinibus ipsarum altitudines certè perficiet, stylobatarum deinde & coronicum symmetrijs omnibus ritè obseruatis. Illud tamen diligenter inprimis attendet, ut antepagmenta dimidijs columnarum crassitudinibus paria æqualiaque constituat.






Præfens ostium eum nullis sustentetur seu fulciatur columnis, ex quarum multiplici diuersitate uaria quoque ædificiorum genera profluunt atque consurgunt, Rusticum simpliciter appellari minimè potest: Epistylij tamen modus ratioque Ionicos mores persequitur. Pariter etiam zophorus pulvinatus atque Coronix, ad Ionicum genus ambo rediguntur. Pars denique mediana, quæ coronici supereminet, propter mutulos zophoro infitos Compositum opus quodammodo redolet ac imitatur.



XIII

Ostium, quod hic figurauimus, ad Ionicum genus Rustico operi adiunctum & consociatum utique spectat. Columnæ quidem ad partium denuum altitudinem educuntur. Quemadmodum autem de cæteris superius iam admonuimus, tum quoniam geminæ quæque earum sibi proximæ propinquo- resque existunt, tum quia rusticæ fasciæ seu rusticæ præcinctiones complures eas ubique inuoluunt atque constringunt, ideirco nullam mehercle reprehensionis calumniæ ue notam subibunt. Colum- narum deinde capitula, quanquam à Vitruuianis recedunt præceptionibus atque institutis; eiusmodi tamen capitulorum genera, eaque uenusta admodum atque concinna, in antiquorum operibus sæ- pius à nobis uisa conspectaque fuerunt. Quin illud insuper addam, quodd generis huiusce capitu- la, propter ornamentorum copiam & ubertatem, aspectui longè quàm Vitruuiana capitula gratiora atque iucundiora esse deprehenduntur.






Præfens quidem ostium Corinthij, Rustico tamen opere quoque admixto atque intertexto, appellationem meretur. Columnæ, basibus capitulisque superadiectis, partium denum ac semis altitudinem petunt: Quæ etsi rusticanis illis carerent zonis atque præinctionibus, si priscorum tamen Romanorum exemplum atque auctoritatem sequamur, nequaquam carpendæ idcirco calumniandæque forent. In nonnullis etenim triumphantium fornicibus Romæ, columnarum altitudines ex undenis diametris constare nosmetipsi sæpius conspeximus.



XVI


Ostium

Ostium hic appositum ac designatum, Rusticum opus, idq; delictiori quadam & simpliciore ratione perfectum elaboratumq; præferre uidetur; ternis tamen ordinibus, Dorico uidelicet, Ionico, & Composito ipsum exornantibus atq; conuestientibus. Columnæ in lateribus dispositæ & constitutæ, Doricæ quidem existunt: Quæ etsi, altitudinis spectata ratione, graciliores apparent, haud eas tamen tanquam seiunctas diuisas'ue intelligito; quinimo binas tantummodo pilas in ostij lateribus consistentes illæ conficiunt, quemadmodum ex basibus earum capitulisq; satis superq; conijci potest. Verum nos tum ornatus maioris & uenustatis gratia, tum etiam ut in utroq; laterum columnis binas mensulas superponeremus, sic eas dirimendas separandasq; existimauimus. Mensulæ autem, tanquam sculpturis destitutæ, ad Ionicum genus accedunt ac referuntur. Epistylum deniq; zophorus, & corona nix mensulis superstructa, propter mutulorum in zophoro infitionem potissimum atq; collocationem, Compositum opus esse clarè testantur atq; demonstrant.






Licentior quidam audaciorq; Architectus cum inter antiquitates complures Corinthiū quoddam ostiū, cuius antepagmenta superciliumq; ex uno perpetuoque lapide erant confecta, parsq; eius superior, quemadmodum Vitruvius in Doricæ Ionicæq; portæ constitutione testatum reliquit, quartadecima, portione contracta fuerat, offendisset; hoc inuenti genus sibi usui futurum mox esse perspexit. Quapropter fragmentis antiquitatum compluribus perlustratis, geminas Dorica ratione perfectas; Doricoq; opere elaboratas columnas, easque planas adinuenit: quibus, propterea quod ad altitudinem ostio conducentem minimè pertingebant, duo aptauit supposuitq; sedilia. In superis quinque partibus binos mutulos, qui supercilij altitudinem perbellè supplerent ac adæquarent, eosq; Doricos item instituit. Postremò, ut iam inceptum ostium supremam manum assequi posset, ex rusticis faxis nonnullis, quos ibi adesse cognouit, & ex coronarum fragmentis quibusdam fastigium construxit, acroterijs demum in vertice dispositis & collocatis.



Ne perspicax solersq; Architectus ex eo ullam quæso capiat admirationem, quòd portæ huiusce hiatus brevis adeò & angustus tam locuplete deinde copiosoq; refulgeat ornatu. Cùm enim pons subductilis hic extruendus designetur, bina foramina in superis partibus constituta ad eam utiq; altitudinem conscendere oportet, ut catenæ pontem retrahentes reducentesq; muri ingrediendi spatium obtineant, ipsèq; pons membro portæ hiatus atque apertionem circumambienti perbellè connecti adaptariq; possit. Lapidum nanq; fragmenta portæ uacuitatem circumcurrentia, insignem admodum prominentiam decet habere. Verùm si quis fortè ingenij acumine præstans præsentem structuræ ordinem atque rationem tanquam deliciaiorem munitionibus & propugnaculis nequaquam expedire pronunciarit, cùm ijs Tuscanum aut Doricum opus magis sit consentaneum, id unum illi responsum modò afferemus: nos uidelicet ad horti alicuius, qui perennium aquarum cursu perpetuo irrigetur, delicias atque amœnitates ingrediendas hanc ostij formam & modum excogitasse.






Præfens quidem ostium Rustico, eòq; multiplici opere constat; at Fastigium Doricum magis esse uide-  
tur. Pro columnis uerò procerâ quædam humanorum corporum simulachra, quæ terminos Itali passim appel-  
lant, eaq; iuncis intextis amicta, rusticarumq; fasciarum complexu circumuoluta statuuntur. Coronicem, ut  
quadratum ad qualemcunq; conscriptionem excipiendam medium collocaretur, consultò ita, prout uides,  
difiunximus atq; perfregimus. Ut autem singuli facilius expediantur commensus, januæ latitudinem,  
quotquot pedum libuerit, mente primùm designato; pedali magnitudine in duodecim, quæ unciz nuncu-  
pantur, particulas distributa; indeque cuncti mox perbellè moduli deducuntur.



Ostium.

Ostium, cuius exemplar hic apposuimus, tum columnarum, tum fragmentorum, ex quibus coronix forma tur & constituitur, ratione perpenſa, Doricum genus, haud simplex quidem, sed rustico operi admixtum, eo- que multiplici circumtectum imitatur: Vtque animaduertere licet, è fragmentis conflatum compositumq; il- lud esse constat. Columnis autem, propterea quòd ipſe, imis earum partibus diuulſis atque perfractis, iustam altitudinem nequaquam attingunt, stylobatz unà cum imperfectioribus basiſus idcirco ſubiecti ſuppoſi- tiſque fuerunt.



NN Ostium




Ostium, cuius typum hic figurauimus, è Corinthia edificandi ratione, duplici tamen rustici ordinis genere ei permixto, emanat profuitque. Columnæ nondum perfectæ absolutæque uidentur, earum tamen perficiendarum modus ratioque ex præsentis satis superque habetur designatione: Moduliq; omnes tum in imis, tum in medijs, tum in summis ipsarum partibus optimè expressi conspiciuntur. Pariter quoque capitulorum folia nondum completa elaborataque apparent. Quoniam autem fastigij coronicisq; partes complures hic demptæ interruptæque fuerunt; idcirco nos uenustum aliquod insigne spectandum proponere exoptantes, octogonam illam, quam intueris, formam ibi mediam aptauimus & constituimus.



Ostium

Ostium hoc Dorici & Corinthij operis simul particeps esse constat. Quadratae namque pilae, quae ambae parastatis proximae collocantur, Doricum redolent opus. Quas ut uenustiores nimirum elegantioresque redderemus, eam excogitauimus distributionem, ut, ternis partibus designatis, strigem mediam, & binas triglyphorum Doricorum excavationes in lateribus pilae singulae obtinerent: necnon easdem rusticis fasciis, cisque delicatioribus postremo circumdauiimus atque constrinximus. Planis hisce columnis geminas mensulas, easque Corinthias, Dorica metopa intercedente, superaddidimus & superstruximus. Zophorus item Corinthius existit: quem tamen, ut parastatarum ordinem ac seriem iam inceptam prosequeremur, cunctorum illorum interpositione abscondendum interruptendumque duximus.






Præfens ostium Ionicum, Rustico tamen admixtum atque connexum, iure poterit existimari: Cuius quidem columnæ debitam & conuenientem altitudinem nactæ fuerunt; itemque epistylum, zophorus, atque coronix è columnæ totius integra absolutaq; altitudine quartam sibi portionem assumunt. Et eiusmodi symmetriam tanquam perbellè expedientem communissimæ, prout sæpius iam admonuimus, præceptionis locum & uim constat obtinuisse. Ostij huiusce supercilium nec plana nec hemicycli continetur comprehenditurq; figura, uerùm completæ rotunditatis quadrantem duntaxat assequitur: quod quidem antiquum superciliorum genus, Remenatum no strates pæssim appellant. Vt autem in uertice decorum aliquod insigne statui accommodariq; possit, in Tympano exagonam formam illam delineauimus & circumscripsimus, .....




Postquam solutiora quædam profusaq; opera nobis constituenda proposuimus, præsentem nunc ostij formam speciemq; construere libet: quæ peritis in immodicam licentiam excurrere profectò uidebitur. Veruntamen si quispiam ita, prout nos mente concipimus, operi illam aptatam & accommodatam fortè conspexerit, haud omnino eam improbandam calumniandam'ue fore censebit. Antepagmenta Ionica quidem existunt: itemq; zophorus coroniq; ex eodem Ionico fonte deducuntur: Ostijq; superior apertio, quartadecima contrahitur portione. Mutuli utrinque mensularum loco constituti, Doricam redolent sapiuntq; structuram; & proiecturam altitudini æqualem omnino & comparem obtinebunt: Coroniq; deinceps superincumbens, ianuz subiectæ tecti ac tabernaculi usum præstabit. Fenestræ deinde superioris ornatus, sima constabit sculptura. Columnæ utrobq; in lateribus consistentes, Doricæ ratione perfectæ, & exiguum quid prominentiæ expressionisq; sortitæ fuerunt. Eiusmodi autem ostiorum genera priuatis ædibus pulcherrimè inseruien- , quarum interiora uestibula à superiori illa fenestrataq; apertione æthereo lumine perfundentur atque conuestientur.




NN 3 Ostium



Ostium hoc, quemadmodum ex ipsa satis superq; designatione percipitur, è Rustico opere, eoq; quadratis lapidibus undiq; instructo atque referto constitutum apparet. Columnæ Doricæ sectantur rationem: Quinimo, si bases capitulaq; attenderis, pilæ in geminas columnas distincte distributæq; rectius appellabuntur. Epistylum, Zophorus, atque coronix Composito opere constant: quod nonnulli Latinum, alijq; Italicum appellare consueverunt. Romani nanque Compositum hunc ordinem primi excogitasse feruntur, cumq; in summa Amphitheatri parte tanquam cæteris ordinibus præstantius collocarunt atq; reposuerunt.



Præfens structura Dorica simpliciter, absq; ulla Rustici operis admixtione, esse uidetur, parumq; eminenti constat expressione. Cunei autem quadratiq; lapides contexti, plani quidem existunt, uerùm extra parietem binos tantummodo digitos protenduntur atq; procurrunt. Columnæ tum propter earum planam quadrangulamq; figuram, tum quia nullo grauiore onere opprimuntur, partium nouenarum altitudinem petunt. Nec tamen mendosæ propterea improbandæ ue erunt, præsertim cùm parastatis utrinque ad latera appositis circumuallentur quodammodo & muniantur. Quinimo si septenis partibus duntaxat constarent, opus inutile profectò indecorumq; reddissent.





Siquis hominum petulantiam atq; temeritatem de medio auferret, haud aliorum deinde pudorem animiq; moderationem dignoscere posset. Nobis igitur, quemadmodum ex ipsa patet designatione, praesentem ostij formam atq; rationem, absq; ulla fasciarum cuneorumq; interiectione, Doricam simpliciter constitueret; itaq; eius elegantiam ac uenustatem, rusticis appendicibus sublatis, incolumen conseruare utiq; licuisset. Verum quoniam licentiorum hominum genus, quorum turba quammaxima reperitur, operum nouitatem affectare, eaque mirifice delectari perspeximus: ut his morem gereremus, Doricæ huiusce portæ formam & pulchritudinem, rusticitate adiuncta, imminuendam aliquantulum idcirco atq; dehonestandam censuimus. Inuentum hoc tamen (Rusticis alis, quæ columnis utrinq; adiacent adhærentq;, sublatis, & cuneis, qui epistylj supercilijq; perpetuam extensionem abscondunt, amotis; necnon fascijs, quæ columnas circumambiunt & complectuntur, detractis) prudenti Architecto usui quamplurimum esse comperietur. Ita nanq; rusticis particulis omnibus demptis atq; deletis, necnon taurorum capitibus insuper & lancibus, quæ quidem ambo sacris adhiberi consueuerunt, inter triglyphos insculptis; Doricum omnino, idq; delicatiori arte confectum mox opus reddetur.




Ostium hic propositum Dorici, Corinthij, & Rustici, necnon, si uerum proloqui licet, ferini operis demum particeps esse conspicitur. Columnæ quidem Doricæ, at earum capitula partim Dorica, Corinthiaq; partim existunt. Antepagmenta ostium circumambientia, propter excisiones atq; sculpturas, ad Corinthium genus rediguntur. Itemq; epistylum, zophorus, atq; coronix, Corinthiam imitantur structuram. Ostium uniuersum deinde Rustica, ut ita dicam, ueste indutum & circumtectum apparet. Quod demum ad ferinum ordinem spectat: cum naturalia saxa nonnulla hic bestiarum ferarumq; imagines referre uideantur, quin opus quoque ferinum quid præferat, negari profectò minimè potest.






Cum tot Rusticarum portarum formas speciesq; dissimiles profecuti hucusq; fuerimus, si trigesimum earum numerum, sicut principio nobis propositum fuit, iam attingere & explere uelimus, triumphalem fornicem à Tuscano Rusticoq; opere simul admixtis mente concipere designareq; nunc oportet: Qui urbanæ quoque & castrensis portæ commodissimum usum præstabit, altera duarum portularum tantummodo tanquam subsidiaria inferuente, reliqua fictè & ad ornatum duntaxat apposita & constituta. Portæ huiusce species, propter multiplicem eius uarietatem, gratum mehercle & iucundum retinet aspectum. Primò nanq; medianæ apertionis cunei, altero naturali, & lateritio altero uicissim existente, dissimilem atq; ex eo uenustam admodum habent texturam. Eadem quinetiam cuneorum elegantia atq; uarietas & in angularibus ostiis, & in ambobus testaceis atq; reticulatis fenestris, & in laxiori spatio medianæ portæ desuper incumbente, necnon in geminis scaphis ad latera constitutis seruat atq; perspicitur. In superiori autem spatio ac interuallo, scaphis utrinq; assistentibus, historicum aliquod opus, quod modicè promineat, effingi insculpiq; poterit; angularibus ipsis scaphis egregiè excipientibus & gestantibus simulachra. In mediana demum fastigiataq; eductione, necnon in eductionibus illis angularibus atq; minoribus pariter, quæcunq; structuræ domino magis placuerint, apponi collocariq; poterunt. Et hic nempe portarum triginta Rustico opere uarijs ordinibus permixto atque confociato constantium pertractatio, suum exitum suamque metam sit assecuta.



*Portarum viginti, earumq; deliciarum descriptio & pertractatio, à Sebastiano Serlio Italicè conscripta, & à Ioanne Carolo Saraceno Latinitate nunc primum donata.*

**P**OSTQVAM mixtarum licentiorumq; structurarum rationes iam, percurrisse explanasseq; videmur, nunc de regularibus atque simplicibus pauca quedam subiungere libet. Ostij igitur hic propositi genus Corinthium undiq; existit, parsq; eius superior, quemadmodum Vitruuius in Doricæ Ionicæq; portæ explicatione literarum monumentis consignauit, quartadecima contrahitur portione. Coronix supra ostium collocata, in eam utique altitudinem excitabitur ac erigetur, quæ subiectis mensulis aptior uisa fuerit atque opportunior; suppositamq; ianuam quasi uelum quoddam extensum proteget & cooperiet. Supra coronicem deinde ad ædium interiorum uestibulum illustrandum illuminandumq; fenestrata apertio statuatur, cuius ornatus sima nimirum & compressiore constabit sculptura. Haud secus etiam alæ, quæ hinc inde ostij lateribus assistent, mensulæq; pariter parum eminentes habebunt expressiones.




I


Ostij



Ostij secundo loco hic designati pleraq; pars è Ionico fonte deducitur:ueruntamen columnæ in lateribus dispositæ & collocatæ Doricæ magis existunt, castigatamq; & retusam obtinent prominentiam; aded ut, basium & capitulorum ratione perspecta, pilarum potius quàm columnarum appellationem merentur. Scaphæ autem seu Conchæ & Quadrata multiplici lapidum textura & uarietate constantia, ibidem statuuntur. Columnis deinde Ionicæ mensulæ ad coronicem sustentandam ac fulciendam superincumbunt. Cui deinceps ad domus aditum interiorem lumine perfundendum atq; conuestiendum superior fenestra perfodietur: cuius quidem & latera & frons ipsa superior, simis sculpturis exornabuntur atq; perpolientur.




Præfens ostium, quemadmodum ex columnis, epistylis, Zophoro, & coronice percipitur, Compositum undequaq; redolet opus. Columnæ parum admodum prominentiæ fortiuntur, inter quas complura mixtorum lapidum genera perbellè inferi collocariq; possunt. In fastigij tympano demum, ad ædium uidelicet interiorum uestibulum æthereo lumine perfundendum, superiores quædam perfodientur ac statuentur apertiones.






Ostium hoc Doricam omnino imitatur structuram; quanuis Zophori pars media, ad copiosiore[m] conscrip-  
 ptionem ibi inferendam exarandamq[ue]; quadrato præcidatur & occupetur interuallo. Quominus tamen, tetra-  
 gono illo sublato, triglyphorum metoparumq[ue]; seriem perpetuò extendamus, nihil utiq[ue]; nobis obstabit. Pilæ  
 hinc inde assistentes planæ quidem existunt: earum tamen utraq[ue]; hac, qua intueris, ratione diuisa, & in gemi-  
 nas parum eminentium expresionum columellas sciuncta distributaq[ue]; fuit; ut opus scilicet mollius atq[ue]; ue-  
 nustius contemplantibus redderetur. Nec tamen propterea, basium capitulorumq[ue]; membris perpetua exten-  
 sione productis, germanæ sinceræq[ue]; pilarum formæ quicquam detrahitur. Nanq[ue]; si, absq[ue]; operis ullius inter-  
 positione, in continentem ad eò latitudinem pilæ simpliciter patuissent; nec id artificij, nec tantum pulchritu-  
 dinis atq[ue]; splendoris ostij præsentis structura mehercle assecuta fuisset.




Ostium hic propositum ac designatum Ionicam omnino sectatur edificandi rationem, quamvis Dorici capituli forma columnis superaddita fuerit: quod à peritioribus Architectis animadversione reprehensioneq; dignum haud immeritò existimari forsitan posset. Qui nanq; tum superioribus seculis, tum tempestate nostra in ædificatoria facultate primas obtinuerunt, columnas ad epistylum usq; perducendas semper esse rati fuerunt. Cui grauisi morum uirorum sententię authoritatiq; etsi acquiescendum certè putamus, id tamen si lentio nequaquam prætereundum censemus, quòd quatuor Ionicis, eisq; speciosissimis nimirum columnis pedum octonum & dodrãtis altitudine Architecto olim oblatis; totidemq; longè breuioribus quadrupedali scilicet ac semis in super altitudine, è purissimo Alabastrite columellis eidem cõportatis ac distributis: Cùm ex hisce columnis ostium, cuius apertio in pedum septenum ac semis latitudinem extensa in pedum quindennum deinde altitudinem excitaretur, sibi consiciendum ille proposuisset; columnis quidem maioribus pedis unius sextantisq;ue basim subiecit, & capituli Dorici formam ad incurbarum arcus æqualitatem in superiori parte statuit atq; perfecit, cuius altitudo superiorem columnæ ipsius crassitudinem adæquaret. Columnis hi sce maioribus minores deinde superposuit superstruxitq; columellas, quibus epistylum, puluinatumq; zophorum, & Coronicem superaddidit demum ac superadiecit: horumq; trium altitudo simul accepta, quartam columnæ ipsius altitudinis partem explebat. Et hac utiq; ratione ex fragmentorum apta idoneaq; collo catione præsentis ostij species quamprimùm effluxit: quam exposuisse nos minimè pœnitet, eò quòd consimilis structuræ genus Architecto aliquando occurrere forsitan posset.






Ostium, cuius exemplar imaginemq; hic apposuimus, Doricum opus simpliciter esse uidetur: exornari tamen illud perpoliriq; poterit, si capitula eadem, prout in nonnullis superiorum capitulorum apparet, ratione elaborata inculptaq; fuerint. Pariter etiam media spatia inter triglyphos constituta, taurorum capitibus & lancibus seu rerum aliarum, prout ædium ipsarum domino magis placuerit, imaginibus expressis atque cælestis, formosiora uenustioraq; certè reddentur.




Ostij quidem huiusce membra singula Ionico opere constant: Veruntamen columnæ propterea quòd geminatae conduplicataeque fuerunt, graciliores, quàm Vitruuius eas descripsit, idcirco constituuntur. Propter rationes autem superius à nobis adductas nequaquam improbandæ calumniandæ ue erunt. Zophorum uerò ijs, qui copiosa multiplicique oblectantur scriptura, gratificari studentes, tribus locis consultò ita, prout conspicis, obscurauimus atque perfregimus. Si quis tamen simplicem zophorum minimeque interruptum maluerit, id nos illi integrum referuamus.






Ostium hic descriptum, Corinthium undequa; existere patet. Columnæ propter duplicem earum seriem & geminam coniunctionem, quemadmodum de cæteris quoque dictum iam fuit, altitudinem crassitudi- ni decies repetitæ, dimidiæq; insuper æqualem obtinent. Quod si canaliculis à summo ad imum perductis di- stinctæ eæ expolitæq; fuerint, propter superius à nobis traditas & commemoratas rationes, crassio rem me- hercle sui speciem intuentibus exhibebunt; ipsaq; ianua elegantior adhuc excultiorq; reddetur. Quanuis au- tem columnarum hic designatarum partes nonnullæ, intra murum compactæ abstrusæq; uideantur; perfectæ tamen quoque absolutæq; rotunditatis eas perficere nobis licebit, planis columnis è regione post illas di- spolis & constitutis.



Ostij hic propositi forma speciesq; Ionicæ structuræ prorsus imaginem refert. Columnæ quidem in octo diametrorum altitudinem excitantur: Quarum striæ, propterea quòd columnarum duæ tertiæ duntaxat extra parietem egrediuntur atque procurrunt, sexdecim tantummodo crunt; strigibus octo, quæ striarum uiginti quatuor numerum reliquæ absoluunt, in interiori pariete demersis ac latitantibus. Columnarum capitula excultiora atq; elegantiora, quàm Vitruuius ea instituit, utiq; apparent. Verùm ut contemplantibus uenustiora adhuc iucundioraq; reddantur, Zophorum Ouiclo seu Echino adiungendum atq; subijciendum curauimus: Complura nanq; eiusmodi capitulorum genera ab antiquis hac ratione extracta nosmetipsi conspeximus. Quòd si ædium dominus breuiori supra ostium forsitan delectabitur inscriptione, zophorum & coronicem perpetua extensione producens, operis integritati perfectioniq; magis consuluisse profectò existimabitur.






Quavis ostium septimo loco à nobis superius designatum, quod ad Ionicarum columnarum rationem attinet, huic persimile uideatur; præsentis tamen ostij structura à cæteris perquam dissimilis diuersaq; existit. Columnæ quidem in partium nouenarum ac semis altitudinem eriguntur, duæq; duntaxat earum tertie extra parietem eminent atq; procurrunt. Quod si perfectè teretes atq; rotundas eas constituere, planis columnis è regione oppositis, tibi libuerit, opus grauiorem nimirum præferet aspectum; superioraq; fastigia, zophori ipsius solido mediana parte innitente, aptiorem nimirum commodioremque obtinebunt colloca-tionem.




Ostium

Ostium hic deformatum triumphalis fornicis speciem refert exhibetq; Veruntamen cum præter medianum spatium in summo collocatum, quo quidem loci historicum aliquod opus sima sculptura effingetur, sex aptæ idoneæq; sedes ad varia excipienda habeantur simulachra, sacris ædibus quoque ingrediendis tanquam fores congruæ admodum opportuneq; inseruient. Corinthium autem undequaque redolent opus. Columnæ ad partium denum ac semis altitudinem efferuntur: quæ si strigibus & canaliculis perductis insignitæ elaboratæq; fuerint, propter rationes superius adductas crassiores nimirum intuentibus uidebuntur.






Præfens ostium Corinthios mores undequaq; sectatur. Columnę ad denum diametrorum altitudinem attolluntur, extraq; parietem duæ earum tercię prominent atque procurrunt: quanuis, planis columnis ex aduerso collocaatis, exactè teretes atq; rotundæ eedem confici poterunt. Verùm illud unum nequaquam prætermittendum censemus, quòd si ostium hoc ante domum, cuius aditus uberiori indigeat lumine, uel ante faciem eadem aliquam statuetur, fenestrata apertio superincumbens perbellè utique inseruiet. Quòd si lux factis congrua aliunde prouenerit, historicum aliquod monumentum ibidem effingendum potius & insculpendum existimamus.




Ostij præsentis facies non secus atq; superior, Corinthia omni ex parte perspicitur; dissimili tamen hæc ab ea & forma & opere constat. Columnæ ad denum quidem diametrotum ac semis altitudinem efferuntur, duæq; earum tertie tantummodo extra parietem egrediuntur prominentq;. Geminæ semicolumnæ in lateribus dispositæ, ostium magis utiq; exornare & collocupletare videntur: Siquis tamen eas sustulerit, haud gra- uiter certè peccasse iudicabitur. Pariter etiam si cui superius quadratum fortè displicuerit, opus perpetua continentiq; extensione producat, itaq; illius integritati & perfectioni melius consuluisse existimabitur. Quauis autem ueteres probatiq; authores columnarum striges transversas perducere min imè consueue- runt, quin eas ab imo ad summum directas potius semper effinxisse comperiuntur: nos tamen rei huiusce exemplum liberius fortasse atque profusius à Hierosolymitanis, quæ in Salomonis porticu extitisse olim me- morantur, columnis accepimus atque arripuimus.



Ostium




Ostium hic delineatum deformatumq; cum & ad signa suscipienda, & ad retusas compressioresq; sculpturas effingendas, & ad exquisitos lapides aliaq; consimilia collocanda distincta determinataq; spatia obtineat, sacrae aedi cuiuspiam haud incongruum certe uidebitur. Ionicum autem opus hoc undiq; apparet. Inferiores quidem columnae duas tantummodo tertias extra murum progredientes sortiuntur, nouenarumq; partium altitudinem explent. At columnae superiores planae utique existunt, parumq; eminentibus constant expressioibus. Quinetiam eadem ostij forma speciesq; si triumphali fornici accommodabitur, praecclare admodum egregieq; respondebit.




XIII

Verum id Architecto nonnunquam fortasse continget, ut ipse ostium decempedali latitudine, & pedum uicenum altitudine sibi conficiendum proponat: At ei oblata exposita; columnarum minoris utiq; altitudinis, quam dimidium ostium efflagitauerit, esse comperientur. Quas si ille negotio mente concepto ac designato aptare accommodareq; uoluerit, arcus incumbas supra columnas ad eam nimirum altitudinem excitabit, quae quintae columnae ipsius portioni par & equalis existet: Necnon coronicem, puluinatum zophoram, epistylumq; columnis iisdem superstruet ac superaddet; quibus stylobatas deinde ostij ipsius limini insistentes subijciet atq; supponet. Stylobatae quidem pedum ternum & dodrantis altitudinem sortientur: Columnarq; singulae pedum nouem & quadrantis altitudine finiuntur. Epistylum, Zophorus, atq; Coronae columnis superincumbentes, bipedalem altitudinem obtinebunt. Pedumq; omnium hucusq; collectorum summa, ad quindenarium numerum excrecet atq; pertinet: Quibus si quinquepedalem adhuc hemicycli addideris altitudinem, ad pedes uicenos usq; conscendes. In medio arcu deinceps mensula pedis unius & dextantis altitudine statuetur. Et supra teretes rotundioresq; columnas planae quadratae; mox columnae erigentur, quae pedum senum dextantisq; altitudinem petent; epistylis, zophoro, & coronice super eas mox aptatis componitisq;: Quorum omnium simul altitudo ab inferiorum columnarum una cum earum appendicibus altitudine, quarta parte diminuetur atque deficiet. Potest autem huiusce speciem non secus atque superiorem, templo alicui ingrediendo opportunam quammaxime & consentaneam fore censemus.






Ostij hic propositi genus, cum pleraque eius membra excisa insculptaque sint, Corinthium haud immerito nuncupabitur. Altitudo latitudinis dupla utique existet. Antepagmenta octavam latitudinis partem explebunt. Mensularum frontes antepagmentis æquales constituentur. Media spatia geminis mensulis interiecta, mensularum ipsarum latitudinem adæquabunt. Zophori altitudo antepagmenta quartæ partis, id est supercilij ipsius exuperabit adiectione. Coronæ demum altitudinem supercilio, octava parte insuper adiecta, æqualem assequetur. Cætera deinceps ornamenta ad nutum ædificantis ac libitum perficientur.




Ostium hic designatum, Doricam persequitur ac imitatur structuram; propter resiliens tamen epistylum, resilientemq; zophorum & coronicem, liberiori quadam dissolutaque ratione conflatum uidetur. Nec mirum, cum propter geminas planas semicolumnas, quæ epistylum sustinent fulciuntq; ita factum oportuit: eoque magis, quod ostij tum latera tum frontem superiorem uario multipliciq; ornatu illustrare hac utique necesse fuit ratione. Ostij nanque hiatu humiliori & angustiore existente, ædium dominus apertionis defectum corrigere studens, latera partemque superiorem ornamentorum complurium cultu & elegancia affluere forsitan uolet. Si autem domus ipsius aditus atque uestibulum, ut credere par est, lucem copiosiore requirit; fenestra superior & ingressui lumen atque splendorem, & ianue decus ac ornamentum præstabit.






Duabus formosis ex Composito ordine speciosisq; oblatiſ columnis, quarum altitudine ad pedes duode-  
 nos p̄tingente, craſſitudo undecimam altitudinis partem obtineat (durius mehercle & audaciſcule fa-  
 ctum) Architectus tum columnarum pulchritudine captus, tum temporis neceſſitate perſpecta, ad oſtium  
 octopedali ſaltem latitudine eis honeſtandum atque condecorandum impelletur: quinetiam ut illud com-  
 plurium ornamentorum appoſitione refulgeat atq; ſplendeſcat, obnixè contendet. Si igitur oſtium extruen-  
 dum columnis propoſitis reſpondere & quadrare debet, ad communem altitudinis metam ac terminum,  
 uidelicet ad duorum quadratorum ſummam p̄tingere id nempe oportebit. Quapropter columnis ſtyloba-  
 tæ quadrupedali ac ſemis inſuper altitudine ſubiicientur, adeò ut tota, columnarum ſcilicet atq; ſtylobata-  
 rum ad epiſtylum uſque, altitudo in unum compoſita atque congeſta, pedum ſexdecim ac ſemis exiſtet. Ar-  
 cus circumferentiæ ſemipedalis aſcribetur altitudo, adeò ut oſtij totius integra abſolutaq; altitudo, ad pedes  
 ſexdecim uſq; p̄tinget. Colūnis deinde epiſtylum, zophorus, atq; coronix ſuperponētur: quorū omniū ſimul  
 accepta altitudo quartā colūnæ, baſi capituloq; ſimul aſſumptis, partē explebit. Et in ſuprema deniq; ſede, fa-  
 ſtigium, prout hic intueri fas eſt, excultum & cohoneſtatum eluceſcet. Verū ut oſtium, quemadmodū ſupe-  
 rius iam admonuimus, magis exornatum adhuc elaboratumq; appareat, poſt rotundiores columnas planæ co-  
 lumnæ, æq; duplices ſeu geminatæ ex aduerſo opponētur: inter quas ſcaphæ ſeu conchæ (Nichios noſtrates ap-  
 pellant) mediæ, quemadmodum ex ſubiecta conſtat Ichnographia, tandem collocabuntur ac ſtatuentur.




Præsentis ostij structura, quod ad Ichnographiæ rationem attinet, superiori, quam postremo loco iam iam designauimus, quam simillima certè uidetur: ab ea tamen & specie & modulis disidet atq; dissentit. Specie quidem, quoniam hic columnæ cæteraq; ornamenta è Corinthio genere deducuntur. Modulis uerò, quoniam columnarum hic propositarum altitudines ex denis crassitudinibus semiq; constant: altero insuper discrimine intercedente, quod ibi trabeationem mox fastigium subsequitur, nec quicquam aliud præterea imponitur; hic uerò inter trabeationem summumq; fastigium spurium quidam, ut ita dicam, adulterinusq; ordo medius intercedit: quo quidem in loco, si supra ostium uel historicum aliquod monumentum insculpere, uel numerosam literarum inscriptionem instruere uoluerimus, spatij amplitudo utrunq; nobis affatim permittet. Aliæ quoque nonnullæ inter præsens atque superius ostium dissimilitudines hic proferri exponiq; possent, quas nos utpote breuitatis studiosi silentio præterire decreuimus.





Vt uiginti simplicium & regularium, quas à principio proposuimus, portarum pertractationi extremam manum imponamus; cum in tam uaria multiplici; earum descriptione nos fessos iam propemodum defatigatosq; sentiamus, hanc è Composito opere à ceteris perquam diuersam superioribus adiungere libet: Quæ in pedum denu, exempli gratia, latitudinem extensa, in pedum uicenum deinde altitudinem efferetur. Antepagmenta pedalia sigillatim constituentur. Columnarum frontes pedales, semipede insuper adiuncto, existant. Intercolumnia singula, columnæ unius semisq; spatium explebunt. Epistylij altitudo à columnæ ipsius latitudine sextante diminuetur atque deficiet. Tantundem Zophoro, necnon coronici tantundem quoque assignabitur & tribuetur. Mutulorum capitula, tanquam membra coronici propria existimari debent: quibus, propter maiorem ornatum, folia illa insculpsimus & apposui. Mediana eductio geminis conclusa comprehensaq; columnis, perfectum absolutumque quadratum explebit, quæ quidem columnæ ad mutulorum perpendiculum statuentur: cæteris partibus, quemadmodum ex ipsa patet designatione, excultis elaboratisque. Totque de uarijs portarum ac ostiorum structuris à nobis hucusque dicta sufficiant.



*ERRATA ANIMADVERSIONE DIGNA, QUÆ IN  
imprimendo opere imprudenter admissa fuerunt: numerorum characteribus pa-  
ginarum columnarum ue numeros designantibus.*

9 Tres priores figuræ ibi existentes antecedenti octauæ paginæ orationi, quæ incipit (Esto exempli gratia fi-  
gura) inseruiunt. 9 Figura quarta ibidem existens, orationi in paginæ eiusdem nonæ capite incipienti (E-  
sto præterea aut linea) inseruit. 10 Primæ figuræ alphabetica defunt elementa. Quapropter tu lineæ maio-  
ri A B, lineæq; minori C D elementa apponito. 15 usq; deductis coniungentur: Postmodum punctis.  
Hic defunt nonnulla uerba: unde sic legito. usq; deductis coniungentur, necnon ab eisdem signis ad diame-  
trum aliæ perpendicularesq; deducuntur. Postmodum punctis &c. 38 Tres figuræ ibi existentes illi dun-  
taxat orationi, quæ incipit (Pleriq; amnes cum de montibus &c.) deseruiunt. 39 ab ea absoluta: Corrige  
ab eo absoluta. 134 Figuræ transpositæ quodammodo ibi uidentur: Ichnographia nanq; præcedere, Or-  
thographia uerò subsequi debet. 189 membra tum ubrius: Corrige. membra tum uberius. 204 Postmo-  
dum semicirculis, quæ: Corrige. Postmodum semicirculis, qui. 210 Egrella autem hæc: Corrige. Egrella  
autem hæc. 211 inuenti solius acumen: Corrige. inuenti solius acumen. 258 In secunda figura, quæ te-  
trastylam ædem designat, in ima fastigij parte ponenda est litera A, ut figura uidelicet orationi in 257 pa-  
gina præcedenti respondeat. 290 Prima quidem figura, quæ capitulum in Marcelli Theatro re-  
pertum designat, M literæ inscriptionem requirit, ut uidelicet figura antecedenti respondeat oratio-  
ni. 305 ut stabili circini pede: Corrige. ut stabili circini pede. 338 At si ædificium: Corrige.  
At si ædificium. 339 sibi peparasse: Corrige. sibi præparasse. 366 perpetuò adhæbimus: Corrige. perpe-  
tuò adhærebimus. 368 intra parietem ipsum: Corrige. intra parietem ipsum. 375 ad templum adeun-  
dum conscendenda: Corrige. ad templum adeundum conscendenda. 379 Ad pusillam figuram, quæ de-  
lubri seu sacelli imaginem refert, apponenda est litera A: ut uidelicet figura ipsa antecedenti respondeat o-  
rationi. 393 Aduerte quòd prima figura templi Ichnographiam repræsentans, etsi propter faciliorem col-  
locationem à nobis fuerit inuersa, directa tamen intelligi debet. 403 Si in spatijs tum dimetiendis soler-  
tior. Hoc erratum, si fortè inueneris, quia in nonnullis horum uoluminum illud repurgauimus: Corrige sic. Si  
in spatijs tum diuidundis tum dimetiendis solertior. 409 utiq; constant: Corrige. utique constant. 424  
cæteris ordinibus præstantius: Corrige. cæteris ordinibus præstantiorem. 428 egregiè excipientibus: Cor-  
rige. egregia excipientibus. 440 Corinthios morcs: Corrige. Corinthios mores.

